Ad simplicem usum
P. Adami Liezenmayr S.O.C. Ven.
Conv. Land. Silv. indigni.
1780.

Constat 1/1
Comparuta 8 X.

74110 P116

DAEMONVRGIA

THEOLOGICE EXPENSA,

SEV

DE POTESTATE DAEMONVM IN REBVS HVMANIS,

DEQVE

POTESTATE IN DAEMONES A CHRISTO ECCLESIAE RELICTA.

M DCC LXXVI.

74H9 P156

DAEMONVRGIA

THEOLOGICE EXPENSA,

SEV

DE POTESTATE DAEMONVM IN REBVS HVMANIS,

DEQVE

POTESTATE IN DAEMONES A CHRISTO ECCLESIAE RELICTA.

M DCC LXXVI.

BK
A. 8014.

Ἐκελεύσθημεν λέγειν, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Πολλὰ μὲν γὰρ ἡμῖν ἐκ διαβολικῆς ἐνεργείας προσγίνεται λυπηρά. κ. τ. λ.

Dicere docemur: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Multa namque nobis ex diaboli opera accedunt triſtia &c. S. IOAN. *Chryſoſtomus* Serm. in orationem Dominicam.

CORNELL UNIVERSITY.
The
President White
Library
RECEIVED 1891.

PRÆFATIO.

Inde, quod in ſublimiſſimo religionis negotio debili ac corruptæ rationi noſtræ nimium fuerit indultum, accidit, ut nunquam magis fides labaſceret, quam noviſſimis his temporibus, quibus quam maxime in diſcutienda veritate religionis eſt elaboratum.

Idem de dæmonurgia dici poteſt, de qua paſſim libelli prodeunt in utramque partem, lingua etiam vernacula; unde ignari ac hebetes facile in transverſum aguntur, credulitateque

nimia aut incredulitate abducuntur vel ad ſuperſtitionem, vel ad Scepticiſmum.

Fateor me ægre ad hanc tractandam adductum eſſe materiam, veritum, ne ſuperſtitioſis opinionibus, auſibusque irreligioſis patrocinari viderer vel invitus, a quibus paullatim deſuevit hodie vulgus etiam credulum; mundus vero proximis ſæculis veluti faſcinatus fuit, anilibusque fabulis, ac deliris imaginationibus ſuis ita dementatus, ut ubique inſectari ſe lemures & ſpectra in animum induxerit, ſpiritusque defunctorum hominum undique vagari, & humanum genus perſequi ſomniarit: cuius credulitatis vix ullum apud veteres habetur veſtigium; nec ſupereſt ibi hodie gentium, ubi vana deſiit perſuaſio. Ceſſant fumigare rogi ad exterminium miſerarum perſonarum, quas propria exagitavit phantaſia,

hyſte-

hyſtericaque paſſio; nihil iam divitiarum, præterquam ſi hebetudo cum perverſitate, & deſperatione mentis coniuncta in transverſum egerit, a paupere ſperatur diabolo, nihil ab eo opis vel auxilii petitur, qui mendax ab initio nil niſi humanum exitium, nil niſi præſtigias, fraudes, & dolos molitur impoſtor, ac irreconciliabilis hoſtis.

Sed vel hinc cautos nos præſtare debemus divino moniti oraculo, funeſtisque inde a proto-parentibus noſtris exemplis, atque auctoritate omni retro ætate graviſſimorum virorum ac primævæ præſertim Eccleſiæ Patrum; quorum innumera quidem adduximus teſtimonia, ut tamen multo adhuc plura recenſeri potuiſſent, adeo eorum ſcripta ſunt referta ſalutaribus monitis ac præceptis; ut periculoſum perinde ſit & temerarium refragari, ac omnia ea

perfricta negare fronte, quæ craſſis noſtris non percipimus ſenſibus, nec corporali obtutu, aut humano aſſequimur captu perceptioneque.

Ob oculos pono ipſo in ingreſſu uno veluti conſpectu Syllabum huius commentarii, cui in fine iunguntur omnia ea ſcripturæ ſacræ loca, ad quæ in ipſa tractatione provocavi, atque ex SS. Patrum ſententia ſum interpretatus ad mentem uſumque conſtantem Eccleſiæ, cuius iudicio committo, quidquid eſt argumenti.

SYLLABUS

DE DÆMONURGIA, ET RELICTA CONTRA EAM A CHRISTO IN SUA ECCLESIA POTESTATE.

CAPUT I.

De Energumenis, variis modis ac malis artibus, quibus ad tentandum, infeſtandum, fallendumque genus humanum utuntur cacodæmones.

1. Præſentis tractationis occaſio. 2. Inſtigante diabolo collapſum genus humanum in primis parentibus. 3. Antiquior de dæmonibus doctrina, etiam apud gentiles. 4. In ſacris ſcripturis exempla dæmonurgiæ. 5. Exemplum Chriſti. 6. Principes mundi huius, & rectores tenebrarum harum. 7. Quomodo diabolus eiectus eſt foras: 8. Quomodo ligatus? 9. Solvendus noviſſimis temporibus: 10. Hoſtis ſemper formidandus: 11. Ad luctam relictus. 12. An malus cuique homini adhæreat genius? 13. Humani generis hoſtes, caro, mundus & dæmon; 14. A cuius inſidiis nemo ſecurus eſt, 15. Ut tamen in noſtra ſit poteſtate: 16. Quocum ſemper pugnandum. 17. Traditus ſatanæ iuxta apoſtolum, ipſique angelus ſatanæ datus, qui eum colaphizet. 18. Sic ad bonorum profectum ſunt dæmonum inſultus, 19. In quantum Deus permittit. 20. Unde & in oratione dominica liberari a malo petimus. 21. Dæmon, caro, mundus hoſtes coniurati. 22. Omnes infeſtationibus diaboli obnoxii, etiam boni, 23. Et religioſi homines, 24. Quique cumprimis pietati ſanctitatique ſtudent; 25. In extremo præcipue mortis agone. 26. Diabolus an, aut quomodo omnium malorum cauſa? 27. Quomodo in animum ſeſe inſinuet, cogitationesque noſtras; 28. Phantaſiamque & paſſiones moveat, 29. Atque ad vitia inclinet, 30. Et a bono ad malum trahat. 31. Variis modis corporaliter infeſtati homines, 32. Et obſeſſi; 33. Infantes, 34. Adulti Chriſtiani 35. Miſere agitati. 36. Energumeni a Clero, ſacris, ipſoque baptiſmo quare & quomodo arcebantur? 37. Quomodo in corpus agant dæmones? 38. Diabolica phantaſmata, ſpectra. 39. Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis. 40. Loca a dæmonibus infeſtata. 41. Dæmones aereæ poteſtates. 42. An meteora producere poſſint? 43. Deo permittente corporis valetudinem vitiant morbis aliisque malis; 44. Verbera, vulnera inflixerunt; 45. Ac mortem ipſam. 46. Magia quidem ſoluta per Chriſtum, iuxta SS. Patres; 47. Eiusque fallacia demonſtrata, 48. Ac impia ſuperſtitio. 49. Strigum ludibria, 50. Somnia, 51. Phantaſticæ metamorphoſes. 52. An dæmones meris nobis illudant præſtigiis? 53. Maleficia in corpore humano & alibi; 54. Philtra; 55. Faſcinationes, 56. Imprecationes, 57. Incantationes, ligaturæ, phylacteria, 58. Necromantia, 59. Divinationes, obſervationes vanæ, 60. Sortilegia, 61. Incaſſum prorſus ad theſauros eruendos: 62. Cum diabolus nocere tantum intendat impia ſuperſtitione; 63. A qua tantopere cavendum. 64. Ne tamen in alterum incredulitatis extremum prolabamur.

CAP.

CAPUT II.

De exorciſmorum in Eccleſia virtute, variisque excludendi dæmones ac eorum infeſtationes modis.

1.

De dæmonurgia communis SS. Patrum ſententia. 2. Poteſtas eiiciendi dæmones iuxta Evangelium, 3. Teſtimoniis a primis Eccleſiæ ſæculis demonſtrata. 4. Exorciſmi. 5. Exorciſtæ. 6. Promiſcuus a primis ſæculis exorcizandi uſus fidelium. 7. Statæ exorciſmorum formulæ. 8. Varia diſciplina circa SS. Euchariſtiam contra dæmonurgiam. 9. Exorciſmus in nomine Dei, 10. In nomine Chriſti Domini, 11. Et Salvatoris IESU, 12. Crucifixi. 13. Crucis ſigno pelluntur dæmones, 14. Phantaſmata fugantur, 15. Exploſæ magicæ præſtigiæ. 16. Crucis munimen in confeſſione chriſtiana, 17. In tentationibus variis. 18. Frequens S. Crucis uſus privatus & publicus in Eccleſia. 19. Exorciſmus aquæ, 20. Cum ſale; pulvere, oleo. 21. Unctio olei. 22. Campanæ. 23. Thymiamata, ac diverſarum rerum exorciſmi, 24. Eulogia; 25. Sufflatio, inſputatio. 26. Verberibus pulſi dæmones, 27. Aut increpando, 28 Cum indignatione iuſta; 29. Soloque imperio, 30. Contactu, 31. Impoſitione manuum; 32. Sola etiam præſentia Sanctorum, aut rerum ad eos pertinentium; 33. Ad Sanctorum lipſana, 34. Angelorum cuſtodia, 35. Deique genitricis MARIÆ tutela; 36. Per ſancta Evangelia, 37. Orationem, 38. Cum ieiunio & eleemoſyna: 39. Humilitate item ac reliquo virtutum agmine. 40. Remota triſtitia ac pavore animi, 41. Cum armatura autem fidei iuxta apoſtolum, 42. Dum eius monitu reſiſtimus fortes in fide: 43. Procul amandata omni incredulitate: 44. Ne fiant noviſſima hominis illius peiora prioribus; 45. Cuius glorioſus eſſe debuerat in Chriſto, devicto hoſte, triumphus. 46. Circumſpecta, abiectis circa dæmonas erroribus, cautio; 47. Vigilantia item cum certa in Chriſtum fiducia.

DE

DE
DÆMONURGIA
ET RELICTA CONTRA EAM
A
CHRISTO IN SUA ECCLESIA
POTESTATE.

CAPUT I.

De Energumenis, variisque modis, ac malis artibus, quibus ad tentandum, infeſtandum, fallendumque genus humanum utuntur cacodæmones.

I.

Occaſio operis.

Tantis hodie motibus dæmonurgia agitatur, ut e re ſit, doctrinam Eccleſiæ in ſacra liturgia perpetuo aſſertam ex ſacra ſcriptura & traditione conſtanti ſanctorum Patrum ob oculos ponere.

Inſtigante diabolo collapſum genus humanum in primis parentibus.

II. Ac quidem de diaboli ſummis conatibus atque malevolentia erga genus humanum a Deo conditum nullus dubio locus eſſe poteſt, utpote qui in ipſum Deum, ſuperbum & rebellem ſe exhibuit. „Qualis enim (ſunt S. Ambrosii verba in Pſalm. 118. T. II. p. 603.) adverſum ſervulos Dei poteſt ſuperbus eſſe, qui adverſus Deum ſe exaltat, & dicit: *In cœlum aſcendam: ſuper ſidera cœli ponam ſedem meam; ſedebo in monte excelſo, ſuper montes altos, qui ſunt ab Aquilone: aſcendam ſuper nubes,*

& ero similis Altissimo. Quid igitur mirum, si gravare homines possit, qui pervicaci spiritu nec Deo cedit?" Prima statim veteris Testamenti pagina exponit deplorandum illum, nobisque pariter funestum, primorum parentum nostrorum lapsum, astu ac invidia antiqui serpentis decepta matre nostra Eva. „Lividus ille criminator (ut cum S. Zenone *Veronensi* lib. I. Tr. 12. de Spiritu S. loquar) qui, quod sensim serpat, serpentis nomen accepit, detestabili accensus invidia, eum, qui per se non valebat, aliena forma blanditus per mulierem, transgressionem præcepti Dei persuadendo miserabiliter iugulavit: & exinde hæreditaria conditione confectum, uniformiter interibat omne genus humanum." Sic enimvero diro huic hosti obnoxii facti, a Christo quidem liberati sumus, ut tamen ab eius astutia & insidiis tanto minus tutos nos præstemus, quo magis earum sumus incurii. *Timeo autem*, inquit apostolus, *ne sicut serpens* Hevam *seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Id quod sciolis hodie accidit illis, qui susque deque habita doctrina scripturæ & traditionis, fascinantur ab ipso illo *sophista mortis* (apposite S. Gregorius *Nazianzenus* diabolum compellat in carmine CXCIII. *de bello quod movent dæmones*, quod legitur in novissima Bibliotheca PP. quæ prodit *Venetiis*) ut diabolum ante tempus rebus humanis excludant tantum opinione sua, non vero fide & virtute Christi, ut præscribit liturgia. Aliter omnino Origenes in illo ipso opere, quo creationem mundi, qualis a Moyse describitur, non esse ad litteram accipiendam statuit, sciscit, peculiare caput secundum lib. III. de Principiis, inscriptum *de contrariis potestatibus* ita exorsus: „Videndum nunc est secundum scripturas, quomodo contrariæ virtutes, vel ipse diabolus reluctantur humano generi provocantes & instigantes ad peccatum. Et primo quidem in *Genesi* serpens Evam seduxisse scribitur: de quo in Ascensione Moysi, cuius libelli meminit in epistola sua apostolus Iudas, Michael archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi, ait a diabolo inspiratum serpentem causam extitisse prævaricationis Adæ & Evæ."

T. V. Bibl. PP. edit. Venet. pag. 125.

2. Cor. XI. 3.

T. VI. pag. 403.

T. I. Opp. p. 138.

Antiquior de dæmonibus doctrina, etiam apud gentiles.

III. Pergit Origenes post apocryphum illum librum, græce ἀνάληψις seu ἀνάβασις Μωύσεως inscriptum, veteris & novi Test. accumulare testimonia in eam etiam sententiam, quam alibi astruit, *ex angelorum cum mulieribus coitu, dæmones natos*, ut rem exprimit S. Iustinus M. S. Irenæus vero *Temporibus* Noe, inquit, *iuste diluvium inducens* (induxit Deus) *uti extingueret pessimum genus eorum, qui tunc erant hominum, qui iam fructificare Deo non poterant, cum angeli transgressores commixti fuissent eis.* Add. nota in eundem locum, Millesii item ad S. Cyrilli *Hierosolym.* Catech.

Apol. I. p. 44

Lib. IV. contra hær. c. 36. p. 279.

Catech. II. demum P. *A. Auguſt.* TOUTTE'E diſſert. III. c. 5. *De Doctrina* S. CYRILLI: ubi magno numero loca ſcriptorum quatuor priorum eccleſiæ ſæculorum citat, qui cum diabolum ab initio & ante hominis peccatum lapſum eſſe fateantur; dæmones ex bonis angelis paullo ante diluvium duntaxat factos, & amore mulierum corruptos, felicitatem ſtatus ſui amiſiſſe docent. *p. 22. edit. Oxon. p. CLXIV.*

Hæc autem eo tantum a me afferuntur, ut pateat, ſicubi apud ſcriptores *Iudaicos* IOSEPHUM, PHILONEM, MAIMONIDEM dæmonibus qualiscunque demum naturæ tribuuntur malignitates, ex ſententia vero veterum philoſophorum PYTHAGORÆ, PLATONIS &c. atque ſecundum ſuperſtitionem gentilium vox *δαίμων*, *δαιμόνιον*, *vaga* quadam notione accipitur, id ſanæ de dæmonurgia doctrinæ necquicquam adverſari. Confuderint gentiles dæmones ac Heroas ſuos ſeu ſemideos, ipſosque deos; eorum ſub ſchemate cacodæmones cultos ab eis fuiſſe ſcriptura & SS. Patres uno ore fatentur. PYTHAGORÆ fuit ſententia, teſte DIOGENE *Laertio*, totum aëra plenum eſſe animis, eosque & dæmones, & Heroas exiſtimari, atque ab his hominibus immitti ſomnia, & ſigna, atque morbos, neque ſolum hominibus, verum & pecudibus ac iumentis reliquis: tum etiam ad hos referri luſtrationes, & expiationes, divinationem omnem & vaticinia, & cætera id genus. Multa eam in rem B. THEODORETUS ſermone *de angelis, diis, dæmonibus* ex philoſophis colligit, PORPHYRIO imprimis, *peſſimos dæmones ſibi deos feciſſe, magicasque impoſturas ab eis perdoctos, ſacrificiis illos aliisque ritibus coluiſſe.* Facit huc eiusdem Sermo VII. *de Sacrificiis*, tum X. *de veris & falſis Oraculis.* De dæmonibus prope exordium ſic effatur: „Relicta enim, quam ſortiti fuerant, ſtatione, & mitiſſimum creatoris fugientes dominatum, tyrannidem rapuerunt, divinumque nomen involantes, Deos ſe ſe ipſi appellarunt, & divinum ſibi cultum ut tribuerent, ſtultis hominibus perſuaſerunt. Deinde ut arreptam tyrannidem confirmarent, futura etiam ſe noſſe, ac prædicare gloriati ſunt, faciles captu homines hac potiſſimum ratione in fraudem impellentes. Quamobrem fallaciæ officinas ubique terrarum erexerunt, & divinatorias præſtigias excogitarunt, eorumque, qui ex farina, ex pectore, ex mortuis vaticinantur, & Caſtaliæ fontem &c. Fuiſſe vero (pergit) hæc oracula malignorum dæmonum, qui Dei ſibi nomen uſurparant, ſatis magno eſt argumento taciturnitas, qua nunc premuntur. Etenim poſtquam Salvator noſter in carne apparuit, fugam arripuerunt, qui hos dolos hominibus invexerant, divini luminis ſplendorem ferre non valentes.“ *Lib. VIII.* *T. IV. Opp. p. 516.* *Ib. p. 581. ſeq. p. 623.*

Citat deinde PLUTARCHI *de Oraculis, quæ defecerunt* librum: paſſimque ſancti Patres adveniente Chriſto amiſſam virtutem dominatumque in orbe

humano gentilibus obiiciunt. „ Priusquam enim (ut verbis utar S. Cyrilli *Alexandrini*) Verbum caro factum esset, ille dæmon, ille exitialis, ille draco, ille defector orbem terrarum occupabat, & creatura præ creatore & conditore adorabatur: at ubi factus est homo unigenitum Dei Verbum, omnis terra maiestate eius repleta est.“ *Iulius Firmicus* Maternus *de errore profanarum religionum*, a quo ipse ad religionem christianam conversus, commentarium hunc Constantio & Constanti Augg. inscripsit, huc oraculum *Isaiæ* XXVII. de interfecto dracone interpretatus: „ Mihi credite (ait) nihil prætermisit diabolus, quod hominem miserum aut debilitaret, aut perderet: ideo se se in omnes formas multiplici diversitate convertit; ideo se diversi generis calliditate composuit, ut variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimeret. Sacra sua perditus carnifex, pro nefas, per lignum semper renovari disposuit: ut quia sciebat ita fore, ut ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine stringeretur, ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet &c.“

Comment. in Esaiam lib. I. orat. IV. T. II. Opp. p. 103.

T. V. Bibl. PP. ed. Ven. p. 35.

In sacris scripturis exempla dæmonurgiæ.

IV. Accipitur huc etiam virga Moysis, qua in *Ægypto* portenta iussu Dei patravit, suisque præstigiis magi sunt æmulati. Ad rem ipsam vero, dum arte dæmonica factum est, perinde est, sive illusiones ac offuciæ tantum fuerint ex parte magorum, sive magorum virgæ revera conversæ fuerint in serpentes, ut post S. Augustinum S. Thomas rem explicat; alibi etiam de pythonissa Sauli Samuelem repræsentante agens; frustraque eam ob rem Origeni in 1. *Reg. XXVIII.* Eustatius *Antiochenus* dicam scripsit singulari *de Engastrimytho* disputatione. Quin imo inde, quod mulier Saulem erasisse magos & ariolos de terra dicat, palam fit, inter ipsos *Iudæos*, quo tempore cultum veri Dei sunt secuti, fuisse, qui artibus magicis essent dediti. Ne quid de Iosia rege dicam, qui, ut 3. *Reg. XXIII.* 24. laudatur, pythones & ariolos, aruspices item cum ceteris abominationibus gentium tulit, *incantationibus* (rem verbis S. Cyrilli *Alex.* in libro de recta in D. N. I. Ch. fide, inter acta Concilii *Ephesini* relato, exprimo) *& falsis divinationibus omnibus e medio sublatis ac inanibus dæmoniacæ impostura ludibriis profligatis, regnum apprime nobilitatum summaque apud veteres ac recentiores omnes, qui ea, quibus divina mens oblectatur, colere didicerunt, laude & admiratione dignum reliquit.* S. Gregorius in illud *Iob* II. 7. *Circuivi terram, & perambulavi eam*: „ Ab Adam quippe (inquit) ad adventum Domini omnes post se gentium nationes traxit. Circuivit terram & perambulavit: quia per corda gentium iniquitatis suæ vestigia impressit. Cadens enim a sublimibus humanas mentes iure possedit,

De potentia q. 6. art. 5. ad 8. P. I. q. 89. & alibi.

1. Reg. 28, 9.

T. III. Conc. ed. Labb. p. 47.

poſſedit, quia in culpæ ſuæ vinculo volentes adſtrinxit: tantoque latius in mundo vagatus eſt, quanto a reatu quisque illius liber per omnia inventus non eſt. Cui quaſi ex poteſtate mundum circuiſſe eſt, nullum hominem qui ſibi plene reſiſteret, inveniſſe." Ideo mox de Iob dicitur, *quod non ſit ei ſimilis in terra.*

Facit ad præſens argumentum cumprimis Iobi hiſtoria, quidquid etiam in ea parabolicum eſſe videatur proſopopœicumque, aut abſonum in locutione Dei cum diabolo, quod S. Gregorius, & ante eum Eusebius *de incorporali & inviſibili Deo* (poſtquam etiam illud *Zachar.* III. quo diabolus Iesu ſummo ſacerdoti aſtitiſſe narratur, *ut adverſaretur ei*, expoſuerat) apte his verbis explicat: „Nec enim illud putemus, ſicut & putamus, quia & in Iob libro diabolus aderat ante conſpectum Dei, & locutio erat Dei cum diabolo ex æqualitate. *Et dixit Dominus, & dixit diabolus & interrogavit Dominus diabolum unde veniſti?* Sed hæc ad auditionem veſtram velut compoſita inducuntur. Totum autem illud eſt, quomodo Iob quidem erat vir irreprehenſibilis, diabolus autem invidus. Ad huiusmodi & Deus defenſor horum permiſit diabolum ante conſpectum ſuum. Sed hoc ita eſt. Vidit diabolus immaculatum: properavit imponere maculam. Quæcumque enim motiones erant diaboli adverſum Iob, hæc per ſermones contexuntur in ſcriptura; utpote ſic dicebat diabolus ad ſemetipſum: ſi non timerem Deum, tangerem omnia, quæ habet Iob: abſtulit ab eo Deus timorem, & non prohibuit. Contexitur iam compoſitio libri. Dixit diabolus, & dixit Deus. Hoc eſt, voluit diabolus, & non prohibuit Deus. Cur autem non prohibuit? quia non invidebat Deus athletæ coronam." *T. IV. Bibl. PP. ed. Ven. p. 499.*

V. Faceſſant, qui Dei ſanctitati non ſatis convenire exiſtimant, ut tentare permittat homines etiam ſanctos, Deoque charos, qualis erat Iob, cui, ipſo Deo teſtimonium perhibente, *non erat ſimilis in terra, homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo.* Et ſiquidem hoc Iobi exemplum appoſitum ſatis non videatur, maius proſtat ipſius Chriſti IESU filii Dei, qui ductus eſt *a Spiritu*, ſancto utique, *in deſertum, ut tentaretur a diabolo*, ad noſtrum ſcilicet exemplum & præſidium: ut nos ad pugnam cum adverſario excitaret, atque pro nobis ipſe triumpharet de hoſte, & qui in primo Adam vicerat, in ſecundo vinceretur; neque a nobis alienum exiſtimemus impugnari a diabolo, qui Chriſtum hominem exiſtimans, ſeu, an filius Dei eſſet, experiri cupiens, repetita pugna eſt aggreſſus. „Nam (ſunt S. Leonis P. verba) a quo dolos ſuos contineat, qui ipſum quoque Dominum maieſtatis auſus eſt callidita- Exemplum Chriſti. *Iob* 1, 8. *Matth.* 4. *Serm. XL. in Quadr. III. p.* 40.

tis ſuæ fraude tentare? Viderat ſuperbiam ſuam baptizati Domini IESU humilitate calcatam: intellexerat quadraginta dierum ieiunio omnem cupiditatem carnis excluſam, & tamen non deſperavit de artibus ſuæ malitiæ ſpiritualis improbitas, tantumque ſibi de naturæ noſtræ mutabilitate promiſit, ut quem verum experiebatur hominem, præſumeret poſſe fieri peccatorem. Si ergo ab ipſo Domino & Salvatore noſtro deceptionum ſuarum diabolus non revocavit inſidias: quanto magis fragilitatem noſtram impugnare præſumit, quos exinde vehementiore odio & invidia ſæviore perſequitur, ex quo ei in baptiſmo renunciavimus, & ab illa, cui dominabatur, origine, in novam creaturam divina regeneratione transivimus."

Nolim hic eam diſceptare controverſiam, quomodo aſſumpſerit diabolus Chriſtum in ſanctam civitatem, ſtatueritque ſuper pinnaculum templi, an per aërem, ut bonus angelus HABACUC crinibus arreptum a *Iudæa* in *Babylonem* in veteri teſtamento, in novo autem PHILIPPUM diaconum celerrime transtulit *Azotum*; an eo modo, quo apud eundem MATTHÆUM & LUCAM IESUS PETRUM & IACOBUM & IOANNEM aſſumſiſſe & duxiſſe in montem dicitur.

Act. 8, 39.

Matth. 17. *Luc.* 9, 28.

Ubi quod ſequitur, ad rem probe notandum, *conſummata omni tentatione diabolum* receſſiſſe *ab illo uſque ad tempus.* Quem in locum S. AMBROSIUS commentans „Prope omnium (inquit) criminum fontes hæc tria genera demonſtrantur eſſe vitiorum. Neque enim conſummatam omnem tentationem ſcriptura dixiſſet; niſi in his tribus eſſet omnium materia delictorum, quorum ſemina in ipſa origine ſunt cavenda." Id vero, quod additur, in iugi cum diabolo conflictu nos animare, ac vigiles reddere debet. „Vides ergo (pergit paullo poſt S. Pater) ipſum diabolum non eſſe in ſtudio pertinacem, cedere ſolere veræ virtuti. Et ſi invidere non deſinat, tamen inſtare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Audito itaque Dei nomine *receſſit*, inquit, *uſque ad tempus*; poſtea enim non tentaturus, ſed aperte pugnaturus advenit." Nempe alios ad perſequendum, crucifigendumque Chriſtum Domini inſtigaturus, cuius rei exemplum, iam morti tradito Chriſto, addit ORIGENES citato paullo ante loco: „Per contrariam vero (inquit) diaboli virtutem memoriæ Pontificum & Scribarum putandum eſt ſuggeſtum illud, quod venientes ad PILATUM dixerunt: *Domine recordati ſumus, quomodo ſeductor ille dixit, dum adhuc viveret, quia poſt tertiam diem reſurgam.* Sed & IUDAS, quod de proditione Domini Salvatoris cogitavit, non fuit a ſola mentis eius malitia veniens. Teſtata eſt enim ſcriptura, quia *diabolus iam miſiſſet in cor eius, ut traderet eum.* Propter quod & SALOMON recte præcepit, dicens: *Cum diligentia ſerva*

n. 35. *T. II. Opp. p.* 835.

n. 36. *T. I. Opp. p.* 241.

cor

cor tuum. Et PAULUS apoſtolus ait: *Amplius debemus intendere his, quæ audivimus, ne forte effluamus.* Et cum dicit: *Nolite locum dare diabolo,* oſtendens per hoc, quia certo opere, vel certa quadam deſidia animi locus diabolo datur, ut ſi ſemel ingreſſus fuerit cor noſtrum, aut obtineat nos, aut certe vel polluat animam, ſi non penitus obtinere potuerit, cum ignita ſua iacula iactat in nos: quibus aliquando quidem in altum deſcendente vulnere ſauciamur, aliquando vero tantummodo inflammamur. Raro certe & paucis quibusdam hæc eius ignita iacula reſtinguuntur, ita ut locum vulneris non inveniant, id eſt, cum quis munitiſſimo & validiſſimo ſcuto fidei fuerit obtectus: *Quia non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus:* *Epheſ. 6, 12.*
ita oportet intelligi, quod dixit, *nobis*: id eſt, mihi PAULO, & vobis *Epheſiis*, & quibuscumque non eſt colluctatio cum carne & ſanguine. His enim certamen eſt adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi huius rectores tenebrarum, non ſicut erat *Corinthiis*, quibus certamen adhuc adverſus carnem & ſanguinem erat, quos tentatio non apprehenderat niſi humana.“ At in agone chriſtiano quis adeo perfectus ſit, ut, ſicut Chriſtum, non audeat ſatanas aggredi tentatione carnis, ſeu interna, ſed externa tantum. Ex athletis Chriſti fortiſſimus erat PAULUS, cui tamen adhuc datus eſt ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui eum colaphizet. Sic econtra intelligitur illud Chriſti: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* *Io. 14, 30.*

VI. Alibi equidem dixit Chriſtus, nunc principem huius mundi eiiciendum foras, quin tamen nos contra eius inſidias reddiderit ſecuros, ut ex apoſtolo modo audivimus, eſſe nobis colluctationem *adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum.* Eiusque fidelis comes in apoſtolatu S. BARNABAS ſimiliter nos in ſua epiſtola monet: *Cum ſint ergo dies nequiſſimi, & contrarius habeat huius ſæculi poteſtatem, debemus attendentes inquirere æquitates Domini.* Et S. IGNATIUS M. qui in epiſtola ad *Epheſios* n. 19. dicit *principem huius ſæculi* latuiſſe MARIÆ virginitatem, *Philadelphenos* hortatur: *Fugite igitur malas artes, & inſidias principis huius ſæculi; nequando ſententia ipſius oppreſſi, in caritate langueatis.* S. IRENÆUS in libris contra hæreſes multis perſequitur deliria hæreticorum, qui anteſignano SIMONE *mago* poſt mortem tamen apoſtolorum catervatim proruperunt, uni Creatori cœli & terræ varios Eonas, ac demiurgos opponentes. Inter hos quidem celebrior poſt alios MARCION medium inter Deum inviſibilem, creatoremque mundi viſibilem iuſtum, diabolo maligno tribuit locum iuxta TERTULLIANUM, qui *munditenentem,*

Principes mundi huius, & rectores tenebrarum harum.

T. I. Pat. apoſt. p. 56.
Ib. T. II. p. 16.
Ib. p. 32.

ac

p. 484. ac ſocias poteſtates *munditenentes* ex mente *Marcionitarum* vocat lib. V. c. 18. S. PAULI vindicans *Epheſ.* VI. 12. modo citatum locum, quem præ oculis habens TERTULLIANUS: „Sed (ait) adverſus munditenentes luctatio ſi nobis, o quanti iam dii creatores! cur enim non & hoc vindicem, unum munditenentem nominari debuiſſe, ſi creatorem ſignificabat, cuius eſſet, quas præmiſit poteſtates? Porro cum ſupra quidem induere nos iubeat armaturam, in qua ſtemus ad machinationes diaboli? Iam oſtendit diaboli eſſe, quæ diabolo ſubiungit, poteſtates & munditenentes tenebrarum iſtarum, quæ & nos diabolo deputamus."

Lib. I. de princ. c. 5. T. II. Opp. p. 246. Dubitat equidem ORIGENES, an princeps huius mundi diabolus ſit, ſive quis alius; ſed id eo modo intelligi poteſt, quo S. CHRYSOSTOMUS ſingulari homilia diſputat *adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas &c.* non quod non præſint malitiæ humanæ, omnique conatu incumbant ad vias Domini rectas ſubvertendas, homines in tentationem inducendo: „Iactante animas ſatana (ut cum S. MACARIO loquar) & *Hom. I. T. I. Opp. p. 73.* cribrante cribro, hoc eſt, rebus terrenis, omne genus humanum peccato obnoxium a tempore lapſus ADÆ, qui transgreſſus mandatum in principis malitiæ poteſtatem venit. Qua ille accepta perpetuis fraudum & perturbationum cogitationibus cribrat, & collidit cribro terræ omnes filios huius ſæculi. Quemadmodum enim in cribro triticum a cribrante allidi-tur, & in eo agitatum continue convertitur: ſic princeps malitiæ terrenis rebus detinet homines, iisque eos agitat, conturbat ac commovet, & ut allidantur cogitationibus vanis, cupiditatibus turpibus, ac vinculis terrenis & mundanis, efficit, absque ulla intermiſſione captivans, perturbans, & ineſcans omne genus ADÆ peccato obnoxium: quemadmodum Dominus apoſtolis futuram principis nequitiæ adverſus eos inſurrectionem prædixit: *Luc. 22, 31. Expetivit ſatanas vos ad cribrandum ſicut triticum &c.*" Idem in libro *de Patientia & Diſcretione* c. 3. quomodo diabolus princeps huius mundi ef-*T. II. Opp. p. 72.* fectus ſit, in eandem declarat ſententiam: „Cum decepiſſet (inquit) ADAMUM inimicus, & ſic eum Domino ſuo ſubiugaſſet, eripuit ei, quam prius habebat, poteſtatem, ita princeps huius ſæculi declaratus eſt. Princeps ſiquidem huius ſæculi, & dominus omnium viſibilium homo ab initio fuerat a Deo conſtitutus. Non enim ipſi prævalere ignis poterat, non eum aqua demergere, non illi fera nocere, non ſuum in eius membra venenum noxium quodvis animal diffundere. Ex quo autem deceptioni ſuccubuit, prodidit deceptori principatum ſuum. Propter quam cauſam magi & præſtigiatores, per adverſariam efficaciam mira Deo ſic permittente operantur, venenatis dominantes beſtiis, ignemque, &, aquas ſine noxa ſubeuntes,

ut

ut IANNES & MAMBRES adverſarii MOSIS: ut SIMON principi apoſtolorum PETRO ſe ſe auſus eſt opponere."

Aliam huius principatus cauſam & originem prodit S. GAUDENTIUS *Brixienſis*: „Diabolus huius mundi princeps uſurpatione dicitur, non natura. Etenim ſeducens humanum genus, ut derelicto Deo ipſum ſatanam per ſimulacra coleret manufacta, principatum violenter tenuit, & exercuit tyrannidem in tantum, ut venientem verum principem ſuum non recognoſceret mundus, ipſius quippe diaboli præſtigiis obcæcatus. *Nam in hoc mundo erat Chriſtus*, ut evangeliſta teſtatur, *& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui non receperunt eum.* Paſſus eſt ergo Dominus ſe huius mundi iudicio iudicari, ad hunc hoſtem generis humani præcipitandum, ſive expellendum." S. AUGUSTINUS Enarrat. in pſal. CXLI. ſic explicat, quis ille mundus ſit, cuius rectores ſint dæmones, ut palam fiat, quomodo etiamnum ſint principes mundi, & rectores tenebrarum harum: „Cœlum & terra mundus dicitur, & homines mali mundus. Quare & iſti mundus? Quia diligunt mundum: & ideo tenebræ, quia impii. Ideoque iam ex ipſo numero credentibus multis, quid dicit apoſtolus? *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Antequam eſſetis ergo lux, cum tenebræ eſſetis, attendite, quem rectorem habuiſtis. Quem rectorem habent iniqui, niſi diabolum, quomodo pii & fideles rectorem habent Chriſtum. Ergo diabolum & angelos eius rectores mundi appellavit, id eſt rectores dilectorum mundi, rectores peccatorum, quod eſt tenebrarum harum: ipſos habemus inimicos, a quibus debemus deprecari Dominum, ut eruamur." Et paullo poſt: „Non mundus, qui factus eſt per IESUM, ab illis principibus & poteſtatibus tenebrarum regitur; ſed mundus, qui non cognovit IESUM, id eſt dilectores mundi, peccatores, iniqui, ſuperbi & infideles. Unde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, & diligendo inhabitant mundum: quomodo domus dicitur, & fabrica, & inhabitantes." Non igitur abſolutum tenent principatum, aut vi noſtri dominantur: „Non quod hoc ſint, quod dicuntur (ut cum ELIA *Cretenſi* loquar) ſed quia nos ſponte noſtra, dum nos ipſos eis ſubiicimus, principes noſtros eos conſtituimus, quamvis alioquin a Domino Chriſto eos conculcandi poteſtatem acceperimus. *Ecce enim*, inquit, *dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones.*"

T. IV. Opp. p. 1585. ſeq.

T. IV. pag. 1585.

Comment. in orat. I. S Gregorii Naz.

VII. Eſt vero hic *Luc.* X. 19. locus: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit*: ut palam ſit, de illo ſerpente antiquo rem potiſſimum eſſe, qui

Quomodo diabolus eiectus eſt foras.

T. V. Bibl. PP. p. LI. qui etiamnum graſſatur ab origine mundi. Apud S. Iacobum *Niſibenum* ſerm. VI. *de Devotis* ita locus redditur ex *Armenico*: *Ecce do vobis poteſtatem calcandi omnes virtutes inimici.* „ Et manifeſtum faciunt ſcripturæ (pergit S. Pater) quod ſint ei exercitus & nequitiæ miniſtri; quibus ſicuti adverſus Iob poteſtatem ei fecit Deus, ut pugnaret; ita nunc eos dimittit ad currendum per hunc mundum, & bellum eius gerendum: tamen nequaquam bellat palam, quia data eſt poteſtas contra eum tempore adventus Domini noſtri; ſed rapiendo rapit, & furando furatur. " S. Cyrillus *Hieroſol.* Catech. III. de baptiſmo Chriſti in *Iordane* n. 1. p. 45. „ Draco (inquit) iuxta Iobum in aquis erat, qui *Iordanem* ore ſuo recipiebat. Cum igitur confringenda forent capita draconis, deſcendens in aqua alligavit fortem, ut acciperet poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. Nempe *proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.* Hæc Ioannes in *Apocalypſi*, qui brevius rem colligit 1. Epiſt. III. 8. *In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Et Paulus gratias vult agere *Coloſſenſes* Deo Patri, *qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis ſuæ . . . Et exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Ne vero videamur nos tantum otioſos ſpectatores eſſe debere, *Epheſios* hortatur: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.* Et mox *In omnibus*, inquit, *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quem utrumque apoſtoli locum copulans S. Zeno *Veronenſis* ad Neophytos poſt baptiſmum *de duodecim ſignis* ſc. Zodiaci: „ Is enim (commentatur) infelicibus nonnunquam immittit *Capricornum* vultu deformem, & per cornu exilioris labra liventia ſpumantibus venis ebulliens palpitante ruina captivi tota miſerabiliter per membra deſævit. Alios amentes, alios furioſos, alios homicidas, alios adulteros, alios ſacrilegos, alios avaritia efficit cæcos. Longum eſt ire per ſingula: varias atque innumerabiles nocendi artes habet, ſed has omnes ſalutari profluens amne non magnopere (*magno opere*) noſter *aquarius* delere conſuevit." Ad baptiſmi nimirum virtutem refert, poſtquam diabolo renunciavimus, & Chriſto nomen dedimus, qui devicit diabolum: „ Quid igitur ſtans (ait Cyrillus *Hieroſol.* Catech. I. Myſtag.) dixit veſtrum unusquisque? *Abrenuncio tibi ſatana:* tibi maligno ac diriſſimo tyranno. Non amplius ais, vim tuam formido,

Apocal. 12, 9.

Coloſſ. 1, 12. 13

2, 15.

Epheſ. 6, 11. v. 16.

T. V. Bibl. PP. p. 151.

p. 307.

formido : hanc enim diſſolvit Chriſtus, ſanguinis & carnis mecum particeps factus ; ut per hæc mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius eſſem ſervituti. *Abrenuntio tibi* callido & vaferrimo ſerpenti. *Abrenuntio tibi*, qui inſidiator es, & omnem ſimulatione amicitiæ iniquitatem peperiſti, priusque noſtris parentibus defectionem inſpiraſti. *Abrenuntio tibi ſatana*, cuiusvis improbitatis & auctori & adminiſtro.“ Hinc ſancti Patres ſtudioſe tempora ante & poſt Chriſtum, & perſonas ſeu homines a Chriſto alienos, vel ei per baptiſmum deditos diſtinguunt, quando de operationibus illuſionibusque dæmoniacis eſt quæſtio.

Auctor Quæſtionum & Reſponſ. ad orthodoxos inter opera S. IUSTINI ad hanc quæſt. LXXXI. „ Si ſeductio omnis Chriſti præſentia ſublata eſt, quomodo per eos, qui ventriloqui dicuntur, dæmones loquuntur? Quomodo autem non vilem & aſpernabilem efficiunt religionem chriſtianam, cum in corporibus Chriſtianorum & ſeductionis edunt opera, & divinationis proferunt reſponſa? *Reſp.* Si ſecundum ſcripturæ dictum : *Nondum omnia ei ſubiecta ſunt*, donec abrogaverit omnem principatum & poteſtatem; manifeſtum eſt, nondum ſublatam eſſe omnem dæmonum poteſtatem ; ſed qui in Chriſtum credunt, in his omnis dæmonum ſublata eſt ſeductio : qui autem nondum in Chriſtum credunt, in his dæmones ſeductionem operantur. Ac præſtigiæ, quibus ventriloqui utuntur, ut loquantur & agant divinationis opera & reſponſa, non ſunt vera corpora, ſed illudunt dæmones oculis ſpectantium, ut quæ non ſunt corpora, ea tanquam corpora videant.“ De quibus omnibus, circa ea etiam, quæ Chriſtianos ipſos attinent, atque in quæſtione quidem ponuntur, in reſponſione autem non attinguntur, ſingillatim, quid ſenſerint SS. Patres, paullo poſt exponemus : tum genuinus etiam S. IUSTINUS in Apolog. & dialogo cum TRYPHONE contra gentiles & *Iudæos* religionis chriſtianæ veritatem ex hac Chriſti contra dæmones victoria poteſtateque in Eccleſia relicta evincit, iuxta id Chriſti Domini effatum : *Nunc iudicium eſt mundi : nunc princeps huius mundi eiicietur foras.*

Append. T. 472.

Ioan. 12, 31.

S. GAUDENTIUS *Brix.* hic ſingularem vim notat in textu *græco* ſerm. ſingulari in hunc locum : „ Sive (inquit) expelletur foras, ut in *græcis* exemplaribus legimus. Erat enim paſſio Chriſti expugnatio futura diaboli.“ Et paullo poſt : „ Significanter plane in *Græco* poſitum eſt ἐκβληθήσεται ἔξω, id eſt *eiicietur*, ſive *expelletur foras*; ut etiam de animis credentium iam cœleſtibus, tanquam de cœlis, noſceretur eſſe pellendus ; ut ſcilicet expulſo eo, Chriſtus Dominus regnaret in nobis. Quapropter adiecit : *Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.*“ S. AUGUSTINUS in hunc locum commentans Tract. LII. in IOAN. quæſtionem movet : „ Numquid de cor-

Serm. XII.

T. III. P. II. Opp. p. 641.

dibus patriarcharum & prophetarum, veterumque iuſtorum non eiectus eſt foras? (reſpondetque:) Eiectus eſt plane. Quomodo ergo dictum eſt, *nunc eiicietur foras?* Quomodo putamus, niſi quia tunc, quod in hominibus pauciſſimis factum eſt, nunc in multis magnisque populis iam mox futurum eſſe prædictum eſt.“ Sed quomodo ex fidelium cordibus ſit eiectus audiamus, quid teneat ad propoſitum; „Quid ergo (ait) quispiam, quia diabolus de credentium cordibus eiicietur foras, iam fidelium neminem tentat? Imo vero tentare non ceſſat. Sed aliud eſt intrinſecus regnare, aliud forinſecus oppugnare: nam & munitiſſimam civitatem aliquando hoſtis oppugnat, nec expugnat. Et ſi aliqua tela eius miſſa perveniunt, admonet apoſtolus, unde non lædant, commemorat loricam & ſcutum fidei. Et ſi aliquando vulnerat, adeſt qui ſanat. Quia ſicut pugnantibus dictum eſt, *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis*; ita, qui vulnerantur, quod ſequitur audiunt, *Et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem IESUM Chriſtum iuſtum, ipſe eſt propitiatio peccatorum noſtrorum.* Quid enim oramus cum dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, niſi ut vulnera noſtra ſanentur? Et quid aliud petimus cum dicimus: *Ne nos inferas in tentationem*; niſi ut ille qui inſidiatur, vel certat extrinſecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos poſſit virtute ſuperare? Quantaslibet tamen adverſum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, eiectus eſt foras. *Sed niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilabit, qui cuſtodit.* Nolite ergo de vobis ipſis præſumere, ſi non vultis foras eiectum diabolum intro iterum revocare.“

Quomodo ligatus.

VIII. Supereſt iam alius, quo paſſim noviſſimis temporibus maxime abutuntur, locus in *Apocalypſi* IOANNIS XX. videntis *angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligavit eum per annos mille: & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.* Hunc locum præ oculis habens S. IRENÆUS vicem diabolo redditam declarat ob hominem olim in ſuam redactum poteſtatem: „Quoniam enim (inquit) in initio homini ſuaſit transgredi præceptum factoris, ideo eum habuit in ſua poteſtate. Poteſtas autem eius eſt transgreſſio, & apoſtaſia, & his colligavit hominem; per hominem ipſum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo ſolutus revertatur ad ſuum Dominum, illi vincula relinquens, per quem ipſe

Lib. V. contra hæreſ. c. 21. p. 319.

fuerat

fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio solutio facta est hominis, quoniam *non potest aliquis introire in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi primum ipsum fortem alligaverit.* Contraria ergo in sermone eius qui omnia fecit, Dei, traducens eum Dominus & subiiciens per præceptum; (præceptum autem Dei lex) fugitivum eum homo eius, & legis transgressorem, & apostatam Dei ostendens postea iam Verbum constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, & diripuit eius vasa, id est, eos, qui ab eo detinebantur, homines, quibus ipse iniuste utebatur. Et captivus quidem ductus est iuste is, qui hominem iniuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate, secundum misericordiam Dei Patris: qui miseratus est plasmati suo, & dedit salutem ei per Verbum, id est, Christum, redintegrans: ut experimento discat homo quoniam non a semetipso, sed donatione Dei accipit incorruptelam."

Sed quod ad priorem locum Christi apud IOANNEM diximus, hic etiam est rememorandum, otiosis nobis hæc non dici, certam autem in Christo manere de hoste victoriam, si strenue contra eum in acie steterimus; atque in vanum abire eius terriculamenta: quæ cum ex sacris paginis libro imprimis IOB exposuisset S. ANTONIUS (ipse haud raro expertus) in sermone, quem in eius vita descripsit S. ATHANASIUS: „Sed ne has quidem (pergit) eius phantasias oportet nos, qui fideles sumus, reformidare: nec eius attendere vocibus. Mentitur quippe, nihiloque prorsus veri loquitur. Nam licet talia & tam multa audacter locutus sit, quasi draco a Salvatore hamo tractus est; & quasi iumentum, capistrum naribus accepit; ac velut fugitivus nares annulo vinctas habet, & labia armilla perforata, ligatusque est a Domino tanquam passer, ut illudatur a nobis. Positi autem sunt cum ipse, tum socii dæmones, quasi scorpiones & serpentes, ut conculcentur a nobis Christianis. Cuius rei argumentum illud est, quod nos iam vitæ instituto ipsi adversario utamur. Nam qui minatus fuerat se exsiccaturum mare, & orbem terrarum comprehensurum, is iam non valet exercitationem vestram impedire, sed neque me contra se loquentem cohibere." *T. IV. Bibl. PP. p. 638.*

Dabitur deinceps occasio mentem ipsius S. ATHANASII explicandi circa hanc accisam diaboli potestatem; siquidem ipsi desides non simus, atque concessis nobis aversus eum armis auxiliisque strenue & intrepide utamur. „Sed hæc nos ipsos dicere convenit (ut cum S. CYRILLO *Alexandrino* loquar lib. II. in ISAIAM) & velut acclamare satanæ exigenti & urgenti, idque acriter. Oppugnat enim cuiusque mentem, eam ab optimis & honestis studiis, pietatis inquam & iustitiæ avertens, & vi quocunque lubet vel- *T. II. pag. 230. seq.*

ut auferens: & ceu rigidus quispiam exactor peccati assiduitatem & diligentiam requirens a singulis. Sed contrivit Deus iugum peccatorum, illud abiiciens, nosque magis suoipsius iugo supponens, & verberans gentem plaga insanabili. Quæ est autem, vel ubi prorsus est hæc gens dæmoniorum, quæ in abyssum ire iussit, & pœnas illas quidem graves inflixit? Clamabant siquidem ac dicebant: *Ah quid nobis & tibi, IESU Nazarene? Venisti huc ante tempus perdere nos?* Et postea lib. III. in illud *Luc.* X. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes &c.*" Calcatus est enim (inquit) draco apostata, & super aspidem & basiliscum incedimus, qui in auxilio altissimi habitare volumus, esseque in umbraculo Dei cœlestis, Christi videlicet. Vides, quomodo & a quibus teneatur vinculis Salvatoris colligatus dæmon, ut nempe penes nos sit, eum sic continere, ne nobis noceat, & a bono cohibeat.

Matth. 12, 26. Atque hac ratione secundum effatum Christi fortis ille a nobis alligatur, quo nos per Christum fortiores sumus. Protulit Christus non tam parabolam, quam verissimam rem ac historiam, cum a *Pharisæis* argueretur, quod in *Beelzebub* principe dæmoniorum eiiceret dæmonia, ut non solum retunderet blasphemiam, sed etiam se se ad destruendum regnum diaboli adveniſſe manifeste ostenderet plena in diabolum potestate, quam etiam suis discipulis dederat, ac post se reliquit. Unde dicit: *Si ego in in Beelzebub eiicio dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem in Spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet?* „Vide argumenti consequentiam, ac vim (uti rem declarat S. Chrysostomus in hunc locum) quod *non possit Satan Satanam eiicere*, ex præcedentibus liquet; quod autem non omnino possit quis illum eiicere, nisi primum superarit, apud omnes in confesso est. Quid igitur ex his conficitur? Quod prius dictum, sed longe validius. Tantum abest, inquit, ut adiutore utar diabolo, ut eum etiam impugnem & vinciam, cuius rei signum est, quod vasa eius diripiam. Vide quomodo contrarium quam illi supra statuere conabantur, demonstretur. Illi enim ostendere volebant, ipsum non vi propria dæmones eiicere; ille vero demonstrat, se non modo dæmones, sed illorum principem ligatum vi detinere, illumque priorem propria potestate vicisse, quod a rebus gestis comprobatur. Nam si hic princeps est, cæterique subditi, quomodo illo non victo, nec cedente, hi diriperentur? Hic vero videtur mihi prophetia esse quod dicitur. Neque enim modo dæmones vasa diaboli sunt, sed etiam homines, qui secundum ipsum operantur. Palam est igitur hic dici,

T. VII. p. 447.

eum

cum non dæmones ſolum eiicere, ſed etiam errorem ex toto orbe eliminaturum eſſe, diabolique præſtigias ſoluturum, & omnia, quæ illius ſunt inutilia redditurum. Neque dixit rapiet, ſed diripiet, declarans, illud cum poteſtate factum eſſe. Fortem autem illum appellat, non quod natura talis ſit. Abſit, ſed priorem ſignificans tyrannidem ex negligentia noſtra ſtabilitam.“ Alligavit igitur Chriſtus diabolum, ſicut deſtruxit peccatum, ut non iam contrito ſerpentis antiqui capite regnet, atque in Chriſto peccatorum noſtrorum veniam conſequamur: quæ cum nos quotidie accumulamus renati per Chriſtum, quomodo diabolus in malitia ſua obfirmatus quieſcet, deiectus licet ſuo dominatu, quem quam amplum ante Chriſtum tenuerint, res geſtæ loquuntur, paucis vero *Iob* XLI. 24. explicatur: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret.*

Aliter ſe vero iam res eius poſt Chriſtum habent, poſtquam eius vis eſt fracta, ac direpta vaſa, ita ut facillime a nobis ſuperetur, fortioribus nobis redditis; ut quemadmodum ille antea talis eſſet, ut nullum timeret, ita nunc tam imbecillis ſit, ut a nullo merito timeatur: ad hoc tantum relictus, ut a nobis illuderetur, vincereturque, quod quibus armis, quam facile fiat, poſtea explicabimus. Ideo enim (inquit S. Chrysostomus contra Ignaviam Hom. III.) illum hic eſſe ſivit, ut te fortiorem redderet, ut ſplendidiorem athletam faceret, ut maiora forent certamina. Si quis igitur dicat, cur diabolum reliquit Deus? Hæc illi reſponde, quia iis, qui vigilant, & ſibi attendunt, non modo nihil nocet, ſed etiam utilis eſt, non arbitrio ſuo, quod malum eſt, ſed illorum fortitudine, qui eius malitia, ut par eſt, utuntur. Siquidem & cum Iobo conflixit, non ut illum clariorem redderet, ſed ut ſupplantaret: ideoque malus eſt, quod tali ſit propoſito ac voluntate: attamen nihil iuſtum læſit; ſed hic potius lucrum ex tali pugna reportavit, ut iam oſtendimus: atque dæmon nequitiam, iuſtus vero fortitudinem exhibuit. At multos ſupplantat, inquies: ob illorum ſcilicet infirmitatem, non autem virtute ſua, ut iam pluribus demonſtratum eſt.“ S. Augustinus de iuſtis ac electis per Chriſtum in novo teſtamento verba faciens: „Non moveat (inquit) quod ſæpe diabolus ſeducit etiam illos, qui iam regenerati in Chriſto, vias ingrediuntur Dei. *Novit enim Dominus, qui ſunt eius*: ex his in æternam damnationem neminem ille ſeducit. Sic enim novit eos Dominus, ut Deus, quem nihil latet etiam futurorum; non ut homo, qui hominem ad præſens videt (ſi tamen videt, cuius cor non videt) qualis autem poſtea ſit futurus, ne ſe ipſum videt. Ad hoc ergo ligatus eſt diabolus & incluſus in abyſſo, ut iam non ſeducat gentes, ex quibus conſtat eccleſia, quas antea ſeductas tenebat,

T. II. p. 269.

Lib. XX. de Civ. Dei c. 7. T. VII. p. 582.

tenebat, antequam eſſet eccleſia. Nec enim dictum eſt, ut non ſeduceret aliquem, ſed *ut non ſeduceret*, inquit, *iam gentes*, in quibus eccleſiam procul dubio voluit intelligi: *donec finiantur*, inquit, *mille anni*, id eſt, aut quod remanet de ſexto die, qui conſtat ex mille annis: aut omnes anni, quibus deinceps hoc ſæculum peragendum eſt." Sequitur mox ſingulare ca-
lb. pag. 583. put VIII. *de alligatione, & ſolutione diaboli.* Ex quo auctor de promiſ-
pag. 123. ſionibus & prædictionibus Dei inter opera S. PROSPERI poſt Partem III. c. 4. *de diabolo ligato, & miſſo in abyſſum* hanc notabilem adducit ſententiam verbis paullulum immutatis: „Quantæ autem virtutis, ut ait beatæ memoriæ AUGUSTINUS, pollebunt tunc Sancti, qui luctaturi ſunt cum diabolo ſoluto, cum quo ligato tantis periculis dimicatur."

Solvendus noviſſimis temporibus. *T. I. Opp. p. 1115.*

IX. Id vero noſtris magis congruere temporibus, quod S. GREGORIUS M. lib. XXXIV. in IOB de ſuis dixit, ipſa mundi ſeneſcentis conditio comprobat: „Extrema mundi atrocius tentaturus aggreditur: quia tanto fit ferventior ad ſævitiam, quanto ſe viciniorem ſentit ad pœnam." Idem apud *Iob* XXIX. in ultima ſui parte ſermonis, ultimum tempus ec-
Lib. XIX. n. 15. T. I. p. 611. cleſiæ deſignari ratus eſt: „Quando (inquit) adverſarios ſuos, id eſt carnales quosque, vel hæreticos atque gentiles, quos nunc ſtudet ſapientiæ auctoritate comprimere, effrenata iactantia elatos cogitur irriſa tolerare. Unde in hoc quoque ſermone dicitur: *Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Et ipſa ordinis ratio expoſcit, ut per verba beati IOB ultima extremi ſanctæ eccleſiæ deſignentur dies, quando perſecutione creſcente, apertas hæreticorum voces tolerare compellitur, cum motus cordis ſui, quos nunc intra cogitationum ſinus contegunt, tunc in voce manifeſtati erroris aperiunt. Nunc enim, ſicut per IOANNEM dicitur, draco in abyſſo clauſus tenetur,
Apoc. 20, 3. quia diabolica malitia in eorum ſubdolis cordibus occultatur. Sed ſicut illic dictum eſt, educetur draco de puteo abyſſi: quia quod modo præ timore tegitur, tunc contra eccleſiam publice de iniquorum cordibus omne ſerpentinum virus aperitur." Non procul ab his abſumus temporibus, quando palam ac paſſim religio ſuperſtitio, irreligioſitas autem ac ipſa in Deum impietas religio prudentum habetur: dæmonque, quo remotior creditur a rebus humanis & abſtruſior, eo licentius periculoſiusque graſſatur, ac inſidiarum incurios incredulosque irretit.

Hoſtis ſemper formidandus. *Ser. XVIII. p. 182.*

X. S. GAUDENTIUS *Brixienſis* de toto illo tempore, quod a Chriſto ad conſummationem ſæculi intercedit, locutus „Feſtinat (ait) novis artibus variisque tentationum generibus ſupplantare homines, a quorum dominatu

in

in fine ſæculi ſubmovendum ſe penitus eſſe cognoſcit. Nam poſt adventum Chriſti duplicato contra homines furore ſuccenditur, ſciens, quia modicum tempus habet, ſicut ſcriptum de illo eſt.“ Ioanne nempe in *Apocal.* audiente vocem magnam in cœlo dicentem.. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quod modicum tempus habet.* Accipiuntur hæc de temporibus perſecutionum primis ac noviſſimis avolante eccleſia *in deſertum in locum ſuum, ubi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis a facie ſerpentis.* Palam S. Iustinus mox in exordio utriusque apologiæ, quas pro Chriſtianis ad Antoninum *Pium* & ſenatum *Romanum* miſit, pravis dæmonibus tribuit perſecutionem eccleſiæ: „Qui (ſenatum *Rom.* compellat) nobis offenſi ſunt, ac huiusmodi iudices in ſua poteſtate & cultui ſuo addictos habent, eos, utpote dæmoniis agitatos magiſtratus, ad necem nobis inferendam incitant.“ Et in illa ad imperatorem paullo poſt initium: „Quid hæc igitur (inquit) ſibi volunt? Erga nos, qui nihil mali facturos, nec impia illa opinaturos pollicemur, non iudicia examinatis, ſed affectu a ratione alieno, ac malorum dæmonum flagello agitati, animadvertere indicta cauſa parvi pendetis:“ Eadem hæc iterum iterumque ingeminat; ad rem autem cumprimis facit, quod poſtea de excitatis a dæmonibus Simone & Menandro hæreticis in medium affert: „Satis autem (ait) pravis dæmonibus non fuit, antequam Chriſtus apparuiſſet, filios illos inducere, qui ex *Iove* geniti inducantur; ſed poſtquam ille prodiit, atque inter homines verſatus eſt, cum, & quomodo a prophetis prænuntiatus eſſet, didiciſſent, ac illum in omni hominum genere credi & exſpectari cognoſcerent, rurſus, ut iam demonſtravimus, alios immiſerunt Simonem & Menandrum *Samaritanos*, qui magicis miraculis editis multos deceperunt, atque etiamnum deceptos tenent. Nam cum apud vos in regia urbe *Roma*, ut iam dixi, imperante Claudio Cæſare, Simon verſaretur, & ſacrum ſenatum & populum *Romanum* ita admiratione perculſit, ut Deus exiſtimaretur, & ſtatua velut alii, qui a vobis coluntur Dii, donaretur. Quapropter oramus ut & ſacrum ſenatum & populum *Romanum* una vobiscum huius noſtri ſupplicis libelli cognitores adſciſcatis, ut ſi quis eius doctrina implicatus ſit, veritate cognita, errorem poſſit effugere: & ſtatuam, ſi ita vobis placet, deiicite. Neque enim nullam eſſe ad impiorum ſupplicium conflagrationem perſuadere poſſunt: quemadmodum nec perficere potuerunt, ut Chriſti adventus lateret; verum id unum moliri poſſunt, ut qui præter rationem vivunt, & flagitioſe in pravis inſtitutis nutriti ſunt, & opinionum amatores ſunt, occidant nos & oderint.“

Apoc. 12, 12.

v. 14.

pag. 82.

pag. 46.

n. 56. p. 77.

Videtur hic etiam gentiles philoſophos indigitare. Ac CLEMENS qui-
pag. 467. ſeq. dem *Alexandrinus* notat eos lib. VI. *Stromatum*, qui dicunt philoſophiam eſſe profectam a diabolo. „Quomodo autem (ſubdit) in barbara philoſophia, ita etiam in *græca* ſeminata ſunt zizania: ab ipſo vero agricola zizaniorum: unde etiam & quæ ſunt apud nos, exortæ ſunt hæreſes pariter cum bono tritico & genitali.“ Manifeſte Chriſtus de zizaniorum agri-
Matth. 13. 39. cola *inimicus autem*, inquit, *qui ſeminavit ea, eſt diabolus.* Et alibi: *Qui*
Luc. 8, 12. *autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Apte hic interpreteris eos, per quos ſectas, ſchiſmata, ſeu diſſidia ſeminat in Eccleſia dæmon, cui nihil magis convenit, quam diſcordias inter domeſticos etiam fidei ſerere. „Quoniam
T. III. Opp. p. 851. invidia diaboli (ut cum S. AMBROSIO ad Augg. GRATIANUM, VALENTINIANUM & THEODOSIUM ep. 12. ſcribente loquar) nunquam quieſcere ſolet, inter ipſos Catholicos audimus crebras diſſenſiones eſſe, impacatamque diſcordiam.“ U-
T. II. p. 147. Add. eiusd. liber de paradiſo c. 12. niverſim vero idem enarratione in pſalm. XXXVIII. n. 6. „Non ergo dubites (inquit) quando aliqui tibi moleſti ſunt volenti ſervare iuſtitiam, miniſtros eſſe illius nequiſſimi peccatoris, qui omnium auctor eſt flagitio-
T. I. p. 194. ſeq. rum.“ Et eius diſcipulus S. AUGUSTINUS de Catechizandis rudibus: „Hæc
T. VI. Opp. p. 292. tene fixa in corde tuo, & invoca Deum, cui credis, ut tueatur te adverſus tentationes diaboli: & eſto cautus, niſi tibi aliunde hoſtis ille ſubrepat, qui ad ſolatium malevolentiſſimum damnationis ſuæ, cum quibus damnetur, requirit. Non enim per eos ſolos, qui chriſtianum nomen oderunt, & dolent eo nomine occupatum eſſe orbem terrarum, & adhuc ſimulacris & dæmoniorum curioſitatibus ſervire deſiderant, audet ille tentare Chriſtianos: ſed etiam per eos, quos paullo ante commemoravimus, de unitate eccleſiæ, velut putata vite, præciſos, qui hæretici vel ſchiſmatici dicuntur, conatur etiam id quidem interdum. Sed tamen id etiam aliquando conatur & per *Iudæos* tentare atque ſeducere. Sed maxime cavendum eſt, ne per homines, qui ſunt in ipſa catholica eccleſia, quos velut paleam uſque ad tempus ventilationis ſuæ ſuſtinet, unusquisque ten-
p. 295. tetur & decipiatur.“ Et paullo poſt ita concludit librum: „Tu ita credens iſta, cave tentationes (quia diabolus quærit, qui ſecum pereant) ut non ſolum per eos, qui extra eccleſiam ſunt, ſive pagani, ſive *Iudæi*, ſive hæretici, non te hoſtis ille ſeducat; ſed etiam quos in ipſa eccleſia catholica male viventes, aut immoderatos voluptatibus ventris & gutturis, aut impudicos, aut vanis curioſitatibus vel illicitis deditos, ſive ſpectaculorum, ſive remediorum, aut divinationum diabolicarum, ſive in pompa & typho avaritiæ atque ſuperbiæ, ſive in aliqua vita, quam lex damnat & punit, non eos imiteris: ſed potius coniungaris bonis, quos inventurus es facile,

facile, ſi & tu talis fueris, ut ſimul colatis & diligatis Deum gratis: quia totum præmium noſtrum ipſe erit, ut in illa vita, bonitate eius & pulchritudine perfruamur.“

Addam haud abſimilia S. Leonis ad Chriſtianos monita: „In hac autem dilectiſſimi, miſericordia Dei, cuius erga nos magnitudinem explicare non valemus, multa ſollicitudine præcavendum eſt Chriſtianis, ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eisdem rurſus, quibus renuntiaverunt, erroribus implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus, transfigurans ſe in angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, &, ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mærore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ſibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari. Habet enim multos ex eis, quos tenacius obligavit, aptos ſuis artibus, quorum ad alios decipiendos & ingeniis utatur & linguis. Per iſtos remedia ægritudinum, indicia futurorum, placationes dæmonum, & depulſiones promittuntur umbrarum. Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de ſtellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod eſt aut divinæ voluntatis aut noſtræ, indeclinabilium dicunt eſſe fatorum. Quæ tamen ut cumulatius noceant, ſpondent poſſe mutari, ſi illis quæ adverſantur, ſyderibus ſupplicetur. Unde commentum impium ſua ratione deſtruitur: quia ſi prædicta non permanent, non ſunt fata metuenda; ſi permanent, non ſunt aſtra veneranda.“ *Ser. XXVI. In nativ. D. VII.*

Ex ſententia S. Gregorii M. ab illis verbis capitis quadrageſimi *Iob* v. 10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum &c.* „Fideli famulo cunctas hoſtis callidi machinationes inſinuat (Deus) omne quod opprimendo rapit, omne quod inſidiando circumvolat, omne quod minando terret, omne quod ſuadendo blanditur, omne quod deſperando frangit, omne quod promittendo decipit.“ *Lib. XXXIII. in Iob T. I. p. 1055.*

XI. Quis enimvero ſibi ab infinitis tentationum huiusmodi tendiculis ſatis caveat, quæ & diverſitate & aſſiduitate ſua magis ſunt periculoſæ, niſi ſola in Deum fiducia, qui nobis ad luctam hoſtem hunc irreconciliabilem permittit quidem, „Sed quia miſericors Deus (idem S. paſtor nos iam ex apoſtolo 1 *Cor.* X. 13. fuerat ſolatus) probari nos permittit tentationibus, non reprobari, ſicut ſcriptum eſt: *Fidelis autem Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere:* citius nobis conſolationis ope ſuccurrit, Ad luctam relictus. *L. XXIV. p. 774.*

rit, & ſurgentes tentationum ſtimulos mitigat, impugnantesque ſe cogitationum motus interna pace tranquillat. Moxque anima immenſam de ſpe cœleſti lætitiam percipit, dum devictum malum reſpicit, quod toleravit, ut iure de hoc tentato liberatoque homine dici debeat: *Videbit faciem eius in iubilo: & liberavit animam ſuam, ne pergeret in interitum, ſed vivens lucem videret.*" S. CYRILLUS *Hieroſol.* Catech. VIII. *de Omnipotentia*, Deum ex tolerantia pati diabolum cum dixiſſet, „Principium enim eſt (addit) formationis Domini; factus, ut illudatur non ab ipſo, indignus eſt enim, ſed ab angelis, qui ab ipſo ſunt facti. Vivere vero ei indulſit duabus de cauſis: ut & ipſe maiori verecundia afficiatur ſuperatus, & homines coronis illuſtrentur. O ſapientiæ plenam providentiam Dei! quæ pravam illam voluntatem ad fidelium ſalutis inſtrumentum aſſumit. Ut enim inimica fratrum IOSEPHI voluntate ad exſecutionem conſiliorum ſuorum uſus eſt; fratremque ab eis ex odio venumdari ſinens inde occaſionem cepit, eum, quem volebat, regem conſtituendi: ſic diabolo luctari conceſſit, ut coronarentur ii, qui vincerent, & ut adepta victoria, ille quidem uti ab inferioribus devictus maiori dedecore cooperiretur; homines vero inſigniter nobilitarentur, eo, qui archangelus olim fuiſſet, triumphato." Et S. AMBROSIUS lib. IV. in LUCAM: „Vides (inquit) magnificentiam chriſtiani viri, qui certat cum rectoribus mundi: & licet conſtitutus in terris, adverſus ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cœleſtibus, animi virtute decernit. Non enim de terrenis contendimus, ut dimicemus in terra: ſed ſpiritalibus propoſitis præmiis, de regno Dei & Chriſti hæreditate neceſſe eſt ſpiritalia prius impedimenta ſuperentur. Corona propoſita eſt, ſubeunda certamina ſunt. Nemo poteſt, niſi vicerit, coronari: nemo poteſt vincere, niſi ante certaverit. Ipſius quoque coronæ maior eſt fructus, ubi maior eſt labor: *Arcta* enim *& anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam . . . lata vero & ſpatioſa, quæ ducit ad mortem.* Et ideo tentationem neutiquam timere debemus: eſt enim cauſa victoriæ, materia triumphorum."

pag. 122.

T. II. p. 835.

Sic equidem grave eſt ac moleſtum in hac miſera vita, ſemper contra hoſtem ſalutis noſtræ in acie ſtare ac dimicare; ſed certum nobis adeſt ſtrenue decertantibus divinum præſidium, certa, utut cruenta perſæpe videatur & difficilis ac anceps victoria. „Scimus quidem (nos ad pugnam animat S. LEO) quod ſicut IOANNES apoſtolus dicit, *Totus mundus in maligno poſitus eſt*: & inſidiante diabolo & angelis eius, in hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad ſuperna nitentem, aut adverſa terreant, aut ſecunda corrumpant: ſed maior eſt, qui in nobis eſt, quam qui adverſum nos eſt; & pacem cum Deo habentibus, ac ſemper Patri toto

Ser. XXV. in Natiu. D. V. p. 23.

corde

corde dicentibus, *Fiat voluntas tua*, nulla prævalere certamina, nulli poſſunt nocere conflictus. Accuſantes enim nosmetipſos confeſſionibus noſtris, & conſenſum animi carnis concupiſcentiis denegantes, inimicitias quidem adverſum nos eius, qui peccati auctor eſt, commovemus: ſed inexpugnabilem cum Deo pacem, gratiæ ipſius ſerviendo, firmamus, ut regi noſtro non ſolum obedientia, ſed etiam iudicio copulemur. Quoniam ſi in eadem ſententia ſumus, ſi, quod vult, volumus, & quod improbat, improbamus, ipſe iam pro nobis omnia bella conficiet, ipſe qui dedit velle, donabit & poſſe, ut ſimus cooperatores operum eius, & propheticum illud cum fidei exultatione dicamus: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

Quis vero de Deo optimo maximo noſtri tam amante dubitet, eum ſapientia ſua, omnia, ſi nos haud deſimus, bene vertere? S. Chryſoſtomus in libro *ad eos, qui ſcandalizati ſunt ob adverſitates &c.* varias accumulans cap. 12. quæſtiones „Cur hæreſes permittantur, qua de cauſa diabolus, qua de cauſa dæmones, cur homines improbi, & qui multos ſupplantant: & quod omnium eſt iſtorum caput, cur adveniat antichriſtus, qui tanta pollet ad decipiendum potentia, ut dixerit Chriſtus eum tanta præſtiturum, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi:“ Subdit: „At enim iſta quærenda non ſunt, ſed ſunt omnia incomprehenſibili Dei ſapientiæ committenda.“ Legatur nihilominus eius homilia: *Ad eos, qui obiiciunt, cur e medio ſublatus non ſit diabolus? & quod huius malitia nihil nos lædat, ſi attendamus &c.* S. Marci item monachi & eremitæ opuſc. IV. *de Baptiſmo* ab illa interrogatione: *Si liberati ſumus in baptiſmo, quamobrem non perſpicimus libertatis aerem, uti vident, qui decertant?* ſeqq.

T. III. Opp. pag. 494.

T. II. Opp. p. 260. ſeq.

T. VIII. Bibl. PP.

XII. Suo loco de baptiſmo tractantes veterum non paucorum Patrum ſententiam retulimus, cuique hominum a nativitate ſua ſpiritum adhærere nequam aſſerentium, qui per baptiſmum excludatur; ſed ut nunc diximus, ſuo tamen modo ad luctam reliquuntur (veluti etiam in renatis concupiſcentia) aut ut divinæ iuſtitiæ miniſtri. Origenes locum illum verſans apoſtoli: *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, illam apud veteres gentiles & philoſophos pervagatam opinionem, de qua plura in nota afferuntur teſtimonia, tangit, *humanam animam ſtatim ab ortu dæmonum ditioni eſſe ſubditam.* „Nos (addit) IESUS docuit, ne minimos quidem eorum, qui in eccleſia ſunt, contemnendos eſſe: *quia angeli eorum*, inquit, *ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Et propheta: *Caſtra metabitur angelus Domini*

An malus cuique homini adhæreat genius?

Hebr. 1, 24. L. VIII. contra Celſum n. 31, T. I. p. 767.

in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Itaque ne nos quidem inficiamur, multos esse in terra dæmones; at eos esse, & potestatem in malos habere propter eorum malitiam, contendimus; nihil vero posse in eos, qui *induerunt armaturam Dei*, & robur acceperunt ad *standum adversus insidias diaboli*, quique se ad pugnandum cum dæmonibus exercent." Sic S. Gregorio angeli Dei ad electorum adiutorium, dæmones ad probationem servire dicuntur in illud Iobi II. quo diabolus inter filios Dei adfuisse narratur: „ Inter filios Dei (inquit) adfuit, quia etsi ab illis in hac vita laborantibus auxilium pietatis impenditur; iste occultæ eius iustitiæ nescien-do serviens, ministerium exequi reprobationis conatur. Unde bene in libris *Regum* per prophetam dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium suum: & exercitum cœli a dextris & a sinistris eius, & dictum est: In quo decipiam* Achab, *ut ascendat & cadat in Ramoth Galaath? Et dixit alius ita, & alius aliter. Et egressus est unus & dixit: Ego decipiam* Achab. *Et dictum est: In quo decipies? Qui respondit dicens: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius.* Quid enim solium Domini, nisi angelicas potestates accipimus, quarum mentibus altius præsidens, inferius cuncta disponit? Et quid exercitus cœli, nisi ministrantium angelorum multitudo describitur? Quid est ergo, quod exercitus cœli a dextris & sinistris eius stare perhibetur? Deus enim, qui ita est intra omnia, ut etiam sit extra omnia, nec dextra nec sinistra concluditur. Sed dextra Dei angelorum pars electa, sinistra autem Dei pars angelorum reproba designatur. Non enim ministrant Deo solummodo boni, qui adiuvent; sed etiam mali, qui probent: non solum, qui a culpa redeuntes sublevent; sed etiam qui redire nolentes gravent." Ex sententia autem Origenis *unicuique duo assistunt angeli, alter iustitiæ, alter iniquitatis.* Quod repetit Hom. XIII. & XXXV. in eundem evangelistam. Varia in eandem ac contrariam etiam aliorum sententiam citat SS. Patrum loca Cotelerius in Hermæ Pastorem lib. II. Mandat. VI. ubi aperte duo genii cum homine esse dicuntur: *Unus æquitatis, & unus iniquitatis.*

Lib. I. in caput 2. Iob T. I. pag. 53.

Hom. XII. in Lucam.

T. I. Patr. apost. p. 93. 84.

T. I. p. 140. Ad quem auctorem etiam provocat Origenes lib. III. *de Principiis* n. 4. ubi observat cogitationes, quæ de corde nostro procedunt, vel quarumcumque rerum causarumque contemplationem „ quod aliquoties ex nobis ipsis procedant, aliquoties a contrariis virtutibus concitentur: interdum etiam a Deo, vel a sanctis angelis immittantur." Quæ singula cum locis sacræ scripturæ firmasset, addit: „ Sed & Pastoris liber hæc eadem declarat dicens, quod bini angeli singulos quosque hominum comitentur: & si quando bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint, a bono angelo suggeri dicit:

si

ſi vero contrariæ, mali angeli dicit eſſe inſtinctum. Eadem quoque BARNABAS in epiſtola ſua declarat, cum duas vias eſſe dicit, unam lucis, alteram tenebrarum, quibus & præeſſe certos quosque angelos dicit: viæ quidem lucis angelos Dei: tenebrarum autem viæ angelos ſatanæ. Nihil tamen aliud putandum eſt accidere nobis ex ipſis, quæ cordi noſtro ſuggeruntur bonis vel malis, niſi commotionem ſolam & incitamentum provocans nos vel ad bona, vel ad mala. Poſſibile autem nobis eſt, cum maligna virtus nos cœperit ad malum incitare, abiicere a nobis pravas ſuggeſtiones, & reſiſtere ſuaſionibus peſſimis, & nihil prorſus culpabiliter gerere. Et rurſum poſſibile eſt, ut cum nos divina virtus ad meliora probaverit, non ſequamur, liberi arbitrii poteſtate in utraque nobis ſervata." HERMÆ vero Paſtor, quem etiam CASSIANUS Collat. VIII. c. 17. & Coll. XIII. c. 12. & PROSPER contra Collatorem c. 30. citant, aliique a COTELERIO notati, ſic reſpondet interrogatus, quomodo ſciri poſſit, quod duo ſunt genii cum homine? „Audi (inquit) & intellige. Æquitatis genius tener eſt, lenis & verecundus, manſuetus & quietus. Cum ergo in cor tuum aſcenderit, continuo loquitur tecum de iuſtitia, de pudicitia, de caſtitate, de benignitate, de venia, de caritate, de pietate. Hæc omnia cum aſcenderint in cor tuum, ſcito, quod genius æquitatis tecum eſt: Huic ergo genio crede, & operibus eius. Accipe nunc & genii iniquitatis opera. Primum amarus, iracundus, & ſtolidus eſt; & opera illius pernicioſa ſunt, & evertunt ſervos Dei. Cum ergo in cor tuum aſcenderint hæc, intelliges ab operibus eius, hunc eſſe genium iniquitatis &c." S. BARNABÆ autem apoſtoli verba, quæ ſecundo loco citat ORIGENES in eius epiſtola, ita habent: „Duæ ſunt viæ doctrinæ ac poteſtatis; una lucis, altera tenebrarum. Differentia vero multa duarum viarum. Uni ſiquidem præpoſiti ſunt lucis conciliatores, angeli Dei; alteri vero angeli ſatanæ: ac ille quidem Dominus eſt a ſæculis in ſæcula; hic autem princeps temporis iniqui." Prolixius utriusque viæ greſſus deinceps proſequitur lucis & tenebrarum, Dei & diaboli ex ſententia S. IOANNIS 1. epiſt. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Et paullo ante v. 8. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* „Nihil enim non diaboli eſt (ut TERTULLIANUS, qui libro de Anima c. 39. nullum pœne hominem carere dæmone dicit, loquitur) „vel quidquid Dei non eſt, vel Deo diſplicet." Et alibi: „Non ergo natura optima ſunt iſta, quæ a Deo non ſunt auctore naturæ. Sic a diabolo eſſe intelliguntur, ab interpolatore naturæ. Alterius enim eſſe non poſſunt, ſi Dei non ſunt: quia æmuli ſint neceſſe eſt, quæ Dei non ſunt. Alius autem præter diabolum & angelos eius, æmulus Dei non eſt." Sed

T. I. Patr. Apoſt. p. 50.

De Spectaculis c. 24. p. 83.

De cultu feminarum c. 7. p. 155.

hæc

hæc cautius ob *Manichæos* & alios duorum principiorum etiam ante MANICHÆUM assertores ab aliis sunt tractata. Unum afferam locum S. IACOBI *Nisibeni* ex *arabicis* sermonibus, editionis *Romanæ* anni 1756. nuper in Bibliothecam veterum Patrum *Venet.* T. V. translatis, quorum sextus *de Devotis* inscriptus totus est de discretione spirituum ; ad rem vero sunt,
pag. LI. quæ differit n. 14. quomodo Spiritu sancto recedente diabolus intret, veluti de IUDA proditore constat *Ioan.* XIII. 2. diabolum misisse in cor, ut traderet Christum: & postea v. 26. post bucellam introisse in eum satanam. S. IACOBUM quoque audiamus: *Propterea, charissime, quando Spiritus abit ab homine, qui eum accepit, tunc pugnat diabolus cum illo homine, ut supplantet eum, & penitus separetur ab eo Spiritus sanctus. Nam quamdiu Spiritus est cum homine, timet accedere ad eum. Et vide charissime, quod Dominus noster, qui de illo Spiritu natus est, non fuit tentatus ab illo nequam, donec Spiritus, quem visibiliter accepit in baptismo lavacri, assumsit & duxit eum in desertum, ut tentaretur a diabolo. Hæc uniuscuiusque cura sit, ubi sentit animam suam ardere Spiritu, & cor suum incidere in solicitudines huius sæculi; illico sciat, quod Spiritus Dei non est apud ipsum, & ca-*
Act. 5, 3. *veat, ne supplantetur ab ipso.* Hinc PETRUS ad ANANIAM: *Cur tentavit*, ait,
Act. 26, 18. *satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto.* Et Christus PAULUM se mittere dicit ad gentes: ut convertantur a tenebris ad lucem, & de potestate satanæ ad Deum. Sic TICHONIUS cum *de septem regulis* primam posuisset de Domino & corpore eius, septimam addidit *de diabolo & eius corpore.*
Lib. III. de doct. christ. c. 37. „ Sicut ergo (inquit S. AUGUSTINUS in eas regulas) in prima regula, quam vocat de Domino & eius corpore, vigilandum est, ut intelligatur, cum de una eademque persona scriptura loquitur, quid conveniat capiti, quid corpori; sic & in ista novissima, aliquando in diabolum dicitur, quod non in ipso, sed potius in eius corpore possit agnosci, quod habet non solum in eis, qui manifestissime foris sunt, sed in eis etiam, qui cum ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur ecclesiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel a frumento palea ventilabro ultimo separetur.“

Humani generis hostes caro, mundus & dæmon.

XIII. Hinc, ut diximus, errores illi de duobus principiis seu supremis potestatibus, hinc etiam opinio satis olim apud gentiles vulgaris, mundum hunc indignum haberi, qui Dei providentia regatur: „Quia (inquit S. ATHENAGORAS Legat. pro Christianis n. 25.) profectæ a contrario dæmoniacæ motiones & operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, singulos & universos, privatim & communiter pro ratione materiæ & cognationis cum divinis rebus, intus & exterius movent; propterea nonnulli, quorum non levis existimatio est, nullo ordine hoc

uni-

universum consistere, sed casu temerario agi & ferri censuerunt." Sola autem nobis religio omnis mali originem in primo ADAMO per diabolum pessumdato, ostendit; & in secundo, seu Christo, remedium contra hæc mala aperit, & quomodo expugnari hostes tam interni quam externi, qui sunt caro, mundus, & dæmon, possint ac debeant, ostendit.

Ii vero, quos perplexos tenet, quod adhuc diabolum in rebus humanis grassari permittat divina providentia, ut etiam *Manichæismum*, atque pugnam inter divina attributa inclament, in seipsos, resque humanas reflectant animum, in quanta mala hostes, intestinus, & externus caro & mundus, diaboli in nostram perniciem socii fœderati & coniurati, Deo permittente, præcipitent. Quemadmodum vero unice nobis salutare est contra hos hostes manifestos, qui intus & foris continuo nos infestant, cautos nos præstare, & ad pugnam instructos, ita etiam, ac multo adhuc magis contra insidiatores occultos ac invisibiles: *Quoniam*, monente D. PAULO, *non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem; sed adversus principatus & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Verbum divinum, eiusque fideles interpretes non minus nos ad certamen contra hostes invisibiles dæmones, quam visibiles sensibilesque mundum & carnem provocant, armantque. Christus in parabola zizaniorum agri, *qui filii sunt nequam*, ad originem omnis mali respiciens, *Inimicus autem*, inquit, *qui seminavit ea, diabolus est.* Alibi evangelistæ & apostoli, & ad eorum ductum SS. Patres & Doctores christiani, quando nos imminentium nobis ab inimicis salutis nostræ periculorum ac insidiarum commonefaciunt, frequenter adeo diaboli mentionem iniiciunt, quam mundi & carnis: nunc hunc, nunc illum designantes hostem; alias in nostram perniciem conspirationem omnium & singulorum produnt.

Ephes. 6, 12.

Matth. 13. *Marc.* 4. *Luc.* 8.

Legi meretur integra S. MACARII *Ægyptiaci* homilia XXI. de duplici, quod Christiano incumbit internum & externum, certamine cum carne & mundo, ac medium quoddam cum diabolo; cuius satellites duo sunt mundus & caro iuxta S. BERNARDUM in serm. *de Discret. spirituum*, n. 2. 3. „Ut dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui huius mundi. Quisquis ergo (pergit) ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei: quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed (quod gravius est) animarum. Sed quoniam spiritualis omnium natura est, a sermonibus eorum cognoscemus eos, & quis spiritus sit, qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importune (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat: verbi gratia cum

T. VII. Bibliotb. PP. p. 86. *seq.*

Ser. XXIII. de diversis. T. III. p. 1131.

de cibo, de potu, de ſomno, ceterisque ſimilibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam modo inardeſcimus deſiderio; certum ſit nobis ſpiritum carnis eſſe, qui loquitur, & tanquam adverſarium repellamus eum, dicentes: *Vade retro ſatana, quoniam non ſapis ea, quæ Dei ſunt:* ſed magis ſapientia ſua inimica eſt Deo. Cum autem non de illecebris carnis, ſed de ambitione ſæculi, de iactantia & arrogantia ceterisque ſimilibus cogitatio vana verſatur in cordibus noſtris: ſpiritus mundi eſt, qui loquitur, longe pernicior hoſtis, & maiori ſollicitudine repellendus. Interdum vero ſatellitibus iſtis terga vertentibus, princeps ipſe habens iram magnam, tanquam leo rugiens inſurgit adverſus nos; cum videlicet non ad voluptatem carnis, aut ſæculi vanitatem, ſed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur &c. " Deinceps quonam modo malignorum illorum ſpirituum ſuggeſtiones abiicere debeamus ex regula S. BENEDICTI, in qua paſſim contra malignos ſpiritus animamur, quamque S. BERNARDUS profeſſus fuerat, potiſſimum oſtendit. „Avertentes (inquit) aures noſtras, ne audiamus ſanguinem, & ſapientiam, quam revelat caro & ſanguis: parvulos quoque *Babylonis* cogitatus, ſcilicet mundanos, ab ipſo initio tenentes & allidentes ad petram: ipſum etiam malignum cum tentationibus ſuis a conſpectu cordis noſtri abiicientes & deducentes ad nihilum." Sic ergo alligatur ſatanas, „Non (ut cum S. AUGUSTINO loquar) quia extra mundum miſſus eſt, quomodo quidam hæretici putant: ſed foras ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps eſt." Conſtans hæc ſemper fuit de tribus humani generis, ac ſalutis noſtræ hoſtibus theologia: novaque eſt doctrina, quæ iactatur inaudita ante ætatem noſtram (niſi apud eos, quos S. AUGUSTINUS notat) de detruſo ante tempus in barathrum diabolo, facta ad incurioſos nos, ſegnesque contra inſidias inimici reddendos. Vid. *Paralip.* de SS. PACHOMIO & THEODORO.

n. 5.

De agone chriſt. c. 1. T. VI. pag. 245.

Apud Bolland d. 14. Maii c. 3. n. 24. ſeq.

A cuius inſidiis nemo immunis eſt.

XIV. An fruſtra a D. PETRO apoſtolorum principe tam ſerio & graviter ſumus admoniti, id quod eccleſia quotidie nobis in divino officio acclamat: *Sobrii eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Suo edoctus damno id dicit, a magiſtro ipſe de ſua defectione ac ſociorum fuga fruſtra quidem præmonitus: *Simon, Simon, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Quis igitur tutum ſe exiſtimet quocunque ex ordine hominum, ſi ipſa Chriſti familia labaſcit. Unde S. CHRYSOSTOMUS potiſſimum etiam ſacerdotibus libro VI. *de Sacerdotio*, ſalutarem incutit timorem graviſſima oratione: „Ac ne putes (inquit) me rem oratione amplificare, neve quia hoc corpo-

1. *Pet.* 5, 8.

Luc. 22, 31.

T. I. p. 434.

re,

re, ceu quodam carcere incluſi, inviſibilium nihil prorſus cernere poſſumus, magna eſſe ducas ea, quæ a me dicta ſunt. Multo hac maiorem & horribiliorem pugnam videres, ſi caliginoſiſſimam diaboli aciem furioſumque conflictum oculis iſtis cernere poſſes. Non enim illic ferrum aut æs, non equi, currus & rotæ, non ignis & tela; non hæc viſibilia; ſed alia multo his terribiliora machinamenta. Adverſariis iſtis nihil opus eſt thorace, non clypeo, non enſibus & haſtis, ſed vel ſolus execrandæ aciei aſpectus animam diſſolvere poſſit, niſi admodum generoſa fuerit, &, præ virtute propria, multa fruatur a Deo providentia." Hæc, ut & reliqua, quæ non minus diſerte proſequitur lectu digniſſima, illis apprime ſunt conſentanea, quæ S. ANTONIUS abbas in tota illa perorat oratione, quam S. ATHANASIUS eius vitæ inſeruit, ſeorſim edita in noviſſima Bibliotheca PP. *Veneta*, quave monachos & eremitas a diaboli inſultibus & machinamentis cautos præſtare vult, tanto vehementiori aggreſſu, quo ſanctius eſt inſtitutum, atque adeo contra hoſtes ſalutis noſtræ fortius. Unde etiam S. BENEDICTUS cap. I. Reg. *de generibus monachorum* ſecundum genus anachoretarum, id eſt eremitarum deſcribens, *horum*, inquit, *qui non converſionis fervore novitio, ſed monaſterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorum ſolatio iam docti pugnare.* Ut adeo nulla ſit hominum conditio, a communis hoſtis humani generis inſidiis immunis. *Ex quo enim*, ſunt MACARII, viri ſanctiſſimi, atque in hac pugna experientiſſimi verba, *per transgreſſionem primam irrepſit in hominem malitia, liber aditus diabolo datus eſt ad animam quotidie alloquendam ut homo hominem, & ad eidem ſuggerenda abſurda.* S. GREGORIUS *Naz.* (ad ea, quæ cognominis *Romanus* pontifex libris moralium in IOB poſterioribus præſertim de ſatanæ noxiis in homines conſiliis copioſe differit, digitum ſolum intendo) carmine CXCIII. quod cum aliis noviſſime in Bibl. PP. *Ven.* prodiit, *de bello quod movent dæmones*, ad propriam etiam provocat experientiam, ad quam tunc demum animum adverterit, cum ſe totum Deo dederet, ſic orſus:

T. IV. p. 366. ſeq.

De libertate mentis c. 2. T. II. Opp. p. 182.

T. I. p. 1031. ſeqq.

T. VI. Bibl. PP. p. 403.

Mente collecta in Dei ſocietatem,
Ut puriſſimis intimis ſenſibus purum Dominum
Venerarer (nam pulchrum eſt ſolius mentis ſacrificium)
Nequaquam animadvertiſſem tortuoſæ artificia beſtiæ.
Certe & prædicaſſem, & illud exiſtimaſſem.
Sæpe mihi etiam ſupervenit nocti ſimilis
Et rurſus lucis ſub fraudulenta figura.
Omnia enim, quæcunque voluerit, efficitur mortis ſophiſta,
Natus Proteus ad formas doloſas effingendas,

Ut aliquem aut per insidias, aut aperte hominem interficiat;
Nam deliciæ illi sunt mortalium lapsus &c.

Alia notantur eiusdem carmina iam evulgata, quibus aut ipsum acriter incessit dæmonem, & aversatur, aut eius incursus & calliditatem deplorat veluti 19. 21. 32. 60. &c. in edit. *Billiana.*

Ut tamen in nostra sit potestate.

XV. Igitnr semper armatus esse quisque debet contra hunc vaferrimum hostem semperque paratus ad pugnam, *qui malignum diabolum*, ut suos S. BENEDICTUS in prologo regulæ instruit, *aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens*, deducere ad nihilum gestit: & ad Christum allidere, a quo nobis omnis in eum potestas est facta, estque penes nos eum respuere, ac repellere. Hinc monet IACOBUS apostolus: *Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. Resistite fortes in fide*: iuxta D. PETRUM: & PAULUM: *Nolite locum dare diabolo.* Qui etiam de illis non desperat, *qui resistunt veritati. Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Sic enim transfertur homo de tenebris ad lucem, de laqueis diaboli in libertatem filiorum Dei; „Uti cessans aliquando homo vivere peccato, & moriens ei (ut cum S. IRENÆO loquar) inciperet vivere Deo. Quapropter inimicitiam posuit inter serpentem & mulierem, & semen eius, observantes invicem: illo quidem cui morderetur planta, & potente calcare caput inimici; altero vero mordente & occidente, & interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen prædestinatum calcare caput eius, quod fuit partus MARIÆ, de quo ait propheta: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; significans, quia illud quod erigeretur & dilataretur adversus hominem peccatum, & frigidum reddebat eum, evacuaretur cum regnante morte; & conculcaretur ab eo in novissimis temporibus insiliens humano generi leo, hoc est, antichristus; & draconem illum, serpentem vetustum, alligans & subiiciens potestati hominis, qui fuerat victus, ad calcandam omnem eius virtutem.“ Et iterum: „Quoniam per hominem traducta est apostasia eius, & examinatio sententiæ eius homo factus est; ad hoc magis magisque semetipsum contrarium constituit homini, invidens vitæ eius, & in sua potestate apostatica volens concludere eum. Omnium artifex Verbum Dei per hominem vincens eum & apostatam ostendens, e contrario subiecit eum homini: *Ecce*, dicens, *do vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*, ut quemadmodum dominatus est homini per apostasiam, sic iterum per hominem recurrentem ad Deum evacuetur apostasia eius.“ Infiniti sunt Christianorum in Dei nomine cum

1. *Pet.* 5, 9. *Eph.* 4, 27. 2 *Tim.* 2, 26.

Lib. III. contra hæres. c. 23. *p.* 222.

Lib. V. c. 24. *p.* 322.

ad-

adverſario ſtrenue certantium triumphi ac trophæa innumera ab omni genere fraudum ac infeſtationum, quibus nos aſtu & arte aggreditur, ex quibus non pauca decurſu ſermonis patefacimus, nunc hoc etiam egregie aſſertum quidem poſt multa alia ex laudata iam S. ANTONII abb. oratione apud S. ATHANASIUM ipſius explicabo verbis, quo is ſuis, quos allocutus eſt, adiecit animum, ne imbellem iam, ſi velimus tantum, formidarent hoſtem, ſed fortiter ac intrepide debellarent: „Et quia (inquit) hæc narrando factus ſum inſipiens, iſtud quoque accipite, ut tuti & absque formidine degatis: mihique fidem habete; non mentior quippe. Quodam tempore pulſavit aliquis in monaſterio ianuam meam. Tum egreſſus vidi quemdam procerum ac prælatæ ſtaturæ. Sciſcitante me: *Quis tu es? Ego ſum*, inquit, *ſatanas.* Me rurſum interrogante: *Qua de cauſa hoc ades in loco?* Reſpondit ille: *Cur me falſo accuſant monachi, & omnes alii Chriſtiani? cur me horis ſingulis execrantur?* Cui ego, *Cur moleſtus illis es? Non ego*, ait, *ſed illi ipſi ſeſe conturbant, infirmus enim factus ſum. An non legerunt? Inimici defecerunt in finem, & civitates deſtruxiſti. Nullus mihi ſupereſt locus, non telum, non civitas. Ubique locorum Chriſtiani facti ſunt, atque demum monachis repleta eſt ſolitudo. Obſervent ipſi ſeſe, nec me immerito execrentur.* Tum ego Domini gratiam admiratus: *Quamquam mendax ſemper es*, dixi, *& veritatem numquam dicis; hoc iam tamen licet invitus vere dixiſti; Chriſtus enim veniens te infirmum reddidit, atque deiectum denudavit.* Audito ille Salvatoris nomine, ardoremque eius non ferens, evanidus factus eſt. Si igitur ipſe diabolus ſe fatetur nihil poſſe, deſpiciendus ſane a nobis eſt, cum ille, tum dæmones eius. Inimicus ergo cum canibus ſuis eiusmodi utitur dolis: nos autem gnari eorum infirmitatis, ipſos contemnere valemus. Quamobrem ne labamur mente, ne timendi cauſſas animo verſemus, neque comminiſcamur nobis terrores dicendo: Ne dæmon invadens proſternat me: ne ſublatum proiiciat, vel de repente irruens perterrefaciat. Talia prorſus ne cogitemus; non mœrore quaſi perituri afficiamur; ſed fidamus magis, & gaudeamus, utpote ſalutem conſequuti: atque animo reputemus, nobiscum eſſe Dominum, qui dæmones profligavit atque compreſſit. Cogitemus item, & mente ſemper volvamus, dum nobiscum Dominus eſt, nullo nos ab inimicis malo afficiendos eſſe.“ De S. PACHOMIO vid. *Bolland.* *Paralip. de SS. Pachom. & Theodoro abb. ad diem 14. Maii c. 3.*

pag. 649.

Quibus vero volupe eſt familiarem illum veluti conventum ac colloquium cum dæmone deridere, naſoque ſuſpendere adunco, eis exemplum ipſius Chriſti interim opponimus, dum ſuis locis plura in medium afferemus, quæ in hac S. ANTONII oratione notatu digna ad rem occurrant, quibus præſertim armis cum hoſte infernali congrediendum ſit, quæ generatim

tim S. Cyrillus *Hieroſol.* in ſua procatecheſi *illuminandis* ſuccinctim expo-
n. 22. p. 12. nit, ut eos ad bellum veluti indicendum per renuntiationem ſatanæ, gerendumque poſt baptiſmum auxiliante Deo victorioſe, præparet, detectis inſidiis, inſtructaque acie. „Cæterum (inquit) draco iuxta viam transeuntes obſervat; cave ne te infidelitate mordeat: tam multos videt, qui ſalvi fiunt, *& quærit, quem devoret.* Ad patrem ſpirituum ingrederis, ſed per illum draconem transeundum eſt, Quomodo igitur tu illum pertranſibis? Calcea pedes tuos *in præparatione evangelii*, ut etiamſi dentem infigat, non lædat tamen. Fidem inhabitantem habe, ſpem firmam, calceamentum forte, ut per hoſtem occupato aditu ad Dominum ingrediare. Præpara cor tuum ad recipiendam doctrinam, ad ſanctorum myſteriorum participationem. Frequentius ora, ut cœleſtibus & immortalibus myſteriis te dignetur Deus, neque die neque nocte ceſſa: & cum ſomnus ab oculis tuis receſſerit, tunc mens tua orationi vacet. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam inſilire videris, ſuccurrat tibi cogitatio iudicii, quæ te ſalutis admoneat. Tuam ad condiſcendum cogitationem occupa, ut pravarum rerum oblivionem capiat.“ S. Ambrosius ipſum illum *Luc.* IV. verſans acceſſum diaboli, ut Chriſtum tentaret, *arma nobis* Chriſti proponit, *quibus*, inquit, *tibi, non ſibi, vincit.* Sic ad illa ultimi aggreſſus verba *Si filius Dei es, mitte te deorſum*, S. Pater ſcribit: „Vere diabolica vox, quæ
T. II. pag. 831. mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quam ſuadere, ut unusquisque ſe mittat deorſum. Diſce ergo & tu diabolum vincere. Agit te ſpiritus, ſequere Spiritum. Non te revocet carnis illecebra, Spiritu plenus diſce contemnere voluptates, ieiuna, ſi vis vincere. Conſequens eſt, ut per hominem diabolus te putet eſſe tentandum: Chriſtus quaſi fortior, facie ad faciem tentatur, tu per hominem. Et illud diaboli verbum eſt, cum dicit homo: *Fortis es, manduca & bibe, & ſimilis mane.* Noli te tibi credere, non erubeſcas egere præſidiis, quibus non egebat Chriſtus; & tamen ea non negligebat, ut te doceret, dicens: *Cavete, ne gravetur cor veſtrum in vino & crapula.* Non erubuit Paulus, qui ait: *Sic certo, non ut aera cædens.* Aera quidem non cædebat apoſtolus; ſed poteſtates aeris verberabat: Sed *caſtigo*, inquit, *corpus meum, & ſervituti redigo; ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus inveniar.* Simul infirmitatem, malitiamque deſignat, quia nemini poteſt nocere diabolus, niſi ipſe ſe miſerit. Nam qui relictis cœleſtibus eligit terrena, voluntarium quoddam
T. III. pag. 478. præcipitium vitæ labentis incurrit.“ Idem de Sacramentis lib. VI. c. 4. in orationem dominicam, qua liberari a malo, quod cum plerisque aliis de diabolo interpretatur, petimus „Potens eſt autem (inquit) Dominus, qui

abſtulit

abſtulit peccatum veſtrum, & delicta veſtra donavit, tueri & cuſtodire vos adverſus diaboli adverſantis inſidias; ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare conſueverat. Sed qui Deo ſe committit, diabolum non timet: *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?*" Iam iniecimus [illegible]entionem homiliæ S. CHRYSOSTOMI *adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas*, cuius ipſemet meminit in altera, quæ mox in nova editione *San-Maurenſi* ſequitur *Ad eos, qui obiiciunt, cur e medio ſublatus non ſit diabolus*, ſeu de *diabolo tentatore* utrobique ad IOB ab ipſis etiam porcis & armentis IOB, argumento a minori ad maius, nos ad fiduciam in Deum contra maligni hoſtis inſidias & infeſtationes nos erigens: „Diximus nuper (ait) eum per violentiam non vincere, neque per tyrannidem, neque neceſſitatem afferendo, nec cogendo: quoniam ſi ita eſſet, omnes utique perderet: huiusque rei protulimus argumentum porcos, in quos nihil agere dæmones potuerunt, antequam a Domino permiſſum eſſet; armenta IOB & greges: neque enim hæc diabolus auſus eſt perdere, quouſque deſuper poteſtatem accepit. Unum igitur hoc primum didicimus, eum per vim aut neceſſitatem non vincere. Secundum poſt illud addidimus, eum quamvis fraudibus vincat, non tamen hac ratione cunctis ſuperiorem evadere, & rurſus athletam ipſum in medium protulimus IOB, cui licet mille machinas admoverit, non eum tamen hac ratione ſuperavit, ſed & victus abſceſſit." Alibi nobis armaturam Dei, quam apoſtolus *Epheſiis* pandit, ſuadet homil. IV. ſc. in caput primum *Geneſis* his verbis: „Ne exiſtimetis (ait) vulgare nobis certamen proponi: non adverſus eiusdem generis adverſarios nobis certamen, neque ex æquo exercitus noſter inſtructus eſt. Nos enim, qui corporibus ſumus annexi, in acie collocati ſumus, ut cum incorporeis virtutibus confligamus. Sed ne timeamus: nam licet inæqualis ſit pugna, magna tamen armorum noſtrorum virtus eſt. Subiungit enim hæc, quaſi diceret: quoniam noviſtis hoſtium naturam, ne animo concidatis, ne torpeſcatis ad pugnam; ſed propter hoc *ſuſcipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere inſidiis diaboli.* Multæ enim eius ſunt inſidiæ, hoc eſt, viæ, per quas negligentiores ſupplantare nititur: quas diligenter cognoſcere operæ pretium eſt, ita ut effugiamus eius conatus, & nullum ipſi ingreſſum permittamus. Quin & linguæ diligens habenda eſt cuſtodia, & oculi muniendi ſunt, & mens purganda, & perpetuo ad pugnam paratos eſſe convenit, quaſi fera aliqua invadat, & lædere conetur. Propter quod cœleſtis illa anima, doctor gentium, lingua orbis, nihil non agens pro ſalute diſcipulorum, poſtquam dixit: *Accipite armaturam Dei*; iterum ſubiicit, & nos undique muniens, & invictos faciens, ſic dicit: *State igitur accincti lumbis veſtris in veritate,*

T. II. pag. 261.

Eph. 6. 12. ſeq.

T. IV. pag. 20.

&

tim S. Cyrillus *Hieroſol.* in ſua procatecheſi *illuminandis* ſuccinctim expo-
n. 22. *p.* 12. nit, ut eos ad bellum veluti indicendum per renuntiationem ſatanæ, gerendumque poſt baptiſmum auxiliante Deo victorioſe, præparet, detectis inſidiis, inſtructaque acie. „Cæterum (inquit) draco iuxta viam transeuntes obſervat; cave ne te infidelitate mordeat: tam multos videt, qui ſalvi fiunt, *& quærit, quem devoret.* Ad patrem ſpirituum ingrederis, ſed per illum draconem transeundum eſt, Quomodo igitur tu illum pertranſibis? Calcea pedes tuos *in præparatione evangelii*, ut etiamſi dentem infigat, non lædat tamen. Fidem inhabitantem habe, ſpem firmam, calceamentum forte, ut per hoſtem occupato aditu ad Dominum ingrediare. Præpara cor tuum ad recipiendam doctrinam, ad ſanctorum myſteriorum participationem. Frequentius ora, ut cœleſtibus & immortalibus myſteriis te dignetur Deus, neque die neque nocte ceſſa: & cum ſomnus ab oculis tuis receſſerit, tunc mens tua orationi vacet. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam inſilire videris, ſuccurrat tibi cogitatio iudicii, quæ te ſalutis admoneat. Tuam ad condiſcendum cogitationem occupa, ut pravarum rerum oblivionem capiat.“ S. Ambrosius ipſum illum *Luc.* IV. verſans acceſſum diaboli, ut Chriſtum tentaret, *arma nobis* Chriſti proponit, *quibus*, inquit, *tibi, non ſibi, vincit.* Sic ad illa ultimi aggreſſus verba *Si fi-*
T. II. pag. 831. *lius Dei es, mitte te deorſum*, S. Pater ſcribit: „Vere diabolica vox, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Quid enim tam proprium diabolo, quam ſuadere, ut unusquisque ſe mittat deorſum. Diſce ergo & tu diabolum vincere. Agit te ſpiritus, ſequere Spiritum. Non te revocet carnis illecebra, Spiritu plenus diſce contemnere voluptates, ieiuna, ſi vis vincere. Conſequens eſt, ut per hominem diabolus te putet eſſe tentandum: Chriſtus quaſi fortior, facie ad faciem tentatur, tu per hominem. Et illud diaboli verbum eſt, cum dicit homo: *Fortis es, manduca & bibe, & ſimilis mane.* Noli te tibi credere, non erubeſcas egere præſidiis, quibus non egebat Chriſtus; & tamen ea non negligebat, ut te doceret, dicens: *Cavete, ne gravetur cor veſtrum in vino & crapula.* Non erubuit Paulus, qui ait: *Sic certo, non ut aera cædens.* Aera quidem non cædebat apoſtolus; ſed poteſtates aeris verberabat: Sed *caſtigo*, inquit, *corpus meum, & ſervituti redigo; ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus inveniar.* Simul infirmitatem, malitiamque deſignat, quia nemini poteſt nocere diabolus, niſi ipſe ſe miſerit. Nam qui relictis cœleſtibus eligit terrena, voluntarium quoddam
T. III. pag. 478. præcipitium vitæ labentis incurrit.“ Idem de Sacramentis lib. VI. c. 4. in orationem dominicam, qua liberari a malo, quod cum plerisque aliis de diabolo interpretatur, petimus „Potens eſt autem (inquit) Dominus, qui

abſtulit

abſtulit peccatum veſtrum, & delicta veſtra donavit, tueri & cuſtodire vos adverſus diaboli adverſantis inſidias; ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare conſueverat. Sed qui Deo ſe committit, diabolum non timet: *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?*" Iam iniecimus mentionem homiliæ S. CHRYSOSTOMI *adverſus eos, qui dicunt, dæmones gubernare res humanas*, cuius ipſemet meminit in altera, quæ mox in nova editione *San-Maurenſi* ſequitur *Ad eos, qui obiiciunt, cur e medio ſublatus non ſit diabolus*, ſeu de *diabolo tentatore* utrobique ad IOB ab ipſis etiam porcis & armentis IOB, argumento a minori ad maiuş, nos ad fiduciam in Deum contra maligni hoſtis inſidias & infeſtationes nos erigens: „Diximus nuper (ait) eum per violentiam non vincere, neque per tyrannidem, neque neceſſitatem afferendo, nec cogendo: quoniam ſi ita eſſet, omnes utique perderet: huiusque rei protulimus argumentum porcos, in quos nihil agere dæmones potuerunt, antequam a Domino permiſſum eſſet; armenta IOB & greges: neque enim hæc diabolus auſus eſt perdere, quouſque deſuper poteſtatem accepit. Unum igitur hoc primum didicimus, eum per vim aut neceſſitatem non vincere. Secundum poſt illud addidimus, eum quamvis fraudibus vincat, non tamen hac ratione cunctis ſuperiorem evadere, & rurſus athletam ipſum in medium protulimus IOB, cui licet mille machinas admoverit, non eum tamen hac ratione ſuperavit, ſed & victus abſceſſit." Alibi nobis armaturam Dei, quam apoſtolus *Epheſiis* pandit, ſuadet homil. IV. ſc. in caput primum *Geneſis* his verbis: „Ne exiſtimetis (ait) vulgare nobis certamen proponi: non adverſus eiusdem generis adverſarios nobis certamen, neque ex æquo exercitus noſter inſtructus eſt. Nos enim, qui corporibus ſumus annexi, in acie collocati ſumus, ut cum incorporeis virtutibus confligamus. Sed ne timeamus: nam licet inæqualis ſit pugna, magna tamen armorum noſtrorum virtus eſt. Subiungit enim hæc, quaſi diceret: quoniam noviſtis hoſtium naturam, ne animo concidatis, ne torpeſcatis ad pugnam; ſed propter hoc *ſuſcipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere inſidiis diaboli.* Multæ enim eius ſunt inſidiæ, hoc eſt, viæ, per quas negligentiores ſupplantare nititur: quas diligenter cognoſcere operæ pretium eſt, ita ut effugiamus eius conatus, & nullum ipſi ingreſſum permittamus. Quin & linguæ diligens habenda eſt cuſtodia, & oculi muniendi ſunt, & mens purganda, & perpetuo ad pugnam paratos eſſe convenit, quaſi fera aliqua invadat, & lædere conetur. Propter quod cœleſtis illa anima, doctor gentium, lingua orbis, nihil non agens pro ſalute diſcipulorum, poſtquam dixit: *Accipite armaturam Dei*; iterum ſubiicit, & nos undique muniens, & invictos faciens, ſic dicit: *State igitur accincti lumbis veſtris in veritate,*

T. II. pag. 261.

Eph. 6, 12. ſeq.

T. IV. pag. 20.

&

& induti thoracem fidei, & calceati pedes veſtros in præparatione evangelii pacis. In omnibus aſſumite ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia illius ignita extinguere, & galeam ſalutaris accipite, & gladium Spiritus, quod eſt verbum Dei. Vidiſti, quomodo omnium membra munierit; & quaſi in prælium egreſſuros primum zona cingat, quo expeditiores ſimus ad curſum: dein induat nos thorace, ne a iaculis vulneremur, ſed & pedes munivit, & undique armavit fide . . . Talibus igitur armis induti, ne horreamus pugnam, ne fugiamus congreſſum, ſed neque ignavi ſimus. Nam ſicut nobis vigilantibus, malignus dæmon nunquam armorum noſtrorum virtuti prævalebit, ſi voluerimus irritas facere eius machinationes: ſic ſi deſides fuerimus, nulla nobis utilitas erit; quandoquidem inimicus ſalutis noſtræ nunquam dormitat, & omnia quæ ſaluti noſtræ obſunt, operatur. Undique igitur armemus nos ipſos, & a verbis temperemus, & ab operibus abſtineamus, quæ nos lædere poſſunt: & cum abſtinentia a cibis, tum aliarum virtutum, tum liberalitatis in pauperes ſpecimen exhibeamus: ſcientes quanta nobis merces ob curam illis exhibitam repoſita ſit." Prætereo, quæ idem poſtea in caput XXII. *Geneſis* hom. 47. exponit, quomodo Chriſtus ea, quæ per invidiam diaboli contra ſalutem noſtram facta ſunt, in caput illius converterit. S. AUGUSTINUS autem œconomiam Verbi incarnati pulchre explicat: Atque „ Verbum Dei (inter alia ſcribit) unicus Dei filius diabolum, quem ſemper ſub legibus ſuis habuit, & habebit, homine indutus etiam homini ſubiugavit: nihil ei extorquens violento dominatu, ſed ſuperans eum lege iuſtitiæ, ut quoniam femina decepta, & electo per feminam viro omnem prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitioſa quidem nocendi cupiditate, ſed tamen iure æquiſſimo vindicabat, tamdiu poteſtas eius valeret, donec interficeret iuſtum, in quo nihil dignum morte poſſet oſtendere, non ſolum quia ſine crimine occiſus eſt, ſed etiam quia ſine libidine natus: cui ſubiugaverat ille, quos ceperat, ut quidquid inde naſceretur tanquam ſuæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, & tamen non iniquo poſſidendi iure retineret &c." Sic S. PROSPER S. AUGUSTINI diſcipulus in illud Pſ. CIII. 26. *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*, commentans: „In mari (inquit) magno, ubi ſunt repentia, quorum non eſt numerus, ubi animalia puſilla & magna, ubi etiam noſtrarum navium commeatus; ibi eſt draco, qui de ſummis in ima deiectus iudicio Dei, ad hoc ex angelo diabolus factus eſt, ut malitiæ & nequitiæ ipſius a Sanctis illuderetur. Qui etſi indeſinenter habet nocendi cupiditatem, nemini tamen plus tentationum poteſt inferre, quam finitur. Atqui ſecundum apoſtolum fidelis eſt Deus, qui non permittit nos tentare ſupra id, quod poſſumus."

pag. 472. *Lib. III. de lib. arbitr. c.* 10. *T. I. p.* 623. *pag.* 225.

PETRO

PETRO veluti conquerenti apud S. GREGORIUM M. lib. III. Dial. c. 20. laboriosum esse valde atque terribile contra inimici insidias semper intendere, & continue quasi in acie stare, respondet S. Doctor: „Laboriosum non erit, si custodiam nostram non nobis, sed gratiæ supernæ tribuimus: ita tamen, ut & ipsi, quantum possumus, sub eius protectione vigilemus. Si autem antiquus hostis a mente cœperit expelli, ex divina largitate plerumque agitur, ut non solum iam timeri non debeat, sed ipse etiam bene viventium virtute terreatur.“ Et mox capite sequenti, postquam narrasset a virgine Deo dicata obsessum liberatum a dæmone, in porcum intrare permisso, geminum Christi Domini exemplum *Matth.* VIII. 31. commemorat, ac, ut paullo ante S. CHRYSOSTOMUM argumentantem audivimus, concludit in hunc modum p. 329. „Ex qua re etiam hoc colligitur, quod absque concessione omnipotentis Dei nullam malignus spiritus contra hominem potestatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, nisi permissus. Illi ergo nos necesse est sponte subdi, cui & adversa omnia subiiciuntur invita: ut tanto nostris hostibus potentiores simus, quanto cum auctore omnium unum efficimur per humilitatem.“ *T. II. pag.* 328.

S. BERNARDUS in Psalm. *Qui habitat.* serm. XIII. a nobis magnanimitatem exposcit, „Quam (inquit) rugitus leonis non terreat. *Adversarius vester tanquam leo rugiens*, ait PETRUS. Gratias magno illi leoni de tribu IUDA. Rugire ille potest, ferire non potest. Rugiat quantum vult: tantum non fugiat ovis Christi. Quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non simus bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosius vestigaverunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem, quæ adversus ictum eius tota animositate repugnat: & plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat, qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur. *Nondum restitistis usque ad sanguinem*, ait strenuus ille dux, qui leonis huius noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam: *Resistite*, inquit, *diabolo*, & *fugiet a vobis. Iac.* IV. 7.“ *T. III. pag.* 866.

XVI. Recte vero HERMÆ Pastor diaboli opera a nobis reformidanda esse dicit. „Diabolum autem (inquit mandato VII. *de Deo timendo*, & *dæmone non metuendo.*) ne timeas: timens enim Dominum, dominaberis illius; quia virtus in illo nulla est. In quo autem virtus non est, is ne timendus quidem est: in quo vero virtus glorioſa est, is etiam timendus est. Omnis enim virtutem habens etiam timendus est. Nam qui virtu- Cum quo semper pugnandum. *Lib. II. Mandat.* 7. *T. I. p.* 94.

tem non habet, ab omnibus contemnitur. Time plane facta diaboli, quoniam maligna ſunt: metuens enim Dominum, timebis, & opera diaboli non facies, ſed abſtinebis ab eis," Sunt vero hæc opera illa diaboli, quibus renunciavimus in baptiſmate, excluſimusque dæmonem, ut iam ſupra notavimus veterum ſententiam, veluti obſideri hominem ante baptiſmum a dæmone, ſicque CLEMENS *Alexand.* in libris *Hypotypoſeon* dicit per baptiſmum *ſpiritus immundos* animæ complicitos ſecerni διυλίζεσθαι. Nihilominus vero relinquitur nobis colluctatio iuxta apoſtolum adverſus poteſtates tenebrarum harum, quemadmodum concupiſcentia in renatis, qua ipſa ad nos debellandos utitur dæmon cum ea, utpote opere ſuo, conſociatus, ut recte obſervat auctor *Gallicus* de exorciſmis ſupplendis poſt
a baptiſmum, ſi urgente neceſſitate fuerint prætermiſſi, a) ac licet dæmon a nobis per baptiſmum expulſus ſit, innumeras nihilominus vias redeundi quærit; imo in tantum reſtat, quantum remanet vetus homo: quo faciunt, quæ ſupra de duobus geniis homini adhærentibus etiam poſt baptiſmum diximus, *cui enim hominum non adhærebit ſpiritus nequam, ab ipſa etiam ianua nativitatis animas aucupabundus &c.* Quem TERTULLIANI ex libro de Anima locum non de ſolis gentilium liberis intelligendum eſſe contextus declarat, ut iam indicavit *Ant.* van DALE in diſſert. de div. Idolol. c. 7. ORIGENI non ſatis originariæ noſtræ labi ac corruptioni attendenti viſæ ſunt „ interdum etiam in hoc exiſtere quædam anteriores corporeæ nativitatis cauſæ. Interdum vero (pergit) vigilans mens & abiiciens a ſe, quæ mala ſunt, bonorum ad ſe adiutorium provocat: vel e contrario negligens & ignava, dum minus cauta eſt, locum dat his ſpiritibus,

De Princip. lib. III. c. 3. T. I. p. 145.

a) „Mais la concupiſcence demeure, quoi elle n'opprime plus la liberté de faire le bien; & le démon, a qui elle eſt, parce qu'elle eſt ſon ouvrage, la ſuit où elle ſe retire. Il poſſedoit autrefois le cœur, parce qu'elle y regnoit; il en eſt chaſsé avec elle, & perd ce qu'elle perd: mais il retient tout ce qu'elle retient. Et qui peut comprendre ce qu'elle conſerve dans la volonté, dans l'eſprit, dans les ſens, & en general dans ce corps de mort, apres meme qu'elle n'eſt plus maitreſſe de la liberté? Tout cela reſte donc au demon; & cette vie nouvelle, qui commence par le cœur dans les batisés, ne peut ſe fortifier ni s'étendre, qu'en chaſſant l'ennemi des lieux les plus proches, qu'en gagnant tous les iours un nouveau terrain, & qu'en forçant l'un apres l'autre tous les retranchemens, que le demon occupoit." Et paullo poſt de ceremoniis exorciſmi poſt baptiſmum ſupplendis. „ Ils ne chaſſeront pas le démon de leur cœur: il n'y eſt plus. Mais il en eſt ſi voiſin, il a tant de chemins pour y arriver, & il y conſerve de ſi dangereuſes intelligences; il eſt ſi maitre de toute la campagne. C'eſt a dire de tout ce qui n'eſt point de la liberté, ou pour le moins il y fait tant de ravages; il s'eſt ſi fortifié dans diverſes retranchemens, & il y a tant de peril, qu'il n'éteigne un iour l'eſprit de grace & de vie, que les exorciſmes les plus terribles, & les plus menaçans ne peuvent l'etre trop." *Abbé* DUGUET *diſſ. theol. & dogmat. I. ſur les exorciſmes pag.* 125. 126. 133

ſpiritibus, qui velut latrones ex occulto inſidiantes, irruere humanas mentes, cum locum ſibi datum per ſegnitiem viderint, moliuntur, ſicut (ait PETRUS apoſtolus) *quia adverſarius noſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Propter quod diu noctuque cor noſtrum omni cuſtodia ſervandum eſt, & locus non eſt dandus diabolo, ſed omnia agenda ſunt, quibus miniſtri Dei, hi videlicet ſpiritus, *qui ad miniſterium miſſi ſunt eorum, qui ad hæreditatem ſalutis vocati ſunt*, inveniant in nobis locum, & delectentur ingredi hoſpitium animæ noſtræ, & habitantes apud nos conſiliis nos regant. Si tamen habitaculum cordis noſtri virtutis & ſanctitatis cultu invenerint exornatum." Eodem furis exemplo utitur S. HILARIUS in *Matth.* XXIV. „Furem enim eſſe oſtendit diabolum ad detrahenda ex nobis ſpolia pervigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem: ut ea incurioſis nobis & ſomno deditis conſiliorum ſuorum atque illecebrarum iaculis perfodiat." *Cap. 26. p. 734.*

Lectu digna eſt S. MACARII *Ægyptii* homilia XXVI. *de dignitate, præſtantia, & facultate, & operationibus immortalis animæ, & qua ratione ea a ſatana tentetur, & liberationem e tentationibus conſequatur &c.* reſponſio ad hanc interrogationem: *Utrum quieſcit interdum ſatanas, & homo liberatur a bello, aut quamdiu vivit, bello infeſtatur?* Et ea, ad quæ iam digitum intendimus S. IOANNIS *Chryſoſt.* lib. VI. *de Sacerdotio*: ubi poſtquam oſtendiſſet omni pugna vehementiorem eſſe diaboli in nos aſſultum, ſic concludit: „In bello autem contra malignum illum, nunquam licet arma ponere, nec ſomnum capere eum, qui velit ſemper invulneratus eſſe. Ex duobus enim unum neceſſario eligat oportet, ut aut cadat, & pereat armis nudatus; aut armatus ſtet, vigiletque ſemper. Nam ille ſtat perpetuo cum acie ſua, noſtram ſegnitiem obſervans, maiusque ſtudium ad noſtram perniciem adhibens, quam nos ad ſalutem noſtram. Ac quod a nobis non videatur, quodque de repente irrumpat, quæ maxime in cauſa ſunt innumerabilium malorum; id certe iis, qui non ſemper vigilant, magis dubium huius, quam illius belli eventum facit. Hic igitur nos volebat milites Chriſti ducere? At hoc fuiſſet diabolo ducem eſſe: nam cum is, qui debet alios ad bellum inſtruere, ipſisque imperare omnium imperitiſſimus, infirmiſſimusque eſt, imperitia ſua concreditos ſibi milites prodens, diabolo magis, quam Chriſto ducem agit." Stringit hoc eos ex ſacerdotio etiam, qui in dæmonologia a doctrina avita ſanctorum Patrum ſeceſſionem facientes, dum dæmones ab orbe noſtro terraqueo removent, atque iam poſt Chriſtum ligatos in inferno publice etiam proloquuntur, cæteros, qui a theologorum ore pendere ſolent, incautos & incurios reddunt contra quotidianas ac innumerabiles dæmo- *T. VII. Bibliotb. PP. p. 94. pag. 98. T. I. p. 434. 435.*

num insidias, infestationesque continuas. „Quis enim (ut verbis S. Augustini utar) pertinens ad Christum, non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cum illo diabolus & angeli eius, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicuius potentis inimicitiis, aut alicuius potentis amicitiis? Omnibus modis instat diabolus, quemadmodum deiiciat: & in persecutionibus vivimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos eius: sed non timeamus. Sic sunt diabolus & angeli eius, quasi milvi; sub illius gallinæ alis simus, & non nos potest contingere, gallina enim, quæ nos protegit, fortis est. Infirma est propter nos; sed fortis est in se Dominus noster IESUS Christus, ipsa sapientia Dei. Ergo dicit hoc & Ecclesia: *Adglutinata est anima mea post te, me suscepit dextera tua.*" Cohærent, quæ idem alibi dicit: „Quanto in hæc ima potestatem dæmonum maiorem videmus, tanto tenacius mediatori inhærendum, per quem de imis ad summa conscendimus." Add. S. Gregorius lib. II. & III. Moralium in Iob.

Enarrat. in psal. 63. n. 17. T. IV. p. 616.

L. XVIII. de Civit. Dei c. 18. T. VII. p. 500.

Traditus satanæ iuxta apostolum ipsique angelus satanæ, qui eum colaphizet. *De fuga in persecut. c. 2. p. 537.*

XVII. „Nihil vero (ut cum Tertulliano loquar) satanæ in servos Dei vivi licebit, nisi permiserit Dominus, ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum." Loquitur de persecutionibus instigante dæmone in Christianos motis, expensa etiam Iobi historia: postea vero aliis exemplis ex scripturis causas varias distinguit, ob quas satanæ potestas in homines concedatur: „Aut enim (ait) ex causa probationis conceditur ei ius tentationis provocato vel provocanti, ut in superioribus: aut ex causa reprobationis traditur ei peccator quasi carnifici in pœnam, ut Saul: *Et abscessit*, inquit, *Spiritus Domini a* Saule, *& concutiebat eum spiritus nequam a Domino, & suffocabat.* Aut ex causa cohibitionis, ut apostolus refert, datum sibi sudem angelum satanæ, ut colaphizetur: nec hanc speciem permitti diabolo in sanctos humiliandos per carnis vexationem, nisi simul ut & virtus tolerantiæ scilicet in infirmitate perfici possit. Nam & ipse apostolus Phigellum & Hermogenem tradidit satanæ, ut emendentur, ne blasphement."

1 Cor. 5, 5. Præterit hic exemplum incestuosi *Corinthii*, quem nempe iussit Paulus *tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis: ut spiritus salvus sit.* Exemplum hoc apostoli inter alios secutum fuisse S. Ambrosium in eius vita Paulinus memorat, in falsarium scilicet servum comitis Stiliconis, antea a dæmonio ab eodem liberatum: „quem cum interrogasset, & deprehendisset auctorem tanti flagitii (ut narrat Paulinus n. 43.) ait:

Oportet

Oportet illum tradi ſatanæ in interitum carnis, ne talia impoſterum audeat admittere. Quem eodem momento, cum adhuc ſermo eſſet in ore ſacerdotis, ſpiritus immundus arreptum diſcerpere cœpit. Quo viſo, non minimo terrore repleti ſumus, & admiratione.“ Mirum hinc non eſt, S. Ambrosium, cum quidem S. Pauli ſententiam etiam de corporalibus afflictationibus ex operibus pœnitentiæ cum Origene hom. 24. in *Levit.* Basilio ad Amphiloch. c. 7. & aliis interpretetur, cum illis etiam *græcis* potiſſimum Patribus Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio &c. facere, qui apoſtolum de ſæviendi in eorum corpora, qui traditi ſunt ſatanæ, poteſtate intellexerunt, quam S. Ambrosius lib. I, *de Pœnitentia* c. 13. his verbis explicat: „Explanavimus Pauli ſententiam, nunc verba ipſa conſideremus, qua ratione dixerit, quod tradiderit eum ſatanæ in interitum carnis: quia tentator noſter diabolus eſt. Nam debilitates membris ſingulis infert, & ægritudines toti ſolet movere corpori. Denique percuſſit ſanctum Iob ulcere malo a pedibus uſque ad caput; quia in poteſtate acceperat interitum carnis eius, dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi.*“ Quod exemplum urgent editores *San-Mauriani* ad hunc locum, atque etiam affert S. Chrysostomus in homilia *de diabolo tentatore*, ubi eum Pauli locum pluribus explanat; allato quippe apoſtoli loco: „Ecce etiam (ait) ſalutis auctor factus eſt diabolus: tametſi non ex ipſius mente, ſed ex artificio apoſtoli. Nam quemadmodum medici viperas ſumunt, & pernicioſis membris reſectis theriaca medicamenta conficiunt: ita quoque Paulus fecit; quidquid inerat utile, ex illato a diabolo ſupplicio ſumens, reliquum omiſit. Ut enim intelligas, non eſſe ſalutis auctorem diabolum, ſed illum in id incubuiſſe, ut hominem perderet ac devoraret, apoſtolum autem ſapientia ſua gulam ei fregiſſe, audi, quid in ſecunda ad *Corinthios* epiſtola de eodem fornicatore dicat; *Confirmate in illum caritatem, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiusmodi eſt, & circumferamur a ſatana*: præripiamus ex belluæ faucibus hominem. Tanquam enim carnifice perſæpe diabolo uſus eſt apoſtolus: carnifices autem maleficos quidem puniunt, at non quantum volunt, ſed quantum iudices ſinunt: ea quippe lex eſt carnificis, ut ad iudicis nutum attendens pœnam inferat. Vides ad quantam aſcenderit apoſtolus dignitatem? qui circumdatus erat corpore, incorporeo tanquam carnifice utebatur, & quod diabolo communis Dominus Iob ita præcipiens ait, *Tange carnem eius, verumtamen animam eius ne tetigeris*, limites menſurasque pœnarum præſcribens: ne cum procax & effrænata ſit bellua, inſolentius impetum faciat: hoc etiam agit apoſtolus: cum enim tradidiſſet ei fornicatorem, ait, *In interitum carnis*, hoc eſt, animam eius ne tetigeris.“

T. III. pag. 514.

T. II. pag. 264.

S. Chrysostomus hoc loco non aperte corporalem torturam dæmonis declarat, etsi utroque sensu accipi possit, atque diabolus potestate accepta utrumque & animam & corpus infestet: hocque sensu etiam c. 28. S. Bernardus in vita S. Malachiæ alterum S. Pauli locum adhibet, quo datum sibi stimulum carnis angelum satanæ ipse 2. *Cor.* XII. 7. dicit, dum maledicum in sanctum antistitem dæmone subito correptum pessimeque habitum narrat. „ Et dum insaniret (pergit S. Bernardus) vocatus Malachias venit, reperitque maledicum spumantia ora torquentem, horrendis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatum, vix posse teneri a pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus est, sed ex parte. Nam ilico quidem Sancto orante, ille aperuit oculos, & sensum recepit. Relictus est autem ei spiritus Domini malus, qui eum colaphizet, ut discat non blasphemare. Credimus eum vivere usque adhuc & usque ad hæc tempora luere peccatum grande, quod peccavit in Sanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum esse.“ Hucusque S. Bernardus, nihil reticens, quod forte exceptionem ferre posset prodigii; at etiam lunaticus fuisse dicitur *Matth.* XVII. 14. &c. puer, a quo Christus eiecit dæmonium, quem vero curare non potuerant discipuli. Talis tamen non fuerat *Corinthius*, quem Paulus in carnis interitum *ad satisfactionem pœnitentiæ*, ut cum S. Gregorio rem exprimam, satanæ tradidit, & in diem Domini salvum eius spiritum reservavit. „ Magna quippe (pergit) arte magisterii ipsi est traditus coactus in pœnam, cui sponte est substratus in culpa: ut qui auctor fuerat ad vitium nequitiæ, ipse flagellum fieret disciplinæ. “ Addam, quæ idem paullo post de S. Paulo fermocinatur: „ quando illum post tot revelationum sublimia stimulis carnis agitabat *Satan.* Tentatio ergo illa non vorago (inquit) vitiorum, sed custodia meritorum fuit: quia *Leviathan* iste fatigando eum in afflictione contrivit, sed non in culpa capiendo devoravit. Elatos autem in sanctitate viros non amitteret, nisi tentaret. Sancti quippe non essent, qui de sanctitatis gloria superbirent: & tanto sub eius iure caderent, quanto se in suis virtutibus elevarent. Sed miro dispensationis ordine, dum tentantur, humiliantur; dum humiliantur, eius esse non desinunt. Bene ergo maxilla *Behemoth* istius perforata dicitur, quia electos Dei unde conterit, inde amittit: unde tentat, ut perdat, agit inde, ne pereant. Antiquus itaque hostis occultis Dei dispensationibus serviens, Sanctorum animas ad interitum tentat volens, sed ad regnum tentando servat invitus.“

T. II. Opp. p. 685.

L. XXXIII. in cap. XL. Iob. T. I. p. 1086.

p. 1092.

XVIII.

XVIII. Sed apoſtolo PAULO alia longe potior viſa eſt tentatio, *quoniam*, inquit, *non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates, adverſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* DIDYMUS *Alexandr.* hanc ſententiam opponit illi 1. ad *Cor.* X. 13. *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana.* „Ac ſi diceret: Nobis, qui celſiore gradu conſcendimus, non eſt lucta adverſus ſanguinem & carnem (id eſt, adverſus humana) ſed adverſus ſuperiorum ordinum adverſarios.“ Machinas indigitans & obſtacula, quæ portæ inferi evangelio opponebant. Unde & ad *Theſſalonicenſes* ſcribit, voluiſſe ſe ſemel & iterum venire, *ſed impedivit nos ſatanas.* At prædeſtinatum evangelii curſum, quidquid contra molitus ſit, ſiſtere non potuit, nec, quin eo fortior magnificentiorque ſurgeret eccleſia, cohibere, *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Univerſumque par eſt permiſſionis mali in hoc mundo, & maligni in eccleſia ratio, ut bonis frugique hominibus omnes eius machinationes & mala, quæ infert, ad profectum potius ſunt. „Hæc omnia dæmonum opera ſunt (inquit ORIGENES contra CELSUM lib. VIII. recenſitis variis phyſicis in orbem a dæmone illatis malis) ceu carnifices iudicio quodam divino poteſtatem hanc habentium certis temporibus, ſive ad convertendos homines, & cohibendos ab effuſa vitiorum licentia, ſive ad exercendum genus hominum ratione utentium, ut mediis in adverſitatibus pietatem conſtanter colentes, & a virtute non diſcedentes conſpicui fiant ob præſtantiam ſpectatoribus viſibilibus & inviſibilibus; illi vero contrarii quærentes vitiorum latebras, per calamitates arguantur, quales ſint, & ad ſe redeant per ſpectatores, ut ita dicam, traducti. Teſtatur autem pſaltes, quod triſtiores Dei iudicis ſententias exequantur quidem angeli mali, ubi dicit: *Immiſit in eos iram furoris ſui, furorem & iram, & afflictionem; immiſſiones per angelos malos.* An autem etiam alia præter hæc faciant dæmones, quando permittitur (ſemper quidem nocendi cupidi, ſed non ſemper valentes lædere, eo quod prohibeantur), qui poteſt, examinet divina iudicia, quantum homini licet.“

Sic ad bonorum profectum ſunt dæmonum inſultus. *Epheſ.* 5, 12. *T. VI. Bibl. PP. p.* 313. *Dydimus in lib. contra Manichæos.* 1. *Theſſ.* 2, 18. *T. I. p.* 765.

At curioſis ſatis hoc non eſt, vellentque ſcire rationes, cur nocere nobis permittantur, aut ſaltem nos infeſtare dæmones? Quibus breviter reſponderi poteſt S. AMBROSII verbis eadem pulſati quæſtione: „Sed dicit aliquis: Cur hoc a Deo permittitur diabolo? At ego dico, ut boni probentur, improbi puniantur; hæc enim pœna peccati eſt. Denique lege, quia immittit Dominus febrem, & tremorem, & malos ſpiritus, & cæcitatem, & omnia flagella, iuxta merita peccatorum.“ S. MACARIUS libro de

Lib. VI. in Lucam T. II. p. 905. *Deuter.* 28, 59.

de patieutia & discretione ab hac disquisitione, ab ovo veluti, seductione
T. VII. T. II. Opp. p. 75. nimirum nostrorum primorum parentum orsus „Virga est (inquit) disciplinæ & lorum plagas infligens princeps huius sæculi parvulis in spiritu: ipsis quidem, ut prius dictum est, magnam gloriam & abundantiorem honorem per afflictiones & tentationes procurans: ex his enim, ut & ipsi perfecti evadant, oritur; sibi autem miser ipsi maiorem gravioremque præparans pœnam. Omnino enim maxima & mira quædam per eum administratur dispensatio, prout dictum alicubi est: Cooperatur malum bono intentione non bona. Bonis siquidem & laudabili vigentibus proposito animabus, quæ molesta videntur, in bonum desinunt: quod ipse quoque affirmavit apostolus sic scribens: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Huius rei gratia ista, de qua dixi, virga disciplinæ sacræ permittitur, ut per eam velut in fornace ignis excocta vasa, quæ quidem proba sunt, soliditatem demonstrent; quæ vero proba non sunt, fragilitatis coarguantur, ignis ardorem non ferentia.“ Et in libro *de libertate*
lb. n. 102. *mentis* c. 16. „Cur enim (inquit) quando mundo, & sæcularibus attendebamus rebus, molestias eas, in quas postea incidimus, non experiebamur; sed nunc cum accessimus ad serviendum Deo, multiplices illas tentationes patimur? Vides propter Christum has in nos immitti afflictiones ab adversario invidente nobis speratas retributiones, languoremque ac desidiam iniicere animabus nostris studente, ne ad Dei beneplacitum vita transacta, promissis præmiis donemur. Omnes eius contra nos irritæ fiunt machinæ nobis cum Christo pugnantibus. Hic enim, magnus hic invictus nobis protector & propugnator præsto est.“

T. I. Opp. p. 154. seq. Tractat hoc argumentum prolixe S. CHRYSOSTOMUS in oratione adhortatoria ad STAGIRIUM ascetam a dæmonio vexatum, eam etiam versans quæstionem, quæ hodie multos pulsat, satis sibi haud comprehendentes, quod Deus potestatem hanc dæmoni in homines concedat. „Porro
pag. 162. (inquit) si quis curiosius inquirat, cuius rei gratia veterem illum seductorem non continuo deleverit, id quoque pro summa in nos cura factum comperiet. Si enim sceleratus ille vi dominaretur: esset fortasse rationabilis ista inquisitio: sin autem hac potentia privatus, tantum persuadere atque allicere potest: illius vero suasionis illecebras renuere in nobis est: cur tu meriti argumentum tollis, coronarumque materiam præscindis? At hæc si illum sciens fore insuperabilem cunctosque devicturum, ita illum dimisisset Deus, ne sic quidem de his movenda quæstio esset. Nam tum quoque, quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, sed sponte sibi cedentes, atque succumbentes, a nobis profecto manasset; verumtamen his, qui ingrate agere volunt, ne id quidem satis esset. Quod-

si

ſi plurimi quidem illius potentiam ac vires frangunt, complures item poſthac illum ſuperaturi ſunt: quid tu futuros probatiſſimos clariſſimaque victoria inſignes tanto privas honore? Idcirco enim illum dimiſit, ut eum deiiciant, qui fuerant ab eo prius ſuperati, quod illi omni ſupplicio gravius eſt, ipſumque ad extremam condemnationem deducet. At non omnes, inquies, illum ſuperaturi ſunt. Quid hoc ad rem? Profecto enim multo convenientius eſt iuſtis occaſiones ſuppeditari, quibus voluntatem oſtendant ſuam: eos vero, qui non ſunt huiusmodi, ex propria puniri negligentia, quam iſtorum cauſa illis etiam damnum afferri. Nam modo is, qui malus eſt, ſi lædatur, non ſuperatur: quod indicat victorum multitudo. Tunc vero probi quique improborum cauſa meritis honoribus fraudati fuiſſent, non habentes illorum culpa, ubi vires exercerent ſuas &c." Sed hæc ego prælibo tantum, digitumque ad ipſum fontem intendo ſanctum doctorem, aureo orationis flumine hæc proſequentem, demum ipſius STAGIRII adducto exemplo, ex obſeſſione ſua vexationeque dæmonis profectum capiente inſignem. „Tanta enim (inquit) audio tibi acceſſiſſe pietatis incrementa, ut non iam cum adoleſcentulis illis, ſed cum magnis admirandisque viris virtute contendas." Libro I. Conſultationum a ZACCHÆO Chriſtiano & APOLLONIO philoſopho conſimiles quæſtiones motas legimus c. 32. „Si tam malus eſt diabolus, quam dicis, & tam pertinax criminum, futuri præſcius Deus nec malum creare debuerat, nec tanto culmine dignitatis efferre, ne aut ſibi obvium, aut hominibus crearet inimicum." Et cum huic eſſet ſatisfactum interrogationi, mox cap. 33. hæc altera ſequitur: „Etiam hæc cum ratione facere videntur, quæ de diaboli creatione, caſuque dixiſti: Sed quid cauſæ ſit, quod poſt auſum tantæ temeritatis, ſicut iam quæſivi, deletus ſtatim cum ſatellitibus non fuerit, ſignanter ediſſere." Poſt S. CHRYSOSTOMUM iam citatum nihil opus eſt hic reſponſionis attexere, quam chriſtianus ibi philoſopho dat ad quæſtionem de origine mali omni tempore vexatiſſimam, *Manichæiſmi* parentem, quæ hæreſis eam ob rationem ipſum aliquando S. AUGUSTINUM in errorem illum abſtraxit, quem poſtea egregie in libris contra *Manichæos* refutavit. Occurrit porro dubio illi, quod fideles etiam ſolet pulſare de *Geneſi* ad literam lib. XI. quomodo de diaboli *malevolentia conſulitur eccleſiæ Dei*: nec quantum vult, ſed quantum permittit Deus optimus maximus eum tentare, ex ipſa lapſus primorum parentum oſtendit hiſtoria.

pag. 180.

T. IX. Bibl. PP. p. 219.

T. III. p. 287.

XIX. „Sed, ſicut iam dixi (pergit paullo poſt) tentandi voluntatem habet diabolus, in poteſtate autem nec, ut faciat, habet, nec quomodo faciat. Quia permiſſus eſt ergo, tentavit: cui autem generi hominum

In quantum Deus permittit.

prodeſſet, quod faciebat, neque ſciebat, neque volebat, & eo ipſo illudebatur ab angelis.“ Quod quomodo fiat, S. Ambrosius oſtendit exemplis: „Denique (inquit lib. I. *de Pœnit.* c. 13.) percuſſit ſanctum Iob ulcere malo a pedibus uſque ad caput, quia in poteſtate accepit interitum carnis eius dicente Deo: *Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi.* Hoc iisdem verbis apoſtolus transtulit, dicens, quod tradiderit huiusmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri IESU Chriſti. Magna gratia, quæ imperat diabolo, ut ipſe ſe deſtruat. Se enim deſtruit, cum hominem, quem tentando ſupplantare ſtudet, ex infirmo fortiorem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Ægritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit.“ Addatur & mox ſequens caput, ad cuius finem ipſius etiam Pauli exemplum adiungens, dum ei angelus ſatanæ datus eſt, qui eum colaphizet, „Sic ergo (concludit) curare Paulus didicit, quemadmodum ipſe ſanatus eſt.“ S. Macarius autem mox laud. loco ſermonem proſecutus ad id 1. *Cor.* X. *Fidelis eſt Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis &c.* provocans, „Cum ſit autem (inquit) diabolus ſervus & creatura Dei, imperium eius abſolutum agnoſcens, non, quantum ipſi libet, tentat, nec quam multas ac graves vult, afflictiones immittit; ſed quantum herilis nutus permittit, permiſſione limitata. Sane Deus exactiſſime, quantum in unoquoque eſt pervidens, exploratum habet, quantum cuique inſit virium; & ad eum modum probationem ei admoveri permittit; ſicut etiam videtur apoſtolo, dum ait: *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.*

T. III. p. 515.

pag. 76.

S. Chrysostomus, poſt Tertullianum *de fuga in perſecut.* c. 2. p. 537. ad hoc oſtendendum inde accipit argumentum, quod in porcos, Chriſto permittente, intrantes egerunt dæmones: „Primo (inquit) ut doceret eos, qui a malignis huiusmodi tyrannis liberati eſſent, quantam perniciem afferrent inſidiatores huiusmodi; ſecundo, ut diſcerent omnes, dæmones ne quidem porcos invadere poſſe, niſi ipſe permiſerit: tertio ipſos graviora in homines, quam in porcos, perpetraturos fuiſſe, niſi in calamitate per magnam illam Dei providentiam ſervati fuiſſent. Nam quod magis nos, quam bruta animalia odio habeant, nulli non manifeſtum eſt. Itaque qui porcis non pepercerunt, & in momento omnes præcipitarunt, multo magis hominibus id feciſſent, quos tenebant in deſertum adducentes, niſi etiam in hac ipſa magna, quam exercebant, tyrannide, Dei cura illos fre-

Hom. XXIX. in Matth. T. VII. 337. Add. hom. LVII. pag. 579.

frenaſſet & coercuiſſet, ne perniciosiora facerent.“ S. Augustinus in illud *Iobi* XXXVIII. 40. *Pavidi enim ſunt in cubilibus ſuis*, ut ipſe legit: „Nam ſi pavidi non eſſent, quis ſubſiſteret? Pavent autem illius imperium, ſub quo exclamarunt, *Quid veniſti ante tempus perdere nos?* Et quemadmodum de porcis manifeſtum eſt, quod in eos non iſſent, niſi permiſſi eſſent, ſic intelligendum eſt nihil eos in quemquam poſſe, niſi permiſſos: permitti autem iuſtitia, qua reguntur omnia, ſive probationis cauſa, ſive vindictæ, vel ad damnationem, vel ad correctionem irrogatæ.“

Idem S. Augustinus *Enarratione in Pſal* XXVI. n. 19. timorem illum, cuius reliquiæ ex Gentiliſmo forte ſupereſſe poterant, excutere volens *ne irati noceant*, „Non (inquit) nocebunt, niſi ille permittat. Iſti ſemper habent voluntatem nocendi, nec ſi placentur, nec ſi rogentur, deſinunt nocere velle. Hoc enim malevolentiæ illorum proprium eſt.“ Et poſtea *Enarratione in Pſal.* XCVI. n. 12. „Quid tibi facturus eſt vel princeps ipſorum diabolus? ſi poſſet aliquid, nullus noſtrum remaneret. Nonne quotidie tanta in illum dicuntur ore Chriſtianorum, & creſcit ſeges Chriſtianorum? Quando iraſceris nequiſſimo ſervo tuo, hoc nomen illi imponis: *Satanas*, *diabole*, hoc illi dicis. Fortaſſe in hoc erras, quia homini hoc dicis, & immoderata ira raperis ad conviciandam imaginem Dei: & tamen hoc eligis, quod ei dicas, quod valde deteſtaris? Si poſſet ille, non ſe vindicaret? Sed non permittitur: & tantum facit, quantum permittitur. Nam & Iob tentare voluit, & nonniſi poteſtatem quæſivit, & nihil faceret, niſi poteſtatem accepiſſet.“ Oportet ſpem illam ſeu timorem illum dæmonum multum adhuc animis inſediſſe, conatumque averruncandi, cum idem ſanctus doctor in libris *de Civitate Dei* paſſim eum amovere ſtudeat: „Nec (ait) eosdem immundiſſimos ſpiritus, vel propter hæc ipſa bona malave terrena propitiandos aut timendos exiſtimemus. Quia ſicut ipſi mali homines in terra, ſic etiam illi non omnia quæ volunt, facere poſſunt, niſi quantum illius ordinatione ſinuntur; cuius plene iudicia nemo comprehendit, iuſte nemo reprehendit.“ Et lib. III. c. 10. „Intereſt quidem iam vitio proprio, malas mentes quatenus ſinantur iſti dæmones vel terrere vel excitare: ſed ſi ſemper hoc poſſent, nec aliud ſecretiore ac ſuperiore poteſtate contra eorum conatum ſæpe aliter ageretur, ſemper in poteſtate haberent, paces, bellicasque victorias, quæ ſemper fere per humanorum animorum motus accidunt; quas tamen plerumque contra eorum fieri voluntatem, non ſolum fabulæ multa mentientes, & vix veri aliquid vel indicantes, vel ſignificantes, ſed etiam ipſa *Romana* confitetur hiſtoria.“ Agit hic ſanctus doctor de auctis reipublicæ *Romanæ* rebus, quas

T. IV. p. 127.

p. 1050.

T. VII. p. 53. *lib. II. c.* 23.

pag. 65.

diis ſuis ſeu dæmonibus adſcribebant gentiles, collabentes autem Chriſtianiſmo. Id quod maxime impugnandum ſuſcepit S. Augustinus libris illis *de Civitate Dei*, commonſtrandumque, quam impotentes ſint ad vera ſaltem conferenda bona, neque in malis aliquid, niſi Deo id permittente, prævalentes. „Non quo idola (ut cum S. Hieronymo loquar) vel dæmones aſſidentes idolis mala ſæpe non fecerint, ſed quo, niſi conceſſa eis fuerit poteſtas a Domino, hoc facere non poſſint.“ A veri Dei cultore B. Iob S. Ambrosius nos ad nos ipſos revocans „Nam (inquit) & Iob ex Dei voluntate tentatur. Dedit tibi adverſarium, ſed propoſuit præmium. Nec excuſes fragilitatem, qui habes imaginem, accepiſti munitionem: unde & hoc proficit ad ſalutem, ut ſine permiſſione Dei diabolum nocere non poſſe cognoſcas; ne potentiam diaboli magis timeas, quam Divinitatis offenſam.“

Lib. XII. in cap. XLI. Iſaiæ pag. 315.

Lib. VII. in Lucam T. II. p. 963.

S. Gregorius Moralium lib. II. in cap. I. *Iob* illa nimirum verba: *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt &c.* „Conſideranda eſt (inquit) in verbis Domini diſpenſatio ſanctæ pietatis, quomodo hoſtem noſtrum permittit, & retinet; relaxat & refrenat: *Univerſa quæ habet, in manu tua ſunt; tantum in eum ne extendas manum tuam.* Subſtantiam prodit, ſed tamen corpus eius protegit, quod quidem poſtmodum tentatori traditurus eſt; ſed tamen non ſimul ad omnia relaxat hoſtem, ne undique feriens frangat civem. Mala enim cum multa electis eveniunt, mira conditoris gratia ex tempore diſpenſantur: ut quæ coacervata perimerent, poſſint diviſa tolerari. Hinc Paulus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere.* Hinc David ait: *Proba me Domine, & tenta me.* Ac ſi aperte dicat: Prius vires inſpice, & tunc ut ferre valeo, tentari permitte. Hoc tamen quod dicitur: *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt: tantum in eum non extendas manum tuam.* Intelligi & aliter poteſt, quia fortem quidem pugnatorem ſuum Dominus noverat, ſed tamen dividere ei certamina contra hoſtem volebat: ut quamvis robuſto bellatori victoria in cunctis ſuppeteret, prius tamen de uno certamine hoſtis ad Dominum victus rediret: tuncque ei aliud iterum vincendo concederet, quatenus fidelis famulus eo mirabilius victor exiſteret, quo victus hoſtis ſe contra illum iterum ad nova bella repararet.“ Et lib. XVIII. illa verba: *Qui abſtulit iudicium meum, & ad amaritudinem adduxit animam meam*, ſic declarat: „Iſta etenim quæ patitur non caſu ſe perpeti, ſed Deo omnia diſponente teſtatur: nec tentatori ſuo amaritudinis ſuæ poteſtatem tribuit, ſed auctori. Scit namque, quia diabolus licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat; tamen ſi ab auctore noſtro poteſtatem non accipit,

T. I. p. 46.

p. 558.

ad

ad tentationis articulum nullatenus convaleſcit. Unde & omnis voluntas diaboli iniuſta eſt, & tamen permittente Deo omnis poteſtas iuſta. Ex ſe enim tentare quoslibet iniuſte appetit, ſed eos, qui tentandi ſunt, prout tentandi ſunt, non niſi tentari Deus iuſte permittit.“

Diſcrimen hic faciunt theologi inter ordinariam & extraordinariam permiſſionem diverſis quidem infeſtationum generibus appoſitam, ſed in tantis, tam variis periculis ac machinationibus hoſtium noſtrorum inviſibilium rem aſſequi perſpicacia humana, ſagacique diſcretione difficile eſſe videtur. Illis vero ſuperflua eſt ea diſtinctio, qui dæmonem a Chriſto ligatum, & in barathrum detruſum in ſenſu ſtricto accipientes, omnem operationem dæmoniacam in ſphæra noſtra ad caſus extraordinarios referre, adeoque opinione ſua humanum genus ſatis tutum ab inſidiis dæmonum præſtant; a quorum tamen inſidiis ac infinitis technis ſacra ſcriptura, & ſancti Patres tanto conſenſu nos tantopere cautos eſſe volunt; ac ſollicita de ſalute animæ & corporis eccleſia ſpiritualibus munit armis, conceptisque publicarum precum & exorciſmorum inſtruit formulis, monetque apoſtolus *Epheſ.* VI. 11. *armaturam induere Dei, ut poſſimus ſtare adverſus inſidias diaboli.* a) a

XX. Quid quod ipſe Dominus noſter Iesus Chriſtus, dum nos in oratione Patrem ſuum rogare vult, ut liberet nos a malo, ex ſententia vetuſtiſſimorum Patrum de maligno diabolo liberationem nos petere inſtruit. „In legitima oratione (inquit Tertullianus) cum dicimus ad Patrem: *Ne nos inducas in tentationem* (quæ autem maior tentatio, quam perſecutio) ab eo illam profitemur accidere, a quo veniam eius deprecamur

Hinc petimus in orat. dom. liberari a malo.

De fuga in perſecut. c. 2. p. 537.

a) „ Le monde a trouvé un autre ſecret que l'apôtre, pour ſe fortifier contre les ennemis inviſibles dont il nous décrit dans l'Epitre de ce iour la puiſſance & la malice. C'eſt, ou de n'en point croire, ou de n'y point penſer, s'ils les croient. Il eſt bien rare de trouver des gens frappés de la crainte des demons, & qui aïent quelque ſoin de ſe garantir des pieges qu'ils leur tendent. C'eſt la choſe du monde a quoi l'on penſe le moins. Toutte cette république inviſible d'eſprits mêlés parmi nous, qui nous voient, & que nous ne voions point, & qui ſont touiours occupé a nous tenter en excitant ou en enflammant nos paſſions ne fait pas plus d'impreſſion ſur l'eſprit de la plupart des Chrétiens, que ſi c'etoit un conte, & une chimere. Notre ame plongée dans les ſens, n'eſt touchée que par les choſes ſenſibles. Ainſi elle ne craint point ce qu'elle ne voit point. Mais ces ennemis n'en ſont pas moins a craindre pour n'etre pas craints. Ils le ſont au contraire beaucoup plus; parce que cette fauſſe ſécurité fait leur force, & favoriſe leur deſſeins. C'eſt déja avoir fait de grands progrés, que d'avoir mis les hommes dans cette diſpoſition. Comme ce ſont des eſprits de tenebres, leur propre effet eſt de remplir l'ame de tenebres, & de s'y cacher. Et c'eſt pourquoi ces armes dont l'apôtre, nous exhorte de nous revertir, *Induite vos armaturam Dei*, ſont des armes de lumiere, dont le premier effet eſt de nous decouvrir notre danger.“ *Eſſais Moral Tome X.II. ſur l'epitre du XXI. Dimanche d'apres la Pentecoſte. p.* 188.

camur, hoc est enim quod sequitur, *Sed erue nos a maligno*; id est, ne nos induxeris in tentationem permittendo nos maligno. Tunc enim eruimur diaboli manibus, cum illi non tradimur in tentationem.“ Pro argumenti ratione rogatus a Fabio, agere ibi de persecutionibus auspicatur, primumque sibi probandum suscipit, nihil satanæ in servos DEI vivi licere, nisi permiserit Dominus; „ut aut ipsum destruat per fidem electorum in tentatione victricem, aut homines eius fuisse traducat, qui defecerint ad illum.“ Post exemplum autem Iob expensum, „Sic (pergit) & in apostolos facultatem tentationis postulavit non habens eam nisi ex permissu. Siquidem Dominus in evangelio ad Petrum, *Ecce*, inquit, *postulavit satanas, ut cerneret vos velut frumentum: verum ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua*; id est, ne tantum diabolo permitteretur, ut fides periclitaretur. Quo ostenditur, utrumque apud Deum esse, & concussionem fidei, & protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concussio a diabolo, protectio a filio.“ S. Cyprianus ex
pag. 106. professo de oratione dominica tractans, hanc magistri suam facit sententiam in explanatione eiusdem orationis dominicæ petitionis: *Et ne nos patiaris induci in tentationem*, sic effatus: „Qua in parte ostenditur nihil contra nos adversarium posse, nisi Deus ante permiserit: ut omnis timor noster & devotio, atque observatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur. Probat hæc scriptura divina, quæ dicit: *Venit* Nabuchodonosor *rex Babyloniæ in Hierusalem; & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum eius.* Datur autem potestas adversus nos mala secundum nostra peccata, sicut scriptum est: *Quis dedit in direptionem* Iacob & Israel *eis, qui prædabantur illum? nonne Deus, cui peccaverunt, & nolebant in viis eius ambulare, neque audire legem eius, & superduxit super eos iram animationis suæ?* Et iterum Salomone peccante, & a præceptis atque a viis Domini recedente, positum est: *Et excitavit Dominus satanam ipsi* Salomoni. Potestas vero duppliciter adversus nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur.“ Quod cum exemplo Iob aliisque probasset, ad conclusionem orationis dominicæ progressus: „In novissimo enim (pergit) ponimus: *Sed libera nos a malo*, comprehendentes adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; a quibus non potest esse fida & firma tutela, nisi nos Deus liberet, nisi deprecantibus atque implorantibus opem suam præstet. Quando autem dicimus: *sed libera nos a malo*, nihil remanet, quod ultra adhuc debeat postulari, quando semel protectionem Dei adversus malum petamus, qua impetrata contra omnia, quæ diabolus & mundus operantur,

perantur, ſecuri ſtamus & tuti.“ DIDYMO *Alexandrino* in libro contra *Manichæos* n. 11. „Dicitur diabolus & ſatanas & malus: quemadmodum Salvator in Evangelio præter cætera hoc quoque diſcipulos in oratione docet: *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.*“ MACARIUS homilia XXII. qua docet „Nullum hominem, niſi a Chriſto corroboratum ſcandala nequiſſimi ſuperare poſſe &c.“ Paullo poſt initium „Impoſſibile eſt enim (inquit) eum incedere ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem ac draconem, qui prius, quantum in viribus hominis eſt; ſe non expurgarit, nec roboratus fuerit ab eo, qui dicit apoſtolis: *Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Si enim valuiſſet humana natura, abſque univerſa armatura Spiritus ſancti, ſtare adverſus inſidias diaboli, non ſane dictum fuiſſet ab apoſtolo: *Deus autem pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris brevi.* Et iterum: *Quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui.* Propterea quoque iuſſi ſumus Deum obſecrare, *ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos a malo.* Niſi enim præſtantioris auxilii ope ab ignitis telis nequiſſimi conſequi digni habeamur adoptionem filiorum Dei, fruſtranea eſt converſatio noſtra, ut qui procul a virtute Dei abſumus.“

T. VI. Bill. PP. p. 314. *T. I. Opp. p. 325.* *Rom. 16, 20.* *2 Theſſ. 2, 8.*

S. CYRILLUS *Hieroſol.* in brevi expoſitione orationis dominicæ Catech. XXIII. *Myſtagog.* V. n. 18. *de ſac. Liturgia*, cuius conſtanter inde ab apoſtolis in omni eccleſia orientali & occidentali pars fuit: „Si (inquit) illud *Ne inducas nos in tentationem*, ſignificaret omnino non tentari, non adieciſſet, *ſed libera nos a Malo.* Malus vero eſt adverſarius dæmon, a quo liberari oramus.“ Et S. AMBROSIUS in eodem argumento lib. V. *de Sacramentis*, quibus *ſacræ menſæ myſteria*, id eſt liturgiam ſacram intelligit, ſimilique in explicatione brevi orationis dominicæ. „Vide (ait) quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*, quam ferre non poſſumus. Non dicit: *Non inducas in tentationem*: ſed quaſi athleta tamen vult tentationem, quam ferre poſſit humana conditio, & unusquisque a malo, hoc eſt ab inimico, a peccato liberetur.“ Ut autem palam ſit, a quo inimico, ſeu a malo, ἀπὸ τῦ πονηρῦ liberationem petendam putet, in continenti addit p. 478. „Potens eſt autem Dominus, qui abſtulit peccatum veſtrum, & delicta veſtra donavit, tueri & cuſtodire vos adverſum diaboli adverſantis inſidias, ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare conſuevit. Sed qui Deo ſe committit, diabolum non timet. *Si* enim *Deus pro nobis, quis contra nos?*“

pag. 331. *T. III. pag. 477. ſeq.*

Obſervant editores *San-Maurenſes* ex aliis locis S. AMBROSII, eum verba illa, *quam ferre non poſſumus*, ad textum non referre, quemadmodum

pag. 250. dum S. HILARIUS in Pſalm. CXVIII. lit. I. his verbis: „Quod & in dominicæ orationis ordine continetur, cum dicitur *Ne derelinquas nos in tentatione, quam ferre non poſſimus.* Scit apoſtolus derelinqui nos ad tentandum: ſed novit & menſuram infirmitatis noſtræ Deum noſſe, dicens *Fidelis eſt Deus, qui non permittat nos tentari ſuper quam poſſumus.* Ita Deus tentationi permittens, a iure diaboli poteſtatem animæ eius excerpſit, & ſecundum modum infirmitatis humanæ tentandi ius dereliquit.“ Annotarunt editores *San-Maurenſes* ad hunc locum, & ad ſermonem LXXXIV. *Append. T. V. p. 152.* in appendice S. AUGUSTINI, totum illum ſermonem exſcriptum eſſe ex laudato lib V. c. 4. S. AMBROSII *de Sacramentis*, ubi adeoque nihil ad rem novi conferunt verba illa adiecta orationi: *Ne derelinquas nos in tentatione, quam ferre non poſſimus.*

T. V. pag. 322. 722. 872. In genuinis ſermonibus S. AUGUSTINI accipiuntur verba illa *Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo*, aut generatim de tentationibus, aut ſpeciatim de concupiſcentia carnis in ſerm. LVI. & ſeq. *ad Competentes*: ſermone item CLII. & CLXXXIII. contra *Manichæos*, animam partem Dei eſſe dicentes. At vero S. PETRUS *Chryſol.* in plerisque ſermonibus in orationem dominicam, qui in noviſſima editione *Sebaſtiani* PAULI extant *Auguſtæ Vindel.* an. 1758. malum, a quo liberari petimus, diabo-*pag. 106. & 310.* lum interpretatur: „Qui (inquit ſermone altero) totius mali & auctor eſt & origo: diabolus natura cœleſtis fuit; nunc eſt nequitia ſpiritualis, ætate maior ſæculo, nocendi uſu tritus, lædendi arte peritiſſimus: unde non iam malus, ſed malum dicitur, a quo eſt omne, quod malum eſt. Hinc eſt, quod propriis viribus liberari homo non poteſt, carnalibus vinculis illigatus. Petendum nobis eſt ergo, ut Deus nos a diabolo liberet, qui Chriſtum terris, ut diabolum vinceret, commodavit. Clamet homo, clamet ad Deum, clamet *libera nos a malo*, ut a tanto malo, ſolo Chriſto vincente, liberemur.“ In appendice ſermonum S. PETRI *Chryſologi*, huic editioni primum addita, priores ſermones eiusdem ſunt argumenti *p. 252.* de oratione dominica nimirum. Quorum tertio verba ipſiſſima, quæ modo recenſuimus, repetuntur.

Dæmon, caro, mundus hoſtes coniurati.

XXI. Neque vero fruſtra alia ex S. AUGUSTINO commemoravi genera mali, inſidiantiumque inimicorum, a quibus in oratione dominica liberari Deum rogemus; neve nos induci in tentationem patiatur, abducique tot malis, quibus intus forisque obſidemur, quorum ſi vel unius tentationi ſuccumbimus, obnoxios nos maligno reddimus, atque locum ei in nobis relinquimus, ut veluti in ſuo quietus degat, ſecurusque quieſcat triceps infernalis cerberus mundus, caro & dæmon, ac fomes

ille

ille inteſtinus, incentivumque omnium malorum, pulvinar diaboli concupiſcentia: cuius nos ſpiculis confodit ὁ πονηρός. *Avertat Deus a ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem!* ut cum TERTULLIANO exclamem, qui in alio quidem, ad rem tamen valde appoſito argumento *de ſpectaculis* „Quale eſt enim (pergit) de eccleſia Dei in diaboli eccleſiam tendere? de cœlo (quod aiunt) in cœnum? illas manus, quas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare? ex ore, quo amen in ſanctum protuleris, gladiatori teſtimonium reddere, εἰς ἀιῶνας ἀπ ἀιῶνος alii omnino dicere, niſi Deo & Chriſto? Cur ergo non huiusmodi etiam dæmoniis penetrabiles fiant? Nam & exemplum accidit, Domino teſte, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo cum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi, conſtanter, & iuſtiſſime quidem, inquit, feci, in meo eam inveni.“ Uſuvenit id quodammodo in quotidianis tentationibus, conflictuque cum maligno, mundanorum carnaliumque hominum, qui ſe ultro tentationibus exponunt, & operibus diaboli, quibus renunciarunt, iterum ſe dedunt. „Lædunt autem (ut de malis angelis ORIGENES loquitur) ſibi obnoxios, qui ſe illis ultro ſubmiſerunt tanquam dominis ... certe Chriſtianus, qui vere Chriſtianus eſt, dicatus uni Deo, verboque ipſius, non poteſt lædi a dæmonibus, utpote illis præſtantior.“ Pertinet huc doctrina a nobis iam ſupra ex TICHONIO & S. AUGUSTINO commemorata *de Domino & eius corpore. De diabolo & eius corpore.* „Eſt enim (iuxta S. doctorem) & ipſe caput impiorum, qui ſunt eius quodammodo corpus, ituri cum ipſo in ſupplicium ignis æterni ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ, quod eſt corpus eius, futurum cum illo in regno & gloria ſempiterna.“ In libro *de vera religione* vocat illud voluptatis regnum, ad quod deſtruendum aliquando Deus miſceat „dolores & morbos & diſtortiones membrorum & tenebras coloris, & animorum ſimultates ac diſſenſiones, ut ex his admoneamur, incommutabile aliquid eſſe quærendum. Et hoc facit per infirma miniſteria, quibus id agere voluptatis eſt, quos exterminatores, & angelos iracundiæ, divinæ ſcripturæ nominant, quamvis ipſi neſciant, quid de ſe agatur boni. His ſimiles ſunt homines, qui gaudent miſeriis alienis, & riſus ſibi ac ludicra ſpectacula exhibent, vel exhiberi volunt, everſionibus & erroribus aliorum. Atque ita in his omnibus boni admonentur, & exercentur, & vincunt, & triumphant, & regnant. Mali vero decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, & ſerviunt, non uni omnium ſummo Domino, ſed ultimis ſervis, illis videlicet angelis, qui doloribus & miſeria damnatorum paſcuntur, & pro iſta malevolentia bonorum liberatione torquentur. (Et alibi)

De Spectat. c. 25. pag. 83.

Lib. VIII. contra Celſum. T. I. p. 401.

Lib. III. de doctrina chriſt. n 55. T. III. p. 63.

T. I. p. 774. n. 74. 75.

Epiſtola CCXVII. ad Vitalem T. II. p. 802. ſeq.

alibi) Quid ergo (ſcribit) operatur hæc poteſtas in filiis diffidentiæ, niſi opera ſua mala, & imprimis maximeque ipſam diffidentiam, & infidelitatem, qua ſunt inimici fidei, per quam ſcit eos poſſe mundari, poſſe ſanari, poſſe perfectiſſime liberos, quod eis vehementer invidet, in æternitate regnare. Itaque aliquos eorum, per quos amplius decipere affectat, ſinit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudantur, per quasque gentes, præcipueque in gente *Romana*, qui præclare glorioſiſſimeque vixerunt. Sed quoniam, ſicut veraciſſima ſcriptura dicit: *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & ſine fide impoſſibile eſt* utique *placere Deo*, non hominibus; nihil ſic agit hic princeps, quam ut non credatur in Deum, nec ad mediatorem, a quo ſolvuntur opera eius, credendo veniatur.“ Exiſtimo hanc maximam eſſe ſtragem, quam diabolus inter Chriſtianos vera vivaque, de qua hic loquitur doctor gratiæ, deſtitutos fide facere poteſt (circumventos autem illa, qua *& dæmones credunt, & contremiſcunt*) qui in evangelio *temporales* dicuntur, *& non habent radicem in ſe.* Quod *ſecus viam cadit ſemen verbi Dei: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant.* Facit huc parabola de palmite vitis, qui *non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite.* Sic ſupra ex S. Augustino audivimus diabolum foras miſſum eſſe „ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps eſt, quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc mundo viſibili continentur: non quia ipſe dominus eſt huius mundi, ſed princeps cupiditatum eorum, quibus concupiſcitur omne, quod tranſit; ut ei ſubiaceant, qui negligunt æternum Deum, & diligunt inſtabilia & mutabilia. *Radix enim eſt omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide erraverunt, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Tales ſunt omnes, qui diligunt iſtum mundum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo, qui princeps eſt huius mundi, cum renuntiatur corruptelis & pompis & angelis eius. Ideoque ipſe dominus iam triumphantem naturam hominis portans *ſcitote*, inquit, *quia ego vici mundum.*“ Add. D. Thomas in *Iob* XL. lect. 2. qua dæmonibus victoriam adſcribit in tribus generibus hominum ſcilicet ſuperbis, voluptuoſis, & deditis curis ſæculi, vel inſtabilibus.

Iac. 2, 19. Matth. 13, 21. Marc. 4, 17. Luc. 8, 12. Io. 15, 4. De agone chriſt. T. VI. p. 245. 1 Tim. 6, 10.

Omnes infeſtationibus diaboli obnoxii etiam boni.

XXII. Sed putet quisquam malignum in ſuo tantum graſſari regno, nec alienos a ſe, Chriſtoque deditos tentare; cum tamen nec Chriſtum iteratis aggreſſionibus tentare ipſum ſit abſterritus, nec infinities repulſus, quieſcat.

quieſcat. „ Is (ſunt verba S. Ioannis *Chryſoſt.* Concione I. de Lazaro) uſque adeo veſanus eſt, ut frequenter & illa tentet, quæ fieri non poſſunt: nec illos ſolum adoriatur, quos omnino confidit ſe ſupplantaturum deiecturumque, verum etiam eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores.“ In exemplum adducit Iob. S. Ambrosius autem huc illud *Iſa.* XIV. 13. interpretatur: *In cœlum aſcendam: ſuper ſidera cœli ponam ſedem meam.* „ Ponit (inquit) ſuper ſidera, quando electum decipit, quando iuſtum circumvenit, cuius opera lucent ſicut ſtellæ in cœlo.“ Alibi, quomodo *Mediolanenſes* ſuos ab *Arianis* ſupplantatos, allocutus ſit, ſororı ſuæ narrans: „ Videtis (ait) diabolo tentandi licentiam dari, ut boni probentur. Invidet inimicus bonis profectibus, tentat diverſis modis. Tentavit ſanctum Iob in patrimonio, tentavit in filiis, tentavit in dolore corporis. Fortior in ſuo corpore tentatur. Infirmior in alieno. Et mihi meas divitias, quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquillitatis veſtræ patrimonium diſſipare cupiebat. Vos quoque ipſos mihi bonos filios geſtiebat eripere, pro quibus ego quotidie inſtauro ſacrificium: vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur involvere. Duo igitur iam genera tentationis excepi. Et fortaſſe, quia infirmiorem me Dominus Deus novit, adhuc in corpus meum non dedit poteſtatem. Etſi ipſe cupiam, etſi offeram: adhuc me fortaſſe huic certamini imparem iudicat, & diverſis exercet laboribus. Nec Iob ab iſto cœpit certamine, ſed in hoc conſummavit.“ Fortem hic cernis audisque, & ad prœlium paratum promtumque athletam; ſed non omnes nec boni quidem ſemper ita ad pugnam cum diabolo atque ad victoriam ſunt comparati. S. Iacobus *Niſibenus* inquirens, quomodo iuſtos exploret ſatanas, tempusque aucupet: „ Attendit (inquit) & obſervat horam: an audiat ab illo homine; in quo habitat Chriſtus, quod loquatur verba turpia, vel iraſcatur, rixetur, contendat; tunc ſcit diabolus, quod Chriſtus non eſt cum eo, & venit & perficit voluntatem ſuam in eo: quia Chriſtus habitat in manſuetis & in humilibus, & qui contremiſcunt a verbis eius, ſicuti dicit propheta. Et Dominus noſter dicit: *Qui ambulat in mandatis meis, ad eum nos venimus, & manſionem apud eum facimus.* At ſi audiat ab illo homine, quod vigilat & orat; & meditatur in lege Domini die ac nocte; tunc diſcedit, quia ſcit, quod Chriſtus eſt cum eo.“ Sed impudens impoſtor, nec hic ſiſtit. S. Augustinus ut commonſtret, dæmonem neminem intactum relinquere, in exemplum parvulos baptizatos adducit, e. c. lib. XXII. *de Civit. Dei* c. 21. „ Quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maxime, Deo ſinente, iſta monſtretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius deſi-

T. I. p. 711.

In Pſ. 118. T. II. p. 604.

T. III. pag. 904.

T. V. Bibl. PP. p. LI.

Iſa. 66, 2.

T. VII. pag. 686.

lb.lib. XX. c.7. p. 582. deranda felicitas." De adultis autem electis ſupra, ut alibi paſſim „ Nec moveat (aiebat) quod ſæpe diabolus ſeducit etiam illos, qui iam regenerati in Chriſto vias ingrediuntur Dei. *Novit* enim *Dominus, qui ſunt eius:* ex his enim in æternam damnationem neminem ille ſeducit."

S. GREGORIUS exemplo, quomodo diabolus ſtantes aggrediatur declarat, ad hæc *Iob* II. 9. uxoris eius verba: *Adhuc permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo, & morere*, ita effatus: „ Antiquus hoſtis humanum genus duobus modis tentare conſuevit; ut videlicet corda ſtantium aut tribulationibus frangat, aut perſuaſionibus molliat. In utrisque ergo contra beatum IOB ſe vehementer exercuit. Nam prius patrifamilias intulit damna rerum, orbavit patrem morte filiorum, percuſſit incolumem putredine vulnerum. Sed quia putreſcentem foras, ſanum adhuc interius ſtare conſpexit; & quem exterius nudum reddidit, hunc interius ditiorem fieri per exhibitam laudem conditoris invidit: calide cogitans penſat, quod contra ſe athleta Dei unde premitur, inde ſublevatur, victusque ad ſubtilia tentandi argumenta convertitur. Nam antiquæ artis inſidias repetit: & quia ſcit, quomodo ADAM decipi ſoleat, ad EVAM recurrit &c."

I. III. n. 12. T. I. p. 77.

Et religioſi homines.

XXIII. Magnus ille ANTONIUS abbas certaminibus ſuis contra dæmones aperto etiam marte a S. ATHANASIO in eius vita celebratur: quo in argumento tota illa verſatur oratio eius ad monachos, quam nobis is ipſe S. ATHANASIUS ſcriptam reliquit eius vitæ inſertam: in qua, quomodo etiam ſuorum tentationes viſione perceperit, narrat; nobis autem hic ſatis eſt ipſa S. ANTONII ad nos cautos reddendos contra innumeras eius inſidias percenſere verba: „ Lapſi (inquit) a cœleſti ſapientia, poſt in terra volutati, gentiles phantaſiis deceperunt; invidiaque in nos chriſtianos ardentes, nihil non movent, ut cœlorum nobis aditum intercludant, ne eo nos aſcendamus, unde lapſi illi ſunt. Quapropter multa oratione, multa exercitatione opus eſt, ut accepta quis per ſpiritum diſcretionis ſpirituum gratia, quæ illos ſpectant, poſſit cognoſcere: quinam ſcilicet illorum minus nequam, quinam nequiores ſint: quo ſtudio ſinguli eorum teneantur: qua quisque ratione proſternatur, & deiiciatur. Multi ſunt enim eorum doli, multi ad parandas inſidias motus. Beatus certe apoſtolus & eius ſectatores hæc probe norant cum dicerent: *Non enim ignoramus cogitationes eius.* Nos vero ex iis, quas ab illis ſumus experti tentationibus, mutuo debemus alii alios emendare. Ego itaque, ut aliquam eorum aſſecutus experientiam, ut filiis loquor. Si igitur viderint illi Chriſtianos quoslibet, maximeque monachos laborare atque

T. IV. Bibl. PP. p. 637.

2. Cor. 11, 11.

que proficere, primum aggreſſi tentant, & offendicula ponunt in via: quæ ſcilicet offendicula ſunt malæ cogitationes. Non eſt autem, quod eorum ſuggeſtionibus terreamur: nam precibus, ieiuniis & fide in Dominum, ſtatim illi labuntur. Sed lapſi minime quieſcunt; vafre quippe & callide rurſum accedunt. Ubi enim palam per obſcenas voluptates cor decipere nequeunt, alia aggrediuntur via; vanisque ſpeciebus perterrere nituntur, variis aſſumtis formis mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum." Hæc autem omnia didiciſſe eum ſua experientia, ex iis, quæ poſtea dicit, nosque ſuo loco afferemus, palam fit: veluti etiam de S. PAULO, HILARIONE in eorum vita S. HIERONYMUS narrat, atque de aliis ex eorum vitis & apophthegmatibus conſtat, de S. MACARIO etiam, quomodo dæmones egreſſos ad ſuos monachos tentandos viderit. Ex eius vero ſententia in libro *de Cuſtodia cordis*: „Totum adverſarii certamen in eo deſudat, ut queat mentem noſtram a Dei recordatione & amore abſtrahere, illecebras ad id adhibens terrenas, omnique arte ſatagens affectum ſenſumque noſtrum ab eo, qui unus vere bonus eſt, ad ea, quæ ſola opinione, non autem ſolida veritate, bona ſunt, avertere. Quodcumque enim homo bonum facit, polluere ac contaminare improbus conatur, maximeque contendit, cum quem videt legi obſervandæ operam dantem, operi bono aut vanæ gloriæ, aut tumidæ ſui præfidentiæ labem inſpergere, ne Dei ſolius cauſa, & ex bono vereque laudabili propoſito, quod exterius bene fit, interius geratur." Hæc autem pluribus explanant exemplis etiam *doctrina & exhortatio* magni ſancti ARSENII, EVAGRII item *Scitenſis* capita practica ad ANATOLIUM, quæ uno tomo VIII. bibliothecæ Patrum recens editæ collecta habentur: quibus addi meretur S. BASILII ſermo aſceticus & exhortatio *de renunciatione ſæculi & de perfectione ſpirituali* T. II. Opp. p. 202. ſeqq. ubi ordine enumerat, declaratque varia luctamina, quæ cum ſalutis noſtræ hoſtibus ſunt ineunda.

Vid. Roſweid. *Bibl. PP. T. VII. p. 224. Item T. II. Opp. p. 262. Ib. p. 161. Ib. p. 427. pag. 560.*

XXIV. Quæſtionem movet S. MACARIUS *Ægyptius* homilia XV. *Utrum perfectis imminet afflictio aut penitus ſecure vivunt?* Reſpondet autem, hoſtem nemini bellum inferre deſinere; ſatanam vero immiſericordem eſſe, & odiſſe homines, quapropter etiam omnibus hominibus bellum inferre non pigreſcere; verum non iisdem modis omnes adoriri, id quod longo diſcutit ſermone. Homilia autem XXXVIII. ubi oſtendit, accurato iudicio atque intellectu opus eſſe in diſcernendis veris Chriſtianis, & quinam ſint illi, ſic n. 4. proloquitur: „Quia ſatanas, cum id, quod bonum eſt, odio proſequatur, mala ſuggerit his, qui virtutem conſectantur, eosque averte-

Quique cumprimis pietati ſanctitatique ſtudent. *T. I. Opp. p. 199. p. 470. 474.*

re contendit; hoc enim eius est opus. Verum ne illi subiiciaris, sed operare iustitiam, quæ in interiori homine perficitur, in quo Christi altare consistit unacum impolluto sanctuario, ut testimonium conscientiæ tuæ glorietur in cruce Christi, qui expurgat conscientiam tuam ab operibus mortuis, ut spiritu tuo Deo ministres, ut noris, quid adoras, secundum eum, qui dicit: *Nos adoramus, quod scimus.* Confide dirigenti te Deo, consortium habeat anima tua cum Deo, ut sponsa societatem colit cum sponso. *Mysterium* enim *hoc magnum est: ego vero dico inter Christum* & incontaminatam animam." Idem suis verbis in Apophthegmatibus in duobus monachis narrat vidisse se „dæmones instar muscarum venientes super minorem, quorum alii accedebant in ore eius, alii in oculis. Simul conspexi (pergit) angelum Domini cum gladio ignis præ manibus, circumvallantem eum, dæmonesque ab eo propellentem. At maiori non poterant appropinguare . . Comperi ergo, quod maior perfectus esset, minorem adhuc impugnaret inimicus." Passim SS. Patres & ascetæ conqueruntur de mentis inter orandum instabilitate variis distractionibus abripi solitæ: maximæque perfectionis indicium est, hic superiorem maligno fieri, eumque procul amovere propulsareque animo. Provocans S. Ioannes *Chrysost.* in homilia quadam ad aliam die proxima habitam *de orationis virtute*, in qua ostenderit „quo pacto tum temporis diabolus, ut maleficus est, insidias struat, Cum enim (pergit) maximum nobis lucrum ex oratione cernat obvenire, tunc maxime impetum facit: ut excusatione nos privet, ut vacuis manibus nos domum remittat . . Lux est mentis & animæ cum studio fusa oratio, lux inextincta & perennis. Propterea innumeras nostris mentibus cogitationum sordes iniicit, & quæ nunquam cogitavimus; hæc collecta tempore orationis in animam nostram infundit. Et quemadmodum venti sæpenumero ex adverso ingruentes accensum ignem lucernæ flatu diventilatum exstinguunt: sic & diabolus, cum in nobis accensam orationis flammam viderit, innumeris nos sollicitudinibus hinc inde perflatos non prius finit quiescere, quam lucem extinxerit. Sed quod illi faciunt, qui lucernas illas accendunt, nos quoque faciamus. Quid illi vero faciunt? Cum vehementem ingruere ventum vident, impositio digito lucernæ foramini spiritui aditum intercludunt. Quamdiu siquidem exterius impetum faciet, resistere valebimus: ubi vero mentis illi fores aperuerimus, & inimicum intus admiserimus, tum non amplius ne minimum quidem resistere possumus; sed memoria nostra undique extincta ut lucerna fumigans, inania verba finit os nostrum effundere. Verum ut illi lucernæ foramini digitum imponunt, ita nos rationem menti præficiamus, maligno spiritui aditum intercludamus, ne orationis nostræ lumen exstinguat."

T. II. p. 262.

T. III. p. 347.

Est

Est hæc insignis ab hoste victoria reportata in fugam acto; at non sine pugna sine lucta sic foras mittitur, & alligatur fortis: atque ita diabolum iuxta S. AUGUSTINUM vincent brevi etiam spatio illo, quo extremis temporibus solvendus erit, „Interiores homines & tales (inquit lib. XX. *de Civit. Dei* cap. 8. *de alligatione & solutione diaboli*) ut vinci tanto eius impetu insidiisque non possint. Si autem nunquam solveretur, minus appareret eius maligna potentia, minus sanctæ civitatis fideliſſima patientia probaretur; minus denique perspiceretur, quam magno eius malo tam bene fuerit usus Omnipotens: qui eum nec omnino abstulit a tentatione Sanctorum, quamvis ab eorum interioribus hominibus, ubi in Deum creditur, foras missum, ut forinsecus eius oppugnatione proficerent, & in eis, qui sunt ex parte ipsius, alligavit, ne quantum posset effundendo & exercendo malitiam, innumerabiles infirmos, ex quibus ecclesiam multiplicari & impleri oportebat, alios credituros alios iam credentes a fide pietatis hos deterreret, hos frangeret; & solvet in fine, ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui redemtoris, adiutoris, liberatoris, aspiciat. In eorum sane, qui tunc futuri sunt, Sanctorum atque fidelium comparatione quid sumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus solvetur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus. Quamvis & hoc temporis intervallo quosdam milites Christi tam prudentes & fortes fuisse atque esse, non dubium est, ut etiam si tunc in ista mortalitate viverent, quando ille solvetur, omnes insidias eius atque impetus & caverent sapientissime, & patientissime sustinerent.“ *T. VII. pag. 583.*

Ita vero S. HILARIUS contra religiosas mentes graviores, frequentiores, diuturnioresque tentationes fore ostendit in illud Psalmi CXXVIII. *Sæpe impugnaverunt me a iuventute mea: etenim non potuerunt mihi.* „Talis (inquit) religiosorum debet esse confessio. Et hæc vera fidei probatio est, ut qui sæpe & a iuventute impugnant, nunquam tamen eorum, quos & sæpe & pridem impugnaverint, præpotentes sint. Adversus autem validiores & longum & frequens est prœlium: & idcirco inimicæ spiritalesque virtutes firmos fide & timore Dei viros & diu & sæpe pertentant: quia iterari necesse est, quod & diu geritur, & quod numquam obtinetur. Maneamus ergo, ut sæpe impugnemur; & sæpe impugnati, habeamus hanc gloriam, ne aliquando cedamus; & hinc sit impugnationis nostræ assiduitas, quia non sit impugnantium præpotens fortitudo.“ a) S. GREGORIUS M. dum observat in cap. XLI. IOB antiquum *pag. 431. sq.* *T. I. pag. 1102.*

a) S. GREGORIUS *Naz.* in carmine *de bello quod movent dæmones* CXCIII. T. VI. *Bibl. PP.* p. 403. hæc profert: „Quo magis enim animæ meæ internam cernebat religionem,

quum hoſtem, „quo diſtrictius frangitur eo nequius per multiplicia argumenta dilatari. Cuius tamen (addit) infidias Dominus quanto ſubtilius occultari conſiderat, tanto nobis miſericordius manifeſtat, recte ſubiungitur: *Quis revelabit faciem indumenti? Leviathan* iſte aliter religioſas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat: nam pravis mala, quæ deſiderant, aperte obiicit: bonis autem latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Illis velut familiaribus ſuis iniquum ſe manifeſtius inſinuat: iſtis vero velut extraneis quaſi honeſtatis prætextu ſe palliat, ut mala, quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine ſubintromittat.“

pag. 40. S. Leo ſermone XL. qui eſt tertius in Quadrageſima *de tentatione*, ſollicite conſcientiam excutiendam contra periculoſam ſecuritatem, monet, ac occultam ſuperbiam, queis religioſas mentes infeſtari eſt proclive: „Superbum eſt enim de non peccantis facilitate præſumere, cum hoc ipſum præſumſiſſe peccatum ſit, dicente beato Ioanne apoſtolo: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Nemo igitur ſe fallat, dilectiſſimi, nemo ſe decipiat. Neque quisquam de cordis ſui puritate confidat, ut putet ſe nullis tentationum periculis ſubiacere, cum pervigil ille tentator eos acrioribus pulſet inſidiis, quos
T. II. p. 5. maxime viderit abſtinere a peccatis.“ S. Ioannes *Chryſoſt.* hom. I. ad pop. *Antioch.* „Multo magis (inquit) nos timere oportet, & tanto magis, quanto maiora fuerimus operati. Tunc enim diabolus ſævior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos diligentia vitam noſtram diſponentes; cum viderit virtutis onera compoſita, & magnos acervos, tunc gravius inferre naufragium ſtudet.“

Iam ſupra Stagirii aſcetæ inſignis exemplum adduximus a dæmonio ve-

Eo magis etiam ira turgida efferveſcat.
Ut quando per inſidias ſubrepens, inſanabilem intra carnem
Morbus compreſſus medicamentis inopportunis
Depaſcens latibula non apparentia, non prius ceſſat,
Quam alio erumpens (ægrum) adducat in diſcrimen
Aut fluentum firmis munitionibus hac parte repreſſum,
Illac obnititur, & collectim erumpit.

Tale eſt invidi pravum belſum. Quando ipſum cohibebam
Lingua ad aliam quandam dilabebatur noxam.
Non tamen cepit. Chriſtus enim ſuperveniebat præſidium meum,
Qui & diſcipulos e tempeſtate eruit,
Ac multos morbis & dæmonum vinculis
Liberavit, voluntati largiens gratiam.“

vexatum, quem allocutus S. Ioannes *Chryſoſt.* „ At vero tu (inquit) dum admiraris, cur non antea potius, cum delicate viveres, atque illa ſæculi pompa ſtipatus incederes; ſed nunc, quando abieciſti illa omnia, ac teipſum totum devoviſti, peſſimus te ille dæmon invaſit, idem prorſus facis, ac ſi admiraris, cur ſpectatoribus nullus moleſtus eſſet, ſed qui in pugilum numero adſcriptus exercitatusque in certamen deſcendiſſet, hunc ſolum ex omnibus colluctator expeteret, percutiens caput, faciemque concidens. Non hoc ergo aut miraculo aut mœrore dignum eſt, ſi nos ille pugil adortus premit & urget: quippe iſta eſt pugnantium lex. Verum ſi ille deiiciat atque proſternat, ac præmia laborum tollat, hoc grave eſt. Quamdiu vero non prævalet, non ſolum nobis nihil nocuit, ſed profuit plurimum, conflictu illo ſuo ſumma nobis ornamenta concilians. Namque & in caſtris ille præſtare cæteris putatur, qui plura vulnera præ ſe ferre poteſt, ac ſingularia certamina adverſus quoslibet hoſtium fortiſſimos ſuſcipere. Eos itidem athletas maxime miramur, qui cum inexpugnabilibus, ſic enim appellant contentioſiores quosque antagoniſtas, viriliter congrediuntur. Sed & venator ille maxime præcellit, qui ferociſſimas belluas excipit. Impudens eſt atque imperterritus hic dæmon: at ego propterea te mirari ac ſtupere non deſino, quod huiusmodi adverſarium nactus tam violentum, lapſus non es, neque in deditionem venire toleraſti; ſed firmus perſtitiſti, nulla ex parte illius improbitati cedens.“ Magnus ille dæmonum fugator apud Sulpitium *Severum*, cum occultis vanitatis cogitationibus premeretur, nec „ ſeipſum purgare poſſet, totis precibus converſus ad Dominum fertur oraſſe, ut permiſſa in ſe menſibus quinque diaboli poteſtate, ſimilis his fieret, quos ipſe curaverat. Quid multis morer! ille præpotens, ille, qui ſignis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille, ad cuius limina populi ante confluxerant, ad cuius fores ſummæ iſtius ſæculi ſe proſtraverant poteſtates, correptus a dæmone eſt, tentus in vinculis, omnia illa, quæ energumeni ſolent ferre, perpeſſus. Quinto demum menſe purgatus eſt non tantum dæmone, ſed, quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.“ De abbate Moyse narrat Cassianus Collat. VII. c. 27. quod contra abbatem Macarium diſputans verbum paullo durius protuliſſet, tam diro confeſtim eſſe traditum dæmoni, „ ut humanas egeſtiones ori ſuo ab eo ſuppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia ſe Dominus intuliſſe, ne ſcilicet in eo vel momentanei delicti macula reſideret, velocitate curationis eius, atque auctore remedii demonſtravit. Nam continuo abbate Macario in oratione ſubmiſſo, dicto citius nequam ſpiritus ab eo fugatus diſceſſit.“

T. I. p. 177.

Dial. I. c. 20.

In extremo mortis agone.

XXV. Audet vero draco infernalis hominibus ſanctiſſimis in extrema lucta (tunc nempe agitur ultimum ad felicem cum bonis, aut infelicem cum malis angelis æternitatem momentum) ſe repræſentare etiam viſibili ſpecie. Eius rei unum ſaltem hic intereſt accenſere exemplum S. MARTINI *Turonenſis* ex teſtimonio SULPITII *Severi*, qui fuit ſancti viri diſcipulus, & licet præſens morti haud adfuerit, vadimonium tamen dat in epiſtola III. ad BASSULAM ſocrum ſuam, *quomodo B. Martinus ex hac vita ad immortalem transierit*, ſe ea perſcribere, quæ ſibi ſunt comperta. „Videns autem (ut narrat) Sanctus diabolum prope aſſiſtere, *Quid hic*, inquit, *aſtas cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies. Abrahæ me ſinus recipit.* Cum hac ergo voce flagitantem divinis operibus ſpiritum cœlo reddidit.“ Sed quotusquisque erit, qui malignum ſpiritum in illo articulo acheronta moventem cum tanta fiducia & ſecuritate alloqui audeat? dum econtra præteritæ vitæ conſcientia prægravati, aut ad id uſque tempus incurii ſalutis ſuæ, ipſarumque dæmoniacarum infeſtationum, quas forte etiam nihili, cum viverent, fecerunt, ſeu pro ſomniis delirantium habuerunt, nimis ſero ſentient ipſo ſuggerente tunc demum diabolo, quanto in errore ſint verſati, periculoſiſſimo ad deſperationem ultimo illo aggreſſu hoſtis, ac tentatione, ex cumulo omnium transactæ vitæ peccatorum, quod S. GREGORIUS gravibus proponit verbis: „Sciendum quoque eſt (inquit) quod plerumque eis, quos ceperit, tunc graviores culpas ingerit, cum præſentis vitæ termino illos propinguare cognoſcit: & quo ſe conſummaturum tentationem conſiderat, eo eis iniquitatum pondera graviora coacervat. *Behemoth* igitur caudam ſuam quaſi cedrum ſtringit, quia, quos per prava initia ceperit, ad finem deteriores reddit: ut tentamenta ejus, quo citius ceſſatura ſunt, eo valentius compleantur. Quia enim ſuis pœnis eorum ſatagit æquare ſupplicium, in eis ardentius ante mortem nititur omne exaggerare peccatum.“

pag. 233.

T. I. pag. 1064.

Diabolus an, aut quomodo omnium malorum cauſa? Iob 41, 24. 25.

XXVI. Scribit hæc in caput quadrageſimum IOB, quo & ſequenti quadrageſimo primo *Behemoth* & *Leviathan*, qui initio libri diaboli nomine venerunt, malitia atque nocendi artes demum & potentia variis figuris explicantur his verbis: *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Sic paullo poſt ex S. AMBROSIO explicabimus *auctorem eſſe principem mundi omnium delictorum.* Quomodo ſcilicet dicitur princeps huius mundi, nosque armaturam Dei ſumere apoſtolus hortatur *adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus.* Quibus relatis:

Epheſ. 5, 11. 12.

relatis: „Per hæc igitur omnia (ſcribit ORIGENES lib. III. de Principiis) docet nos ſcriptura divina, eſſe quosdam inviſibiles hoſtes dimicantes adverſus nos, & præcipit armari nos debere contra eos. Unde & ſimpliciores quique domino chriſto credentium exiſtimant, quod omnia peccata, quæcunque commiſerint homines, ex iſtis contrariis virtutibus mentem delinguentium perurgentibus fiant, pro eo, quod in certamine iſto inviſibili ſuperiores inveniantur poteſtates. Quodſi, verbi cauſa, diabolus non eſſet, nemo hominum omnino delinqueret. Nos vero rationem dilucidius intuentes, hæc ita eſſe non arbitramur, conſiderantes ea, quæ manifeſte ex corporali neceſſitate deſcendunt. An vero putandum eſt, quod diabolus eſuriendi vel ſitiendi cauſa nobis exiſtat? Neminem eſſe puto, qui hoc audeat affirmare. Si ergo eſuriendi & ſitiendi non nobis ipſe ſit cauſa, quid aliud, cum unius cuiusque ætas ad virilitatis tempus advenerit, & naturalis caloris incentiva ſuggeſſerit? Conſequens eſt ſine dubio, ut ſicut eſuriendi & ſitiendi diabolus cauſa non eſt, ita nec eius quidem motus, qui adultæ ætati naturaliter ſuggeritur, id eſt appetendi coitus deſiderium." *T. I. p. 138.* Et paullo generalius id complexus quidquid concupiſcentiæ nomine comprehendimus, „Quod autem (pergit) ſint quædam peccata, quæ non a contrariis virtutibus veniant, ſed ex naturalibus corporis motibus initium ſumant, manifeſtiſſime declarat apoſtolus PAULUS in eo, dum dicit: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem*: hæc ſunt, quæ ſibi invicem reſiſtunt, ut non, quæ vultis, illa faciatis. Si ergo caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, eſt nobis aliquando colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt cum homines ſumus, & ſecundum carnem ambulamus, & cum non poſſumus tentari in maioribus tentationibus quam humanis, cum dicitur de nobis: *Tentatio vos non comprehendat niſi humana. Fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari ſupra id, quod poteſtis.*" *1. Cor. 10, 13.* Sic apte diſtinguitur tentatio diaboliça ab humana, quæ ab ipſa hominis corruptione & propenſione in malum oritur. Fragilitatem autem noſtram benignus Deus clementer reſpiciens ſacramenta reconciliationis reliquit hominibus a dæmone ſeductis, quod non conceſſit dæmoni ſeductori, iisque, quos ſecum in eandem abducit damnationem. Hinc eſt, quod de IUDA proditore Chriſtus cæteris apoſtolis dicat: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt?* *Io. 6, 71.* isque in *Apocalypſi* eo ſenſu ἀπολλύων appellatur ex origine omnis perditionis cauſa; tum etiam iuxta S. ZENONEM *Veronenſem pater omnium corrupte viventium diabolus deſignatur*: a) quo ſenſu Chriſtus de *Iudæis* dicit: *Vos ex patre diabolo eſtis.* *Io. 8, 44.*

a) Teſtimonium hoc ſæpius a RATHERIO *Veronenſi* eſt repetitum, ut annotatur in nova edit. operum S. ZENONIS ad lib. II. tract. 14. n. 4. ed. *Auguſtana* p. 195.

Quod autem res eſt, expreſſit S. Ioan. *Chryſoſtomus* lib. I. ad Stagirium dæmone vexatum his verbis: „Quodſi diligenter his, quæ fiunt, animum intendere velimus, inveniemus minime ad omnia nos diabolum impellere; ſed cum plurimorum ille nobis lapſuum ſit auctor, plurima item nosmetipſos per noſtram ſolam ſocordiam & negligentiam pati.“ Id Clemens *Alexandrinus* ſecundum clementiſſimam divini numinis erga perditum genus humanum voluntatem accipiens, „Cum autem (inquit) ſit Dominus cognitor cordium, & futura præſciat, facilem hominis mutationem, & ad revertendum propenſionem, & diaboli calliditatem ab alto vidit a principio, qui homini invidens propter remiſſionem peccatorum aliquas peccatorum cauſas ſervis Dei ſuggeret, aſtute hoc moliens, ut ipſi quoque cum eo cadant. Dedit ergo Deus, cum ſit multæ miſericordiæ, iis etiam, qui fide in aliquod peccatum incidunt, ſecundam pœnitentiam, ſi quis tentatus fuerit poſt vocationem, coactus & callide circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit pœnitentiam.“ Neceſſe fuit olim ob *Manichæos* probe diſcernere originem & cauſas peccatorum, ſicque negat S. Thomas diabolum eſſe cauſam peccati, ſtudioſe inquirens quæſt. III. *de malo* (art. 3. & 1. 2. q. 80. a. 1.) Hucque imprimis pertinet in prima parte quæſtio 114. *de dæmonum impugnatione*, ubi, poſtquam ſtatuiſſet art. 1. & 2. homines impugnari a dæmonibus, tentareque proprium eſſe diaboli, negat tamen art. 3. omnia peccata procedere ex tentatione diaboli.

Lib. II. ſtromat. p. 282.

Quomodo in animum ſeſe inſinuent cogitationesque noſtras. *T. II. pag. 325.*

XXVII. Quæcunque vero demum ſint omnis generis dæmoniacæ infeſtationes, eæ legitime certantibus in bonum vertuntur ad immarceſſibilem æternæ vitæ coronam, tantoque maiorem gloriam, quo diriores fuerint pugnæ & victoria difficilior. „Sine labore certaminis (ſunt verba S. Gregorii M. lib. III. Dial. c. 19. de ſanctis ex inſidiis hoſtis antiqui proficientibus) non eſt palma victoriæ. Unde ergo victores ſunt, niſi quod contra antiqui hoſtis inſidias decertaverunt? Malignus quippe ſpiritus cogitationi, locutioni, atque operi noſtro ſemper inſiſtit, ſi fortaſſe quid inveniat, unde apud examen æterni iudicis accuſator exiſtat.“ Angelos tam malos quam bonos ſeſe inſinuandi in animam noſtram atque adeo cogitationes excitandi promtitudine pollere probandum ſibi ex ſcripturis ſuſcepit Origenes: „Cogitationes (inquit) quæ de corde noſtro procedunt, vel memoria quorumcunque geſtorum, vel quarumlibet rerum cauſarumque contemplatio, invenimus, quod aliquoties ex nobis ipſis procedant, aliquoties a contrariis virtutibus concitentur: interdum etiam a Deo, vel ſanctis angelis immittantur. Verum hæc ita eſſe,

Lib. III. de Principiis T. I. p. 140.

fabu-

fabulosum fortasse videbitur, nisi scripturæ divinæ testimoniis fuerit probatum."

Id vero difficulter explicari poterit, quomodo cogitationes nostras assequantur, etsi nulli dubium esse possit, spiritum spiritui sua pandere communicareque animi sensa; sed res est de latentibus mente cogitationibus, qua ratione penetrent dæmones, aut vicissim excitent. S. Macarius homilia XXVI. hanc movet quæstionem: „An utique cunctas hominis cogitationes & consilia novit satanas?" Sic autem respondet: „Si homo, qui cum homine conversatur, novit, quæ sunt eius & tu natus annos viginti, novisti ea, quæ sunt proximi, nunquid ergo satanas ipse, qui a nativitate tibi conversatur, ignorat cogitationes tuas? Sexies enim mille annorum ætatem habet. Nec dicimus eum, priusquam tentet hominem, nosse, quid facturus sit. Tentat enim tentator, non tamen cognitum habet, an obtemperaturus sit, nec ne, donec voluntatem servam ei tradat anima. Neque item dicimus, cunctas cogitationes cordis & desideria nosse diabolum. Perinde enim, ac si sit arbor, quæ multos ramos habeat, ac multa membra; ita quoque sunt quidam rami cogitationum, & consiliorum, quos comprehendit satanas; sunt vero aliæ cogitationes & consilia, quæ a satana non comprehenduntur. In quadam enim re prævalet pars nequitiæ, ad generandum cogitationes; rursus in quadam re cogitatio hominis superior evadit, acceptoque auxilio, ac redemtione a Deo, contradicit malitiæ, quadam in re succumbit, & quadam in re voluntatem habet. Interdum enim accedit ad Deum fervens, scitque satanas, ac videt eum sibi repugnare, nec tamen reprimere potest hominem. Quid hoc? Quia habet voluntatem clamandi ad Deum, habet fructus naturales, ut scilicet diligat Deum, ut credat, ut requirat, & ad eum accedat." His comprehenditur, quidquid ex sana doctrina, sobriaque theologia hic dici potest, de movendis etiam ac coniectandis occultis cogitationibus. Pertinet hoc ad argumentum *de divinatione dæmonum*, quod singulari libro pertractans S. Augustinus „Suadent autem (ad rem præsentem ait) miris & invisibilibus modis per illam subtilitatem suorum corporum corpora hominum non sentientium penetrando, sese-que cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, sive vigilantium sive dormientium." In libro II. *Retractationum* cap. 30. sequentia, quæ leguntur paullo post, eiusdem libri *de Divinatione* verba „Dæmones aliquando & hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere, (ita retractat:) Rem dixi occultissimam audaciore asseveratione, quam debui: nam pervenire ista

T. I. p. 346.

T. IV. pag. 509.

T. I. p. 52.

ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum eſt. Sed utrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium illis ſenſibilia, nos autem latentia, an alia vi & ea ſpiritali iſta cognoſcant, aut difficillime poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inveniri.“ Sic lib. II. c. 26. *de Civitate Dei* & alibi paſſim dicit, dæmones agitare mentes nequiſſimas & inſtare faciendis adulteriis &c.

T. VII pag. 56.

Quomodo phantaſiam & paſſiones moveant.

XXVIII. Quoniam vero plerique veteres Patres dæmonibus corpora quædam ſubtiliſſima tribuebant, aerea potiſſimum, aut ætherea, nulla adeo premebantur difficultate explicandi, quomodo phantaſiam moveant humanam dæmones, indeque in animam fiat impreſſio, quod operæ pretium eſt altius repetere. S. ATHENAGORAS in legat. pro Chriſtianis, animam tum maxime pati a ratione alienos & phantaſticos motus, cum materiæ ſpiritum ſibi adſciſcit, eique commiſcetur, poſtquam aſſeruiſſet n. 27. „Illæ igitur (addit) a ratione alienæ & phantaſticæ animi motiones viſa pariunt ſimulacrorum inſaniæ congruentia. Quando autem tenera & flexilis anima, ac robuſtioris doctrinæ ieiuna & inexperta, & veritatis contemplandæ ac Patris & opificis univerſorum conſiderandi inſolens, impreſſa & inuſta fuerit falſis de ſe opinionibus; tum dæmones, qui circa materiam verſantur, & nidores ac victimarum ſanguinem liguriunt, hominesque in fraudem inducunt, adhibitis in auxilium hisce motibus, qui vulgi animos ad falſas opiniones inclinant, perficiunt eorum mentes invadendo, ut tanquam ex ſtatuis & ſimulacris, viſa ad eos inania effluant.“

Poſt opera S. Iuſtini M. p. 305. Edit. S. Maur.

Editor in adiecta nota analogam inter alia etiam TERTULLIANI ex hoc ATHENAGORÆ loco expreſſam hanc affert ſententiam ex cap. 22. *Apologet.* „Eadem igitur obſcuritate contagionis aſpiratio dæmonum & angelorum, mentis quoque corruptelas agit furoribus, & amentiis fœdis, ac ſævis libidinibus &c.“ CLEMENS *Alexandrinus* vero ſubtilius, & ut ita dicam, ſpiritualius rem expendit, nos contra dæmones iuxta apoſtolum armans animansque his verbis: „Oportet ergo nos Dei induere armaturam ad hoc, ut poſſimus reſiſtere inſidiis diaboli: quoniam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Deo potentia (δυνατὰ τῷ Θεῷ) ad deſtructionem munitionum cogitationes deſtruentes & omnem altitudinem ſe extollentem adverſus Dei cognitionem, & captivantes omnem intellectum ad obediendum fidei, ait divinus apoſtolus. Viro utique opus eſt, qui admirabiliter & inconfuſe iis rebus ſit uſurus, a quibus proficiſcuntur animi perturbationes, quemadmodum divitiis paupertate, gloria & ignominia, ſanitate & morbo, vita & morte, labore & voluptate. Ut enim indif-

Lib. II. Stromat. p. 298.

indifferenter utamur differentibus, magna nobis opus eſt differentia, ut qui multa imbecillitate prius male affecti ſimus, & in mala educatione & inſtitutione prius verſati cum ignoratione. Simplex ergo ratio noſtræ philoſophiæ dicit, omnes animi perturbationes & vitia eſſe impreſſiones mollis & cedentis animæ, & veluti obſignationes poteſtatum ſpiritalium, adverſus quas nobis eſt colluctatio. Maleficarum enim, ut puto, poteſtatum eſt opus proprii habitus aliquid conari, ſigillatim operari, ut nos, qui eas abrenunciavimus, in certamine ſuperent, & ſuos efficiant. Eſt ergo iure conſequens, ut aliqui quidem in lucta proſternantur. Quicumque autem certamen magis athletice aggrediuntur, omni contentione decertantes ad coronam uſque perveniunt: prædictæ autem poteſtates in multo ſudore & cruore tunc deficiunt, victores admirantes." Poſtquam vero explicaſſet bruta animantia ex appetitione & viſione moveri „Ratiocinandi autem (pergit) poteſtas, quæ eſt propria humanæ animæ, non debet ſimiliter impelli, atque animantia ratione carentia, ſed viſa quæ impellunt diſcernere, & non ab eis ſeduci. Hæ ergo, de quibus diximus, poteſtates pulchritudines & glorias, & adulteria & voluptates, & tales eiusmodi ineſcantes viſiones iis, quæ facile ſeduci poſſunt, animabus protendunt, quemadmodum qui pecora abigunt, eis frondes porrigunt." Nihil hoc aliud eſt, quam animalis homo, quem D. Paulus ſpirituali opponit. Paullo ante autem ex Origene uſi ſumus exemplo appetitus edendi, bibendi, libidinis &c. Recte porro is arbitratus „quod eadem rationis conſequentia etiam in cæteris naturalibus motibus poſſit intelligi cupiditatis vel iræ, vel triſtitiæ, vel in omnibus omnino, quæ per intemperantiæ vitium modum menſuræ naturalis excedunt" ſic demum concludit: „Cum vero indulſerimus ultra quam ſatis eſt, & non reſtiterimus adverſus primos intemperantiæ motus, tunc primi huius delicti accipiens locum virtus inimica inſtigat, & perurget omnibus modis ſtudens profuſius dilatare peccata, & quidem nobis hominibus occaſiones & initia præbentibus peccatorum, inimicis autem poteſtatibus latius ea & longius, &, ſi fieri poteſt, absque ullo fine propagantibus. Ita denique in avaritiam lapſus efficitur, cum homines parum quid pecuniæ deſiderant, deinde augeſcente vitio cupiditas increſcit. Poſt hoc iam etiam cæcitas mentis ex paſſione ſucceſſerit, inimicis virtutibus ſuggerentibus ac perurgentibus pecunia iam non deſideratur, & vi aut etiam ſanguinis humani profuſione conquiritur. Ad certiorem denique rei fidem, quod immenſitates iſtæ vitiorum a dæmonibus veniant, contemplari etiam ex eo facile poteſt, quod nihil minus his, qui corporaliter vexantur a dæmonibus, etiam illi patiuntur, qui vel immoderatis amoribus, vel iræ intemperantia, vel nimietate

T. I. pag. 139.

mietate triſtitiæ perurgentur. Nam & in nonnullis hiſtoriis refertur, quod in inſaniam quidam ex amore deciderunt, alii ex iracundia, nonnulli ex triſtitia, vel nimio gaudio: quod arbitror ex eo accidere, quia contrariæ iſtæ virtutes, id eſt dæmones, loco ſibi in eorum mentibus dato, quem intemperantia prius patefecerit, ſenſum eorum penitus obſederint: maxime cum nulla eos ad reſiſtendum virtutis gloria concitaverit." a)

a

Atque ad vitia inclinant.

XXIX. Sic quidem principiis obſtare diſcimus, tumque prima illa corruptionis noſtræ ſuffocare in ipſa radice ſemina, atque continuo contra hoſtem in acie ſtare. „Nam magnum (ut nos monet S. Basilius Hom. XXI. quod rebus mundanis non ſit inhærendum) ac varium bellum nobis, dilectiſſimi, quotidie infert hoſtis veritatis. Infert autem, uti ſcitis, dum cupiditates noſtras iacula adverſum nos efficit, ſemperque vires a nobis ad nos lædendum mutuatur. Quoniam enim magnam potentiæ illius partem indiſſolubilibus legibus Dominus colligavit, nec ſivit ipſum impetu ſuo humanum genus e terra ſimul delere, iam invidus ille per noſtram inſipientiam a nobis furtim reportat victoriam. Et quemadmodum improbi homines atque avari, quorum opera ac propoſitum eſt ex alienis diteſcere, ſed quibus non ſuppetit potentia, ut violentiam apertam exerceant, vias inſidioſe occupare ſolent, & ſi viderint in eis locum quempiam aut vallibus profundis diffractum, aut arborum denſitate umbroſum eo recipientes ſe & longe ante eiusmodi tegumentis, quominus viatores prævideant, impedientes, confertim & ex improviſo in illos inſiliunt, ne quisquam periculi laqueos, priusquam in illos inciderit, poſſit videre: ſic ille, qui nobis ab initio infenſus eſt & hoſtis, voluptatum mundanarum umbras ſubiens, quæ in huius vitæ via ad occultandum prædonem & ad dandas inſidiatori latebras idoneæ eſſe ſolent, ex inopinato interius laqueos nobis ſubiicit. Itaque ſi modo velimus ſubſtratam vitæ viam tuto percurrere, atque animam ſimul & corpus vulnerum turpitudine immunia offerre Chriſto, coronasque ob victoriam accipere, oportet nos animi oculos ſemper undecumque vigilantes circumagere, & res omnes iucundas habere ſuſpectas, ac ſtatim præterire, & ad nullam animum appellere, ne ſi aurum quidem videatur ſuſe ſparſum, quod in cupientium manus venire paratum ſit."

T. II. pag. 163.

S. Am-

a) Idem Homil. XV. in Iosue ſingulis vitiis ſuum præficit dæmonem. Qua in re etiam ſuos habuit ſectatores: inter alios Evagrium *Scitenſem* monachum. Vid. T. VII. *Bibl. PP.* p. 564. ſeqq. Cassianus *Collat.* XXV. c. 5. Magiſter Sentent. II. diſt. 6. ubi ſeptem diſtinguit, ut nonnulli interpretes accipiunt ſeptem dæmonia eiecta a Maria.

S. Ambrosius eo Pſ. cxviii. verſum 121. *Feci iudicium & iuſtitiam: ne tradas me nocentibus me,* interpretatur: „Scit enim (inquit n. 12. ſeq.) auctorem eſſe principem mundi omnium delictorum. Ipſe individuos, proximorum irarum ſtimulis excitatos, ſcindit affectus: ipſe flammam accendit libidinis: ipſe adolet avaritiæ cupiditates; ut quo plus rapuerimus, amplius requiramus: ipſe ſuggerit, & miniſtrat fomenta luxuriæ: ipſe odia exaſperat, & immodicæ ſtudium ambitionis inflammat. . . Auctorem igitur incontinentiæ diabolum eſſe, apoſtolus docet: *Ne tentet vos propter incontinentiam veſtram.* Incentorem quoque avaritiæ ipſum eſſe legimus, dicente Paulo: *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Et alibi: *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt idololatria.* In his enim diaboli voluntatem facimus, & exſequimur poteſtatem, qui per carnis iſtius deſideria incentivum ſuæ fraudis operatur. Quemcumque ergo in vitiorum ſuorum poſſeſſione repererit, tamquam obnoxium ſuo iuri vindicat &c.“ S. Chryſostomus hom. XIII. in Matthæum in Chriſti tentatione per diabolum præcipua diabolicarum tentationum capita diſtinguit: „Nam (inquit) hæc mala, innumera alia complectuntur, ventri ſervire, ad vanam gloriam quid agere, furioſo pecuniarum amore teneri. Quod cum ſciret ſceleratus ille, omnibus valentiorem inſanabilem habendi cupiditatem ultimam poſuit; id iam ante & a principio parturiens; ſed poſtremum ſervans, utpote validius cæteris. Hæc quippe ipſius certaminis lex eſt, ut quæ videntur ad ſupplantandum aptiora, poſtrema afferat. Quod etiam circa Iobum fecit. Idcirco hic orſus ab iis, quæ videbantur infirmiora eſſe, ad valentius procedit. Quomodo autem hoc malum vincere oportet? Ut Chriſtus docuit, ad Deum confugiendo: ita ut nec fame concidamus, credentes ei, qui poteſt etiam verbo paſcere; nec in bonis, quæ accepimus, datorem tentemus, ſed ſuperna gloria contenti humanæ nullam habeamus rationem, & ubique quod ſuperfluum eſt, deſpiciamus. Nihil enim ita diabolo ſubditum reddit, ut inſatiabilis habendi cupiditas, & avaritia.“ Hom. IV. in c. I. *Geneſ.* breviter recenſet tela ignita diaboli, ut Paulus *Epheſ.* VI. vocat, quæ pleraque tantum a Chriſti ſanctitate remota fuere, ut nec obiici a diabolo potuerint „malæ concupiſcentiæ, immundæ cogitationes, pernicioſi affectus, furor, invidentia, invidia, ira, odium, pecuniæ concupiſcentia, & cætera omnis ignavia. Hæc (pergit) omnia extinguere poterit gladius Spiritus. His autem armis induti ne horreamus pugnam, ne fugiamus congreſſum; ſed neque ignavi ſimus.“ Sic iuxta S. Augustinum facile dæmones vincuntur in hoc bello ab iis, qui ſunt ſuiipſorum victores: „Non

T. VII. pag. 172.

T. IV. p. 29.

Enarrat. in psal. 143. T. IV. p. 1601. enim (inquit) tentat diabolus vel angeli eius, nisi quod in te carnale dominatur. Nam quomodo vincimus illos hostes, quos non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus? Cum his confligimus, & illos persecutimus. In amore pecuniæ dominatur avaritia: dominanti tibi avaritiæ diabolus forinsecus lucrum cum fraude proponit. Plerumque enim ad lucrum non pervenis, nisi fraudem feceris. Proponit ergo ille forinsecus avaritiæ tuæ, quam intus non vicisti, quam non domuisti, non tibi *T. VI. pag. 246.* subiecisti &c.“ Et in lib. *de agone christiano* „ Multi autem (inquit) dicunt, quomodo possumus vincere diabolum, quem non videmus? Sed habemus magistrum, qui nobis demonstrare dignatus est, quomodo invisibiles hostes vincantur. De illo enim dicit apostolus: *Exuens se carne principatus & potestates exemplavit, fiducialiter triumphans eos in semetipso.* Ibi ergo vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates: & ideo quia in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est, ut in nobis ipsis vincamus & illum, qui per ipsas cupiditates regnat in homine. Quando enim dictum est diabolo, *Terram manducabis*: dictum est peccatori, *Terra es, & in terram ibis.* Datus est ergo in cibum diabolo peccator. Non simus terra, si nolumus manducari a serpente. Sicut enim quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibus ipse secundum corpus hoc efficiatur, quod nos sumus; sic malis moribus per nequitiam & superbiam & impietatem hoc efficitur quisque, quod diabolus, id est, similis eius; & subiicitur ei, sicut subiectum est nobis corpus nostrum. Et hoc est quod dicitur, manducari a serpente. Quisquis itaque timet illum ignem, qui paratus est diabolo & angelis eius, det operam triumphare de illo in semetipso. Eos enim, qui foris non oppugnant, intus vincimus, vincendo concupiscentias, per quas nobis dominantur. Et quos invenerint sui similes, secum ad pœnas trahunt.“

T. II. pag. 184. Idem in epistola LXXVIII. ad clerum & plebem ecclesiæ *Hipponensis* id singulariter vitium maligno tribuit, a quo diabolus seu calumniator di-
Hom. III. n. 6. ad pop. Ant. T. II. pag. 44. citur, detractiones nimirum, quas S. Ioannes *Chrysost.* appellat *totum diaboli barathrum, & insidiarum eius latibulum.* S. Augustinus autem loco citato sic hortatur: „ Proinde fratres mei, qui timetis Deum, mementote, quod ait apostolus Petrus: *Quoniam adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Quem non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest, opprobriis hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in eius fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei persuadere tentat, ut per malevolas suspiciones de fratre suo iudicet, &

sic

ſic ab illo implicatus abſorbeatur. Et quis omnes eius captiones & circumventiones vel comprehendere vel enumerare ſufficiat?"

Nullam SS. Patres prætermittunt occaſionem, ut fideles ad ductum S. ſcripturæ commonefaciant inſidiarum diabolicarum: atque in memoriam etiam revocant, quid nobiscum ante baptiſmum actum ſit, cum exorcizaremur, renunciaremusque diabolo, ut alibi attigimus; faciuntque huc potiſſimum homiliæ ad illuminatos, aut illuminandos, quas inter tota fere in hoc argumento eſt ſecunda id genus S. CHRYSOSTOMI in nova editione, quæ olim erat viceſima prima ad populum *Antiochenum*, cui iugem memoriam ſæpius inculcat ſic demum concludens: „Sicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere vellet: ita ſine verbo hoc nunquam in forum prodeas, ſed cum es ianuæ veſtigia transgreſſurus, hoc prius loquere verbum: *Abrenuntio tibi ſatana & pompæ tuæ, & cultui tuo, & coniungor tibi Chriſte.* Ne unquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis." Iam ſupra ſerio monentem audivimus fideles S. LEONEM, „ne diabolicis iterum capiantur inſidiis, & eisdem rurſus, quibus renuntiaverant erroribus, implicentur. Non enim deſinit hoſtis antiquus transfigurans ſe in angelum lucis, deceptionum laqueos ubique prætendere, & ut aliquo modo fidem credentium corrumpat, inſtare. Novit, cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat. Ommium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus: & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſius occupari."

T. II. pag. 254.

Ser. XXVI.

Qua vero de cauſa dæmones potiſſimum immundi appellentur ſpiritus, vocat autem dæmon ipſe apud S. HIERONYMUM in vita S. HILARIONIS dæmonem amoris *collegam ſuum*, multæ apud veteres memorantur præſtigiæ eiusmodi, de quibus ſubinde recurret ſermo. Legique poteſt S. GREGORII M. dial. lib. III. caput 7. Sic vero iuxta S. GREGORIUM in cap XL. *Iob* lib. XXXIII. n. 31. in eo, quod agere nititur ex ipſo ſuarum actionum nomine vocatur, cum iumentum, draco vel avis dicitur. „In eis quippe, quos ad ſtultitiam luxuriæ excitat, iumentum eſt; in eis, quos ad nocendi malitiam inflammat, draco eſt: in eis autem, quos in faſtum ſuperbiæ quaſi alta ſapientes elevat, avis eſt: in illis vero quos pariter in luxuria & ſuperbia & malitia polluit, iumentum, draco, ſimul & avis exiſtit. Per tot namque ad deceptorum cor ſe ſpecies intulit, in quot eos nequitias implicavit. Multarum igitur rerum nomine vocatur,

T. IV. p. 84.

T. I. p. 1094.

quia ante deceptorum mentes in varias formarum ſpecies vertitur. Cum enim hunc per carnis luxuriam tentat, & tamen minime ſuperat, mutata ſuggeſtione cor illius in malitiam inflammat. Quia ergo ad eum venire bellua non valuit, draco venit. Illum veneno malitiæ corumpere non valet, ſed tamen bona ſua eius oculis opponit, & cor illius in ſuperbiam extollit. Huic ergo ut draco ſubrepere non valuit, ſed tamen adducto phantaſmate inanis gloriæ, coram cogitationis eius obtutibus quaſi avis volavit. Quæ nimirum avis tanto contra nos immanius extollitur, quanto nulla naturæ ſuæ infirmitate præpeditur. Quia enim carnis morte non premitur, & redemtorem noſtrum carne mortalem vidit, altiori faſtu elationis intumuit; ſed ubi contra auctorem ſuum penna ſe ſuperbiæ extulit, ibi laqueum ſuæ mortis invenit.“ Hucusque S. GREGORIUS,
pag. 1080. qui paullo ſuperius in idem cap. XL. v. 16. ad duo illa vitia dæmonis in genus humanum tyrannidem redegit, „quæ (inquit) humano generi immaniter dominantur: unum videlicet ſpiritus, atque aliud carnis. Elatio namque ſpiritum erigit, luxuria carnem corrumpit. Antiquus itaque hoſtis humanum genus vel per elationem præcipue, vel per luxuriam premens in ſecreto calami atque in locis humentibus dormit: quia hominem damnatum, ſub ditione ſuæ dominationis aut per elationem ſpiritus, aut per carnis corruptionem tenet. Quosdam vero in utroque poſſidet: quia cum eos ſuperbiæ ſpiritus elevat, a tumore ſuæ altitudinis nec verecundia corruptionis inclinat. Sed nunquid contra hos intra ſanctam eccleſiam inceſſanter quotidie virtutum magiſtri non vigilant? Numquid redarguere voluptates infimas, & ſuadere gaudia patriæ cœleſtis ceſſant? Sed pravorum mentes tanto obſtinatius ſumma non audiunt, quanto arctius infimis inhæſerunt. Quibus neque hoc ſufficit, ut ipſi pereant, ſed adhuc, quod eſt deterius, cum quoslibet argui emendarique conſpiciunt, iuſtorum increpationibus obviant, ne ſaltem alii corrigantur. Unde & bene ſubditur: *Protegunt umbræ umbram eius.* Umbræ quippe ſunt diaboli omnes iniqui: qui dum imitationi iniquitatis eius inſerviunt, quaſi ab eius corpore imaginis ſpeciem trahunt.“

Et a bono ad malum.

XXX. Poſt hæc vero adverſarii noſtri molimina, ut homines in omnia vitiorum mala præcipitet, hactenus enumerata, nihil opus eſt hic addere de eorum conatibus ſummis, ut bona quavis impediant ratione. Unum nobis ex ſcripturis PETRI exemplum ſufficit, quem inſtigatum a dæmone Chriſtus indicat, eum ſatanam appellans, dum a ſubeunda paſſione Chriſtum dehortari gravius etiam non dubitat: *Cœpit increpare illum di-*
Matth. 16, 22. *cens: Abſit a te, Domine: non erit tibi hoc. Qui converſus dixit* PETRO: *Vade*

Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum. Vix ob confeſſionem Divinitatis audierat PETRUS: *Beatus es* SIMON *Bar-Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*, iam ſatan appellatur, dum ea, quæ ſunt hominum, ſapit. Ex ſententia quippe S. AUGUSTINI totus homo ſatan eſt, in eo, quod habet de ſuo: unde quilibet ſibi diffidat, caveatque, ne eodem, quo PETRUS ductus ſpiritu, quidquam eorum quoquo modo negligendum ducat, quo Chriſtus opera diaboli diſſoluit: *In hoc enim* 1. *Io.* III. 8. *apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Palam vero eſt exemplo PETRI, quam facilis ſit de uno in aliud lapſus eorum etiam, quos Chriſtus a diaboli ſervitute ereptos, in ſuum adſcivit contubernium. *T. VII pag.* „Quando enim vir (inquit S. CHRYSOSTOMUS in hunc locum *Matth.* hom. LIV. al. LV.) qui beatus appellatus eſt, qui talem protulit confeſſionem, hoc tamen audit; in animo reputa, quanta paſſuri ſint ii, qui poſt iſta myſterium crucis vilipendunt. Non dixit, Satanas per te locutus eſt; ſed *Vade poſt me ſatana.* Nam cupiebat adverſarius, ut Chriſtus non pateretur: ideo ſic vehementer increpavit, quod maxime ſciret, & illum & alios hoc ipſum timere, neque facile illud admittere.“ *550.*

Ex hoc porro exemplo palam fit, non malos tantum eſſe ac vitioſos, qui a dæmonibus divexentur, infeſtenturque, ſed, ut oſtendimus, vires ſuas, ubi id plus opus eſſe deprehendit, magis etiam in eos exerit, atque exercet, quos ſtrenuos experitur pugiles. ELIAS *Cretenſis* ſæc. VIII. ſcriptor ac com- *In Orat. I.* mentator in S. GREG. *Naz.* dæmones exactores vocat „a quibus ii, qui recte *T. II. p.* 102. & ex veritate vivere ſtudent, urgentur ac divexantur: Nam iſti ab unoquoque noſtrum vitii ſtudium propemodum exigunt, mentisque ad vitioſas affectiones propenſionem tanquam tributum quoddam colligunt. At qui adverſus carnis cupiditates inſurgunt, ac forti & ſtrenuo animo detrimentum illud, quod ex peccato contrahitur, repellunt, & ſpiritualia nequitiæ ſuperant, exactoris voce ſublimiores ſunt.“ Supra audivimus a S. BERNARDO diabolum leonem iuxta S. PETRUM appellari, a piis non *T. III. pag.* timendum: ex quo nunc ad rei teſtiumque concluſionem illud adhuc noto, quod paullo ante ad illa pſalmi verba: *Qui habitat: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis leonem & draconem* commentatur: „Quid inter hæc (inquit) faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam horribilia monſtra conſtaret? Nempe nequitiæ ſpirituales ſunt, & quidem non incongruis appellationibus deſignatæ. Siquidem de his dictum, quod nequaquam vobis excidiſſe reor: Quis vero ſcire poteſt, an diviſæ ſint inter eos operationes malitiæ, miniſteria iniquitatis: ut ex diverſis officiis, vel potius maleficiis vocabula quoq ue diverſa ſortiti, no-

minentur alius quidem aſpis, alius vero baſiliſcus, alius autem leo, & alius draco, quod videlicet ſuo quidem inviſibili modo varie noceant, quaſi alius morſu, alius viſu, alius rugitu, vel ictu, alius flatu: Legi etiam de quodam genere dæmoniorum, quod non eiiciatur niſi in oratione & ieiunio: nihil potuerat namque verbum apoſtolicæ increpationis ad illud. Quomodo non illud aſpis erat: illa utique de pſalmo aſpis ſurda & obturans aures ſuas, ne vocem audiat incantantis.“

T. III. pag 865.

Variis modis corporaliter infeſtati homines.

XXXI. Nimis craſſe hæc acceperunt Basilidis ſectatores: „vitiaque & animi perturbationes (teſte Clemente *Alexand.*) cenſuerunt vocanda προσαρτήματα, id eſt, appendices: & ea eſſe quosdam in eſſentia ſpiritus appenſos animæ ratione præditæ per quandam conturbationem & confuſionem principalem: & alias rurſus ſpirituum adulterinas, & diverſi generis naturas iis adnaſci, utpote lupi, ſimiæ, leonis, urſi: quorum proprietates earum opera factaque imitantur &c.“ Affert paullo poſt ſequentia de his appendicibus Valentini verba: „Eſt autem unus bonus, cuius fiducia eſt ea, quæ fit per filium manifeſtatio, & per eum ſolum poteſt cor fieri mundum, ejecto ex corde omni maligno ſpiritu. Multi enim in eo habitantes ſpiritus id mundum eſſe non ſinunt. Unusquisque autem eorum propria efficit opera, ſæpe non convenientibus inſultans cupiditatibus.“ Ipſi autem Clementi *Alexandrino* cor hominis non abſimile diverſorio videtur: „cuius dum nulla cura geritur, id immundum fit, & multorum dæmonum habitaculum.“ Et poſtea S. Barnabæ uſus auctoritate „Quomodo autem (addit) nos diaboli operationes & ſpiritus immundos in peccatoris animam ſeminare dicamus, non mihi pluribus verbis opus eſt, ſi adduxero teſtem Barnabam apoſtolicum (erat autem is ex ſeptuaginta, & Pauli adiutor) his verbis dicentem: *Antequam nos Deo crederemus, erat noſtrum cordis habitaculum interitui obnoxium & imbecillum, vere templum manu ædificatum: quia erat quidem plenum cultu idolorum, & erat domus dæmonum, quod faceret, quæcunque Deo ſunt contraria.* Operationes ergo dæmonibus convenientes dicit peccatores efficere: non autem ipſos ſpiritus habitare in anima infideli. Et ideo ſubiungit: *Attendite ut templum Domini glorioſe ædificetur. Diſcite vos accepiſſe remiſſionem peccatorum. & poſtquam ſperavimus in illud nomen, efficiamur rurſus novi, creati ab initio. Non enim dæmones a nobis expelluntur, ſed peccata, inquit, remittuntur, quæ ſimiliter atque illi faciebamus, priusquam crederemus.*“ Hucusque Clemens *Alexandr.* adducam autem citatum ex S. Barnabæ epiſtola locum, qui ad rem facit, ut de interpretatione iudicare poſſit lector: „Antequam crederemus Deo,

Lib. II. ſtromat. p. 299.

Ib. p. 300.

T. I. PP. AA. p. 65.

Deo, erat habitatio noſtra corrupta & infirma, ſicut templum, quod per manus ædificatur: quia pleni eramus adorationibus idolorum, & erat domus dæmoniorum; propter quod faceremus, quæ Deo eſſent contraria." Benedictus XIV. annotavit, ex allato forſitan S. Barnabæ aliisque conſimilibus aliorum SS. Patrum teſtimoniis, in primitiva eccleſia obſeſſos dici ſolitos infantes, & etiam adultos nondum baptizatos. Supra retulimus quædam vetuſtiſſimorum Patrum loca, quæ, Tertulliani imprimis verba in libro *de anima* c. 57. nullum pæne hominem carere dæmonio, non de ſolis infidelibus nondum baptizatis intelligenda ſunt. *De Beatif. & Canoniz. SS. lib. IV. c. 19. in Synopſi p. 412.*

Erat antem peculiare inde ab antiquiſſimis temporibus a catechumenis diſcretum genus, ac ritus circa energumenos, locusque in eccleſia diſtinctus. Iuxta liturgiam conſtitutionibus apoſtolicis inſertam catechumenis exire iuſſis diaconus dicere iubetur: *Orate energumeni & vexati a ſpiritibus immundis. Intente cuncti pro ipſis deprecemur; ut benignus Deus per Chriſtum increpet immundos ac malos ſpiritus, & liberet ſupplices ſuos ab oppreſſione ac tyrannide adverſarii: qui increpavit legionem dæmonum, & originem mali diabolum; increpet ipſe nunc quoque apoſtatas pietatis, & liberet creaturas ſuas a diaboli vexatione, & mundet eas, quas magna cum ſapientia condidit. Adhuc intente pro ipſis precemur. Salva & erige illos Deus, in virtute tua. Inclinate energumeni, atque benedictionem accipite.* Et epiſcopus deprecetur dicens. Sequitur cap. 7. *Oratio pro energumenis* hoc exordio: *Qui fortem ligaſti, & cuncta vaſa eius diripuiſti: qui dediſti nobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: qui homicidam ſerpentem, vinctum tradidiſti nobis ſicut paſſerem pueris &c.*" *Lib. VIII. c. 6. ſeq. T. I. PP. AA. p. 394.* *Matth. 12, 29. Luc. 10, 19. Iob 40, 24.*

Tum mox capite ſequenti poſt orationem pro iis, qui iamiam baptizandi ſunt, pro verſantibus in pœnitentia ſic orari iubetur: *Ut miſericordiæ ſtudioſus Deus illis oſtendat viam pœnitentiæ: admittat eorum palinodiam ſeu retractationem, atque confeſſionem, & conterat ſatanam ſub pedibus eorum velociter, liberetque illos a laqueo diaboli, & violentia dæmonum.*" *L. I. c. 15.* Gabriel Albaspinæus in opere *Gallico de Euchariſtia* multis ex Dionysio probat, vocem energumeni olim ampliori ſignificatu acceptam eſſe, non ſolum de obſeſſis, quos proprie appellamus, ſed etiam de aliis, qui quoquo modo in diaboli poteſtate erant peccatores, vexatique a dæmonibus a), quos etiam exorcizaverint. Multa

a) „A ſçavoir, qu'ils eſtimoient anciennement, que les pecheurs eſtoient comme en la puiſſance du diable; que de montrer qu'ils uſoient d'exorciſmes non ſeulement ſur ceux, qui etoient veritablement demoniaques, mais encore ſur ceux,

Multa ad rem profert abbas DUGUET dissertat. *sur les Exorcismes*, ut demonstret, exorcismos forte ante baptismum in articulo necessitatis omissos, non esse negligendos, nec abs re suppleri. Rem vero apte ORIGENES explicat lib. III. *de Principiis* c. 3. etsi vocem, *energumenus*, stricto accipiat sensu: „ Manifeste ergo (inquit) & ex multis indiciis demonstratur, quod humana anima, dum in hoc est corpore, recipere potest diversas energias, id est, inoperationes spirituum diversorum malorum ac bonorum: & malorum quidem dupplici specie, id est, vel tunc cum penitus ex integro eorum possederint mentem, ita ut nihil omnino eos, quos obsederint, intelligere vel sentire permittant, sicut exemplo sunt hi, quos vulgo energumenos vocant, quos amentes & insanos videmus: quales illi erant, qui in evangelio a Salvatore curati esse referuntur; vel cum sentientem quidem, & intelligentem animum cogitationibus variis, & siniſtris persuasionibus inimica suggestione depravant: ut exemplo est JUDAS ad proditionis facinus diaboli immissione provocatus, sicut scriptura declarat, dicens: *Cum autem iam diabolus misisset in cor Iudæ Scariotis, ut traderet eum.*“ Atqui hic non scripturæ tantum, sed etiam antiquorum SS. Patrum familiaris est sermo paullatim desuetus, cum ipsa propemodum persuasione de pessimi hostis nostri infestationibus: ac si nihil fere mali timendum esset, quod nobis inferre queat.

T. I. p. 144.

Inadvertentiam hanc ac incredulitatem graviter incessit lugetque NICOLLIUS in epistolam Domin. III. post Pentecosten, locum illum D. PETRI tractans: *Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo*

Essai de Moral. T. XII. p. 183.

qui estoient tourmentez du diable en quelque autre façon. Car il y a apparence, que si ce mot d'Exorcisme signifioit autre chose en ces premiers siecles, que les conjurations qu'on applique aujourd'huy sur les vrais demoniaques, & que s'il se trouve qu'ils en ayant usé sur des personnes, qui n'estoient pas veritablement & actuellement possedez du diable, que ce mot aussi d'Energumene avoit une signification plus estendue, qu'il n'a aujourd'huy. Les exorcismes donc ne signifient maintenant que les conjurations, & que les commandemens qu'on fait aux malins esprits de sortir des corps de ceux, qui veritablement & actuellement sont possedez. Mais anciennement les oraisons & les impositions de mains qu'on faisoit sur les Catechumenes & sur les penitens du troisieme degré, s'appelloient exorcismes & purgations, & se trouve qu'on les exorcisoit, encore qu'ils ne fussent aucunement demoniaques. Et de fait aujourd'huy, quoy que la signification de ce mot soit reduite aux coniurations, l'usage toutefois en est plus estendu: & tout ainsi qu'anciennement on exorcisoit beaucoup des choses inanimées, de meme a present on exorcise non seulement les demoniaques, mais aussi l'eau, le sel, & les autres choses, qui servent ou aux Sacremens, ou aux ceremonies: car nous avons accoustumé de dire au baptesme, *Retire-toy*, diable mandit, *de cette creature de sel, ou d'eau.*“

leo rugiens circuit, quærens quem devoret. a) *Io. Ioſeph.* GASSNER, quem nunc in noſtra *Germania* pars miratur, pars exagitat, ceu ritus ſingularis exorciſtam, quadam apologia ſua, quæ *Auguſtæ Vindel.* tertio iam prodiit, illud MURATORII expendens dubium, quod infeſtati obſeſſique a dæmonibus in illis regionibus ſolum ſe prodant, ubi exorciſtæ habentur, eius rei rationem hanc reddit, b) quod eiuscemodi originem mali non animadvertentes, naturali tribuant cauſæ. Poſtea quæſtionem movens, an Satan eos, qui eius vexationes haud credunt, minus infeſtet, fieri putat, eiusmodi homines, quod apprime ſcopo ſuo utiles ſint, corporaliter minus vexari, ut ſua perſiſtant in perſuaſione, exorciſmosque eccleſiæ irridere pergant, eorum vim impugnando, quæ ſeſe exerit, auxiliumque præbet non ſolum contra obſeſſos a dæmonibus vere tales, ſed aliis etiam infeſtatos modis ſive in anima, ſive in corpore: quod poſterius vexationis genus recentior theologia circumſeſſionem, ut ab omnimoda obſeſſione diſtinguatur, vocat, iis congruenter, quæ modo ex antiqua eccleſiæ traditione de variis dæmoniacis infeſtationibus explicare cepimus, de arreptitiis iam proſecuturi ſermonem, quas Concilium *Toletanum* XI. ex epiſtola GELASII P. ad epiſcopos *Lucaniæ* c. 21. aliisque maiorum regulis

a *Eſſai de Moral. T. XII. p.* 183.

b *pag.* 23.

a) „Il n'y a guere de choſes plus terribles, & dont cependant les hommes ſoient moins frappés, que celle que l'apôtre Saint PIERRE nous decouvre par ces paroles, qui eſt, que tout le monde eſt rempli de lions inviſibles, qui rodent alentour de nous, & qui ne cherchent qu'a nous devorer. Les hommes ſont ſi vains dans leur aveuglement, qu'ils ſe font un honneur de ne les pas craindre, & presque de ne les pas croire. C'eſt une foibleſſe d'eſprit, ſelon pluſieurs, d'attribuer aux démons quelque effet; comme s'ils etoient dans le monde pour n'y rien faire, & qu'il y eût quelque apparence que Dieu les aïant autrefois laiſsé agir, il les ait maintenant, reduits a une entiere impuiſſance. Mais cette incredulité eſt beaucoup plus ſupportable, quand il ne s'agit que d'effets exterieurs. Le plus grand mal eſt, qu'il y a peu de perſonnes, qui croient ſérieuſement que le diable les tente, leur dreſſe des piéges, & rode alentour d'eux pour les perdre, quoiqu'il n'y ait rien de plus certain.“ Idem in epiſtolam dominicæ XXI. poſt Pentecoſten ſic ſcribit: „Hors un petit nombre d'ames, qui y vivent de l'eſprit de IESUS-CHRIST, les demons poſſedent tous les autres. Ils y regnent abſolument; & ils reuniſſent tout leurs efforts contre ce petit nombre d'hommes, qui ſont encore vivans parmi ces cadavres, qui les environnent. & dont le demon ſe ſert pour les ſeduire.“ *Eſſai de Moral* T. XIII. p. 190.

b) *Antwort auf die Anmerkungen wider ſeine Gründe und Weiſe zu exorciren* pag. 17. 18. „Sehr viele Leute waren in der That vom böſen Geiſte geplagt und bezaubert, aber ſie erkannten den Urſprung ihres Uebels nicht. Sie ſahen es als eine natürliche Wirkung an: darum hatten ſie auch kein Verlangen bey einem Exorciſten, oder bey andern geiſtlichen Mitteln Hilfe zu ſuchen. Weil ihnen die Aerzte auch nicht helfen konten, oder ihnen die Mittel mangelten, die Köſten beſtreiten zu können, trugen ſi gleichwohl ihre Armſeeligkeit ſtillſchweigend, oder aus Deſperation, daſs ihnen nicht geholfen werden könne.“

gulis attingit can. 13. „Ut dæmoniis, aliisque ſimilibus paſſionibus irretitis miniſteria ſacra tractare non liceat: cui præcepto conſenſu rationis adhibito, id definiunt, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant miniſtrare altaribus, vel indiſcuſſi ſe divinis ingerant ſacramentis: exceptis illis, qui variis corporum incommoditatibus dediti, in eiusmodi paſſionibus in terram approbantur eliſi: qui tamen & ipſi tamdiu erunt ab officii ſui & ordine & loco ſuſpenſi, quouſque unius anni ſpacio per diſcretionem epiſcopi inveniantur ab incurſu dæmonum alieni.“

Et obſeſſi. XXXII. Atqui vero maximæ hic noſtris imprimis temporibus moventur difficultates, naturalibusque cauſſis omnes illæ, quæ in energumenorum corporibus ſunt conſpicuæ, tribuuntur agitationes corporis, ob quas & diverſa illa nomina a *Græcis* ad *Latinos* etiam ſunt translata, ut dicerentur energumeni, χειμαζόμενοι, quam vocem *Latini hiemantes* reddiderunt; hyberna quaſi iactentur tempeſtate: rectèque adeo dicuntur in latina verſione altera concilii *Ancyrani* an. 314. can. 17. *qui tempeſtate iactantur, qui a nobis energumeni appellantur.* Ubi tamen unus Albaspinæus in not. ad hunc canonem energumenos excludit. Apud S. Cyprianum *Clydomeni* nominantur; putat autem Dodwellus poſt *Io.* Fellum vocem *Thlibomeni* loco *Clydomeni* reponi poſſe. Propius tamen ad MSS. fidem *Clydonizomeni* nempe κλυδωνιζόμενοι dicuntur, quæ quidem aliæque memoratæ voces rem ab effectu deſignant, vox autem *dæmoniacus* præciſius a cauſa: quæ cum toties in ſac. ſcriptura manifeſtetur; ſunt nihilo tamen minus, qui in illis etiam omnibus ab evangeliſtis commemoratis nihil niſi phreneticos, lunaticos, aliosque naturales ſomnient morbos, quos S. Ioannes *Chryſoſtomus* appoſite exemplo *Matth.* VIII. ſtringit, quo dæmones in porcos permiſſi intrare totum gregem præcipitarunt, ſubmerſeruntque aquis. „Ne quis (inquit) hoc rem eſſe fictam putaret, ſed quisque crederet dæmonem vere exiviſſe, ex porcorum morte id manifeſtum efficitur.“

T. I. Conc. ed. Labb. p. 1474.

Diſs. I. ad S. Cypriani opera de voce Cleri p. 7.

Idem S. Doctor hom. LVII. alias LVIII. in Matth. exceptionem prævertit, quod, miſere a dæmone diſcerptus, lunaticus vocetur: „Quodſi (inquit) lunaticum vocet, ne turberis: nam ſic vocat filium dæmoniaci pater. Cur ergo dicit Evangeliſta, ipſum multos lunaticos curaviſſe? Ex vulgi opinione ſic loquitur. Demum quippe ut hoc elementum calumnietur, ſecundum lunæ curſum invadit homines, & dimittit: non quod illa id operetur, abſit; ſed id efficit per vafritiem dæmon, ut id elemento imputet. Ideoque hæc falſa opinio apud inſipientes invaluit, ſicque

T. VII. pag. 579. Hom. XXVIII. in Matth. T. VII. p. 338.

ſicque deluſi, hoc nomine dæmonas huiusmodi appellant; id quod minime verum eſt.“ Memini me hanc vocem alibi in ipſo S. Chrysostomo ex vulgari nempe loquendi uſu legiſſe: quam haud abſimiliter iam ante S. Chrysostomum S. Hilarion apud S. Hieronymum in eius vita rationem inierat: „Nec movere quempiam debere, quod Domini iuſſione duo millia porcorum a dæmonibus interfecta ſunt. Siquidem eos, qui viderant, non potuiſſe aliter credere, exiiſſe de homine tantam multitudinem, niſi grandis porcorum numerus, & quaſi a multis actus pariter corruiſſet.“ *T. IV. p. 82.*

Fraudibus tamen deceptionibusque hic locum facile eſſe, nemo prudens ac circumſpectus inficiabitur. Unde merito concilio quiniſexto „eos, qui ſe dæmone correptos eſſe ſimulant, & morum improbitate eorum figuram & habitum ſimulare præſeferunt, viſum eſt omnimodo puniri; & eiusmodi afflictionibus laboribusque eos ſubiici oportere, quibus ii, qui vere a dæmone correpti ſunt, ut a dæmonis operatione liberentur, iure ſubiiciuntur.“ Neceſſe porro eſt, accurata ſtatuere criteria, ut probe diſcernantur morbi cauſæque naturales, quibus perinde ipſi etiam male affecti decipi poſſunt. „Non ſufficiunt autem hic (ſunt *Frider. Hoffmanni* medici celeberrimi verba diſſert. phyſico-medica curioſa *de diaboli potentia in corpora*) ſolæ horrendæ vociferationes, geſtuum deformationes, inſolentes, atque admirandæ corporis motiones, quippe huiusmodi ſymptomata ſpaſmodicis & arthriticis morbis valde ſunt familiaria; ſed ſuſpicionem generant veneficii, ſi ſanus & robuſtus homo, ſubito citra morbum præcedentem, graviſſimis convulſionibus, membrorum mirificis agitationibus, doloribusque torquetur.“ *Can. 60. T. VI. Conc. p. 1169.* *T. V. Opp. p. 101.*

Ponit deinde ſigna quædam ac notas, quæ paſſim etiam a catholicis doctoribus agnoſcuntur. Neque vero, quæ ſecundo loco ſtatuitur nota, nempe blaſphematio Dei & verbi divini abuſus, & obſcœnarum rerum intermixtio per ſe characteriſtica eſt, ſicuti tertia, ſeu rerum ſecretarum, & incognitarum, præſertim futurarum, vel remotiſſimis in locis geſtarum notitia. Hanc paſſim SS. Patres dæmonibus tribuunt, explicantque, qua ſubtilitate velocitateque polleant, ſeſe in intima etiam hominum inſinuandi, & remotiſſima quæque prænuntiandi: „Quod (inquit S. Antonius in laudata oratione ad monachos, ubi num. 16. &c. nonnulla exempla profert) etiam homines narrare poſſent, ſi tantum curſu valerent, quantum ipſi.“ Peregrinarum linguarum demum notitiæ exemplum ſingulare affert S. Hieronymus (in vita S. Hilarionis) dæmoniaci ex *Francica inter Saxones & Alemannos* gente advenientis: qui *Syro*, quo interrogatus fuerat ſermone, promte reſpondit. „Videas (addit) de ore *T. IV. p. 81.*

barbaro, & qui *Francam* tantum & *Latinam* linguam noverat, *Syra* ad purum verba reſonare, ut non ſtridor, non aſpiratio non idioma aliquod *T.I. p.145.* *Paleſtini* deeſſet eloquii: confeſſus eſt itaque, quo in eum intraſſet ordine. Et ut interpretes eius intelligerent, qui *Græcam* tantum & *Latinam* linguam noverant, *Græce* quoque eum interrogavit.“

Infantes. XXXIII. Quid vero ſi ab ipſa infantia ſit malum dæmoniacum cum morbo naturali coniunctum, veluti apud *Matth.* XVII. 14. lunaticus, *Marc.* IX. 20. & *Luc.* IX. 39. ab infantia a dæmonibus miſere exagitatus memoratur. Teſte ORIGENE lib. III. *de Princ.* c. 3. *manifeſte oſtenditur ab adverſariis ſpiritibus quosdam a prima ſtatim ætate poſſeſſos, id eſt, nonnullos cum ipſo dæmone natos, alios vero a puero divinaſſe, hiſtoriarum fides declarat. Alii a prima ætate dæmonem, quem Pythonem nominant, id eſt, ventriloquum, paſſi ſunt.* Inepte ibi quidem ORIGENES eius rei cauſam ad ſuum trahit errorem, priores quasdam eisdem energumenis fuiſſe cauſas, *quibus antequam in corpore naſcerentur animæ, aliquid contraxerint culpæ in ſenſibus vel motibus ſuis*, ſtatuens, noxæ originalis ex ADAMO immemor. At vero S. HIERONYMUS in epiſtola ad PAULAM *de dormitione* BLESILLÆ, quæ cauſa ſit, ut ſæpe bimuli, trimulive, & ubera materna lactantes a dæmonio corripiantur, inquirens, inſcrutabilique altiſſimi iudicio relinguenda eſſe exiſtimans, de renatis iam fonte baptiſmatis intelligendus eſt: unde iuxta S. AUGUSTINUM lib. XXI. *de civit. Dei* cap. 18. „Grave iugum ſuper filios ADAM a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ matrem omnium, uſque adeo impleri eſt neceſſe; ut ipſi parvuli, per lavacrum regenerationis ab originali peccato, quo ſolo tenebantur vinculo, iam ſoluti multa patientes, nonnullas incurſiones ſpirituum malignorum patiantur.“ Add. lib. XXII. *T.VII. pag.* 686. c. 22. n. 3. S. PETRUS *Chryſologus* parentibus culpam imputans. „In- *Serm. LI. p.* 81. fantia (inquit) ut in ſe diabolo locum faceret, quid criminis admiſerat? quid reatus? Sed replentur dæmone parvuli, quando a parentibus ſuis *T. II. pag.* 196. offeruntur diabolo, dæmonum ducuntur ad curam.“ Apud S. GREGORIUM lib. I. *dial.* c. 10. legitur extinctus a diabolo infantulus, quod parens ei, epiſcopo ſuo detrahenti, libenter auſcultaverit. Sic etiam puerulus dæmo- *p.* 352. nio ab ELEUTHERIO ſervo Dei eodem teſte lib. III. c. 33. liberatus, rurſus ob eiusdem ELEUTHERII immoderatam lætitiam a dæmone vexatus, iterumque eius pœnitentis lacrimis *perfecte ſanatus eſt, ut ad hunc malignus ſpiritus accedendi auſum ulterius non haberet.*

Adulti Chriſtiani. XXXIV. Fidelium porro ſeu Chriſtianorum adultorum, qui ſuo vitio

ſibi

ſibi dæmones attraxerint, complures inde ab antiquiſſimis temporibus funeſti memorantur caſus, eorumque deſignatur cauſa, atque occaſio. „Nam (ut narrat TERTULLIANUS) & exemplum accidit, Domino teſte, eius mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo, cum oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem adgredi; *Conſtanter & iuſtiſſime quidem*, inquit, *feci*, *in meo eam inveni.*“ ORIGENES poſtquam contra CELSUM lib. VIII. 35. aſſeruiſſet dæmones eos lædere, qui ſe illis ſubiiciunt quaſi dominis, addit: *Hinc, ut videtur, accidit, ut qui cibis per leges locorum vetitis utuntur, ſi dæmonibus illis ſubditi ſunt, pœnas dent.* Eiuscemodi S. CYPRIANUS *de Lapſis* non unum notat exemplum, iſtam, Deo permittente, pœnam dantium: „Alia in balneis conſtituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, ut & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidiſſet) illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumtus, eſt in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit, doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit.“

De Spectac. c. 25. p. 83.

T. I. p. 769.

pag. 95.

Poſt alia non minus tragica arreptitiorum exempla, in quibus tamen non proditur dæmoniaca vexatio, tantum quod puellam parvulam idolothytis paſtam *velut tortore cogente* conſcientiam facti faſſam dicat, demum „Quam multi (concludit) quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia, quam delinquentium multitudo numeroſa. Unusquisque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur. Nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, quem ſibi Dei iudicis cenſura ſervavit.“ Iam ſupra narravimus ex CASSIANO de abbate MOYSE durius MACARIUM alloquente, diro confeſtim tradito dæmoni: ex SULPITIO *Severo* item de monacho quodam ſanctiſſimo, ut ſe vanitate cogitationum eximeret ob patrata miracula & fugatos dæmones, Deum precante, ut poteſtati diaboli ad tempus traderetur. Idem paullo poſt de eremita narrat ex animi obſtinatione propoſitum deſerente, qui „vix e conſpectu abſceſſerat, impletus a dæmone, cruentasque ſpumas ore provolvens, ſuis dentibus ſe ipſe lacerabat. Deinde ad monaſterium fratrum humeris reportatus, cum coerceri in eo immundus ſpiritus non valeret, neceſſitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus vinciuntur. Non immerita pœna fugitivo, ut

Collat. VII. c. 27.

Dial. I. c. 20.

Ibid. c. 22.

quem non cohibuerat fides, catenæ cohiberent. Poſt biennium demum oratione Sanctorum ab immundo ſpiritu liberatus, ad eremum, unde diſceſſerat, mox regreſſus, & ipſe correptus, & aliis poſt futurus exemplo, ne quem aut falſæ iuſtitiæ umbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili levitate compellat ſemel cœpta deſerere."

pag. 124. Facit huc, quod incertus auctor in appendice opp. S. PROSPERI *de promiſſionibus & prædictionibus Dei* cap. 6. perhibet, ſuis temporibus circa annum ſcilicet 434. accidiſſe *Carthagine*, quod nullus illius patriæ civis ignoraret, dum „ quædam iuvencula *Araba* natione (relata ab auctore refero) ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lavans ſimulacrum quoddam *Veneris* impudice reſpiceret, & ſeipſam, eique ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit. Statim ille leo, qui rugiens circuit quærens, quem quærebat, invenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum, nullumque potum traiiciens per ſeptuaginta ferme dies totidem noctes, ieiunium ſibi diabolus ex capto poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes, dum iuge malum ulterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſe ſe ingeſſerunt ſacerdoti, quæ acta erant, fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ ſibi ore, neſcio quid, infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diuturni ieiunii fœdatam, nullo pallore ſeu tabe, vel debilitate confectam; quin potius robuſtam ſucco viſcerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quæ dicebantur, habito conſilio, in monaſterio puellarum, in quo reliquiæ ſancti STEPHANI ſitæ ſunt, ſacerdos puellam ſimul & Præpoſito commendavit. Illic prima tantum die apparuiſſe illam avem adſeruit, ſibique increpaſſe, quod neque fame, neque ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret. Per duas ſane hebdomadas nihil cibi vel potus ſumens in monaſterio manſit."

T. II. p. 165. Hucuſque auctor ille. Haud abludit, quod S. GREGORIUS M. lib. I. Dial. c. 4. narrat de „ una Dei famula ex monaſterio EQUITII quadam die hortum ingreſſa: quæ lactucam conſpiciens concupivit, eamque ſigno crucis benedicere oblita avide momordit, ſed arrepta a diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem Patri EQUITIO ſub celeritate nuntiatum eſt, ut veniret concitus, & orando ſuccurreret. Moxque hortum idem Pater ut ingreſſus eſt, cœpit ex eius ore quaſi ſatisfaciens ipſe, qui hanc arripuerat, diabolus clamare, dicens: *Ego quid feci? ego quid feci? ſedebam mihi ſuper lactucam; venit illa, & momordit me.*" Aliud legitur eiusdem libri cap. 10. Funeſtius eſt, quod idem lib. IV. Dial. c. 18. de puerulo blaſphemo narrat; & S. GREGORIUS *Turonenſis de gloria Confeſſ.* c. 67.

de

de MAURO cuiusdam ſervo ad S. LUPI baſilicam, negligentia admiſſa confugiente: „Frendens vero dominus eius (inquit) de veſtigio proſecutus, ingreſſus baſilicam, nec oratione proſtratus blaſphemias in Sanctum evomere cœpit, ac dicere: *Et tu Lupe, ſervum meum auferes, & propter te non licebit mihi in eum ultionem debitam exercere?* Et iniecta manu ſervum trahere cœpit, dicens: *Non mittet hodie hic Lupus manum ſuam de ſepulcro, ut eruat te de manibus meis.* Hæc dicente miſero extemplo lingua, quæ in Sanctum blaſphemias effudit, per totam ædem dans mugitum ut pecus, ſermonem ut homo non proferens, tertia denique die cum gravi cruciatu vitam finivit.“ Ad alia quædam ex pluribus apud eundem exemplis digitum ſolum intendo veluti lib. I. *de gloria Martyr.* lib. I. c. 105. *de rebus geſtis Franc.* lib. III. c. 12 lib. VII. c. 21. Ulterius ad medium haud progredior ævum, fidem perſæpe a memet haud impetraturus innumeris narrationibus.

XXXV. Iam vero omnem denegare fidem, vel ſacræ prohibent paginæ novi teſtamenti conſenſusque evangeliſtarum. Apud MATTHÆUM, e. c. MARCUM & LUCAM memorantur *Geraſeni duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam*, ur MATTHÆUS perhibet; de alterutro autem MARCUS teſtatur, neque catenis iam quemquam potuiſſe eum ligare, *quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare. Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans, & concidens ſe lapidibus.* Et LUCAS *Cum*, inquit, *egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* De alio ab his apud eosdem evangeliſtas fit mentio, lunatico ſcilicet, cuius iam meminimus, habente ſpiritum mutum, qui, ut MARCUS teſtatur, *ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit*, poſtea vero *exclamans & multum diſcerpens eum exiit ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita ut multi dicerent; quia mortuus eſt.* Similia LUCAS c. IX. 13. ſeq. habet, quomodo etiam *cum accederet ad IESUM, eliſit illum dæmonium, & diſſipavit.* Iuxta MATTHÆUM vero *increpavit illum IESUS, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.* Solent apologiſtæ noſtri ad alia eiusmodi provocare, „Quia (ut S. ATHENAGORAS teſtatur legat. pro Chriſtianis n. 25.) profectæ a contrario ſpiritu dæmoniacæ motiones & operationes hos impetus inordinatos excitant, ac homines alium aliter, & univerſos privatim & communiter pro ratione materiæ & cognationis cum divinis rebus, intus & exterius

Miſere agitati.

Matt. 8, 28. *Marc.* 5, 2. *Luc.* 8, 27.

Marc. 9, 16. *ſeq.*

Luc. 9, 39.

Matth. 17, 14. *ſeq.*

Poſt Opera S. Iuſtini p. 303. *ſeq.*

terius movent. Refert vero inter dæmonum operationes crudeles etiam
pag. 304. illas in cultu deorum. „Alii enim (inquit) virilia exsecant, ut *Rhea*; alii vulnerant, & incidunt, ut *Diana*: *Taurica* etiam hospites necat. Eos enim, qui se ipsi cultris & flagellis dilacerant, &, quot sint dæmonum species, prætermitto. Neque enim Dei est ad ea, quæ sunt contra naturam, impellere.

Dæmon mali quid si paret mortalibus,
Mens primum ab illo læditur.

T. II. Bibl. PP. p. 397. Altero post ATHENAGORAM sæculo gentiles pariter incessens *Minucius* FELIX in *Octavio* &c. n. 27. „Sic (inquit) a cœlo deorsum gravant, & a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, omnes inquietant: irrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum Dei cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, remissis, quæ constrinxerant, curasse videantur. Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipsi absque templo: sic insaniunt, sic bachantur, sic rotantur. Par & illis instigatio dæmonis, sed argumentum dispar furoris. De ipsis etiam illa, quæ paullo ante tibi dicta sunt, ut *Iupiter* ludos repeteret ex somnio, ut cum equis *Castores* viderentur, ut cingulum matronæ navicula sequeretur. Hæc omnia sciunt plerique pars vestrum ipsos dæmonas de semetipsis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, & orationis in-
pag. 252. cendiis de corporibus exiguntur.“ Deplorabilem hominis a dæmone arrepti statum describit S. CYRILLUS *Hierosol.* Catech. XVI. n. 15. his verbis: „Impurus dæmon, quando in animam hominis irruperit (liberet vero Deus ab hoc malo omnes animas tam eorum, qui hic adsunt, quam absentium) tanquam lupus sanguinem vorans, ad devorandum paratus, *in* ovem irruens, sic venit: Obscuratur mens caligine. Iniustus ille impetus est, alienam possessionem invadentis. Alieno enim corpore, & alieno instrumento, tamquam proprio abuti vi facta conatur. Stantem deiicit, familiaris est enim illius, qui de cœlo cecidit. Linguam invertit, labia contorquet, sermonum loco spumam exprimit: tenebris mergitur homo, apertus est oculus, & per illum anima nihil videt, & palpitat tremebundus ante mortem homo miserabilis. Vere hominum hostes sunt dæmones, qui illis tam fœde atque immisericorditer abutuntur.“ Legi in hanc rem possunt, quæ paullo ante ex S. CYPRIANO *de lapsis* aliaque id genus retulimus, nonnullique apud S. HIERONYMUM in vita S. HILARIONIS no-
T. IV. p. 79. tantur energumeni, ut alia silentio præteream, veluti „Auriga *Gazensis* in curru percussus a dæmone, totus obriguit, ita ut nec manum agitare, nec cervicem posset reflectere . . . Præterea fortissimus iuvenis nomine

MARSITAS,

MARSITAS in territorio *Ieroſolymæ*, tantum ſibi applaudebat in viribus, ut quindecim frumenti modios diu longeque portaret; & hanc haberet palmam fortitudinis ſuæ, ſi aſinos vinceret. Hic affectus peſſimo dæmonio non catenas, non compedes, non clauſtra oſtiorum integra patiebatur: multorum naſum & aures morſibus amputaverat: horum pedes, illorum gulam fregerat. Tantumque ſui terrorem omnibus incuſſerat, ut oneratus catenis & funibus, in diverſa nitentium, quaſi ferociſſimus taurus ad monaſterium traheretur." Refert paullo poſt ex ore S. HILARIONIS, hominum cauſa diabolum etiam iumenta corripere, & tanto eorum ardere odio, *ut non ſolos ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire.* Unum adhuc STAGIRIUM aſcetam commemorem, ad quem a dæmonio vexatum tres S. IOANNES *Chryſoſtomus* ſcripſit libros in orationem exhortatoriam: haud procul autem exordio operis ſic alloquitur: „Cum ab initio ſceleſtus ille dæmon animam invaſit tuam, atque cum cæteris proſtravit orantem, non equidem tunc præſens aderam, gratiasque ago clementiſſimo Deo, didici tamen omnia diligentiſſime, non ſecus ac ſi ipſe affuiſſem. Nam THEOPHILUS *Epheſius* utriusque noſtrum amicus, profectus ad me, cuncta mihi per ordinem retulit, diſtortas manus, torvos oculos, oris ſpumam, horrendam illam & confuſam vocem, corporis tremorem, diuturnam ſenſus privationem, viſumque terribile, quod ea nocte oſtenſum eſt." Sed ad hæc omnia ſolatur STAGIRIUM, divinam proponit providentiam clementiamque alibi etiam homilia nimirum I. *adverſus eos, qui dicunt dæmones gubernare res humanas, & Dei punitiones iniquo animo ferunt &c.* his verbis: „Et nunc igitur, ſi quando videris hominem agitatum a dæmone, Dominum adora, nequitiam dæmonum diſce: Siquidem utrumque in his dæmoniacis cernere licet, & Dei benignitatem, & dæmonum improbitatem. Ac dæmonum quidem improbitatem, cum turbent, & exagitent animam dæmoniaci: Dei vero benignitatem, cum ita ſævum inquilinum, & hominem præcipitare cupientem retineat, & coerceat, ut neque omni ſua poteſtate uti permittat, ſed tantam vim ſinat oſtendere, ut & hominem caſtiget, & illorum nequitiam manifeſtet." Sic iuxta S. AUGUSTINUM *de ipſius malevolentia conſulitur Eccleſiæ Dei*, ubi, quomodo locutus ſit diabolus EVÆ per ſerpentem, explicans „quandoquidem (ſubdit) nec ipſi homines, quorum rationalis natura eſt, cum dæmon in eis loquitur ea paſſione, cui exorciſta requiritur, ſciunt, quod loquantur." Quod S. THOMAS tum hoc ſerpentis exemplo, cum etiam aſinæ, qua angelus locutus eſt ad BALAAM, confirmat 2. 2. qu. 165. a. 2. 4.

pag. 82.

T. I. p. 156.

T. II. p. 246.

pag. 256.

De Geneſi ad litteram lib. XI. n. 34. T. III. pag. 287. n. 35. p. 288.

A Clero, Sacris, ipsoque baptismo quare & quomodo arcebantur?

XXXVI. Vel una autem hæc misera energumenorum seu arreptitiorum conditio iustissima causa fuit, ut a clero, sacrisque christianis arcerentur, quamdiu in eo statu essent. Sic vero can. 70. apostol. statuitur: *Si quis dæmonem habeat: ne fiat Clericus; sed nec unacum fidelibus oret: cum autem purgatus fuerit, recipiatur; & si dignus extiterit, clericus fiat.* Ipsa vero ratio attingitur in concilio *Eliberitano* can. 29. *Energumenus, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen nec ad altare cum oblatione recitandum, neque permittendum, ut sua manu in ecclesia ministret.* Et postea can. 37. *Eos, qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placuit: si fideles fuerint, dandam esse communionem: prohibendum etiam, ne lucernas hi publice accendant. Si facere contra interdicta voluerint, abstineant a communione.* Convenit cum hoc canone quoad energumenos necdum baptizatos responsio canonica TIMOTHEI *Alexandrini* episc. ad interrogationem II. eius tenoris: *Si is qui a dæmone corripiatur, non fuerit ab immundo spiritu mundatus, non potest sanctum baptismum accipere, sed in exitu a vita baptizatur.* Hinc est, quod in antiquissimis liturgiis *Gelasiana* & aliis, quæ illi congruunt, post formulam impositionis manuum factam ægrotanti catechumeno mox sequatur *impositio manus super energumenum catechumenum. Item alia pro parvulo energumeno*, ægrotante ut puto.

T. I. Conc. p. 973.

pag. 974.

T. II. Conc. p. 1792.

In concilio *Carthaginensi* can. 91. energumenis præcipitur, ut ecclesias verrerent, ob id maxime, ut *Gabr.* ALBASPINÆUS ad laudatum mox canonem 29. concilii *Eliberit.* annotavit, quod in ecclesiis pernoctarent, ut dæmonum terrore atque metu liberarentur, id testante atque enarrante canone 92. eiusdem concilii: quod canone *Eliberitano*, aut quid simile vetatur. Quod vero pluribus deinceps conciliorum canonibus firmatum est, energumenos non solum non esse assumendos ad Clerum, sed etiam removendos iam ordinatos, id concilium *Arausicanum* can. 16. sic exprimit: *Qui palam aliquando arrepti sunt, non solum non assumendi ad ullum ordinem clericatus, sed & si iam aliqui ordinati sunt, ab imposito officio repellendi.* Optime vero rationem GELASIUS P. in epistola ad episcopum *Lucaniæ* c. 21. explicat, atque in eandem sententiam concilii *Toletani* XI. c. 13. prout paullo ante attigimus, legiturque apud GRATIANUM sub nomine PII P. distinct. XXXIII. cap. 3. *Communiter diffinimus, ut nullus de iis, qui aut in terram arrepti a dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant Sacramentis divinis.* Et c. 5. *Usque adeo sane comperimus illicita quæque prorumpere, ut dæmonibus, similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur, quibus si, in hoc opere positis*

T. III. Conc. pag. 1447.

ali-

aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis fidelium de ſua ſalute confidat, ubi miniſtros ipſos curationis humanæ tanta proſpexerit calamitate vexari?

XXXVII. Ex his iam ſatis liquere exiſtimo, iis præſertim, quæ de dæmoniacis ex ipſa ſacra ſcriptura retulimus, dæmones etiam energiam in corpora exerere. *Nonne anima plus eſt quam corpus*, quomodo ergo ii, qui tentari animam a diabolo admittunt, id de corpore negent? Equidem, ex ſententia EVAGRII *Scitenſis* monachi, *dæmones, qui affectibus animæ præſident, ad mortem uſque perſeverant; qui affectibus corporis, cito recedunt.* At ei de affectibus ſeu paſſionibus ſolum ſermo eſt. Longe vero latius patet regnum illud corruptionis noſtræ, cui, ut vidimus, princeps præeſt diabolus ac primus auctor. „Ita animam (ut verbis S. MACARII utar) ac totam eius ſubſtantiam peccato induit nequam ille princeps, totam inquinavit, & totam captivam in regnum ſuum adduxit, nec reliquit ullum eius membrum a ſe liberum, non cogitationes, non mentem, non corpus, ſed amicivit eam purpura tenebrarum.“ Et paullo poſt: „Quemadmodum in nocte caliginoſa & obſcura vehemens quidam ventus ſpirat, & omnes plantas ac ſemina concutit, commovet, & agitat: ſic quoque homo lapſus ſub poteſtatem noctis tenebrarum diaboli, & in nocte tenebrisque degens, gravi vento peccati flante commovetur, concutitur, & quaſſatur, qui omnem naturam, animam ſcilicet cogitationes, & mentem perſcrutatur, omnia denique concutiuntur corporis membra, neque ullum membrum animæ aut corporis immune, nec ullum ab affectionibus peccati in nobis inhabitantis, liberum eſt.“ S. AUGUSTINUS lib. XV. *de Civit. Dei* c. 23. quæſtionem illam verſans: an credendum ſit, *angelos ſubſtantiæ ſpiritalis amore ſpecioſarum mulierum captos earundem iniiſſe coniugia, ex quibus gigantes ſint creati*, multa ad rem proloquitur, vetuſtiſſimorum illorum Patrum non penitus ſolutus præiudicio, plus etiam tribuens, quam ad rem opus ſit. Extat inter epiſtolas S. AUGUSTINI NEBRIDII epiſt. nunc. 8. alias 245. qua percontatur ex S. doctore, *Quanam ſuperiorum poteſtatum vel dæmonum in animam actione fiat, ut & cogitationes quædam inſerantur & ſomnia?* ut in ſequenti epiſtola quæſtionem colligit, reſpondens autem aeria, etheriaque eſſe animantia ſupponit. Qualiscunque vero naturæ ſint angeli, eadem eſt ratio cum noſtra, quæ corpus regit, anima: quæ vero hic ſeſe exerit difficultas, neminem unquam ex veteribus in transverſum egit. NEMESIUS epiſcopus *Emeſenus de natura hominis*, c. 3. ex inſtituto agit de unione corporis & animæ, rem autem explicat conparatione quadam radiorum ſolis: „Ut enim ſol præſentia ſua aerem illuſtrans eum ad lumen traducit, aerique lumen unitur, & cum eo non confuſe funditur: ita

Quomodo in corpus agant dæmones?

T. VIII. Bibl. PP. p. 556.

Ibid. p. 8.

pag. 9.

T. VII. pag. 406.

T. II. p. 10.

pag. 11.

Ib. p. 373.

anima unita corpori, manet omnino non confusa, hoc uno a sole discrepans, quod sol, cum corpus sit, locoque circumscribatur, non est, ubicumque lux sua est, quemadmodum neque ignis. Manet enim ignis in ligno, aut in lucerna, tanquam in loco illigatus: anima vero, quod corporis est expers, neque loco definitur, tota per totum & lumen eius, & corpus permeat: neque est pars ulla, quæ ab illa illustretur, in qua tota non adsit. Non enim tenetur a corpore, sed ipsa tenet corpus, neque in corpore est, ut in vase, aut utre, sed contra in ea corpus."

pag. 361. Idem in eodem opere libro XXI. c. 10. disquirens: *an ignis gehennæ, si corporalis sit, possit malignos spiritus, id est dæmones incorporeos tactu suo adurere?* Non equidem definit, an corporei, quod plerisque veterum Patrum assertum fuit, an incorporei sint. Hoc vero suppositio „adhærebunt ergo (concludit) si eis nulla sunt corpora, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inspirentur, & animalia fiant, quæ constent spiritu & corpore; sed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Quia & iste alius modus, quo corporibus adhærent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, & hoc ipse homo est."

Imperfectum esse fateor, quidquid in hanc rem differitur, aut animo concipitur, ubi nos ratio ac notio eius rei deficit, quâ nihil familiarius in nobis ipsis est, anima scilicet regente corpus, animanteque, ita ut ea exeunte, mox omnis cessaret motus corporis. Meum non est hic varias illas de comercio corporis & animæ examinare hypotheses, qui in ea semper opinione fui, quam singulari multos ante annos asserui meletemate, pertinere hanc vim motricem corporum ad imaginem & similitudinem illam, ad quam creatus est homo, quadam veluti divinitatis aura inspirata homini, divinæ potentiæ specimine, quo solo nutu & imperio creavit omnia, ac gubernat. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo*

Gen. II. 7. *terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Semper aliquid singulare ac præcipuum in illis

Gen. I. 26. verbis agnitum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum.* Ad nutum igitur & voluntatem hominis omnia in orbe terrarum viventia fuissent, solo imperio gubernasset, nisi ipse Deo rebellis dominio suo excidisset. Agnoscit S. Augustinus lib. III. *de libero arbitrio* etiam in ipso regendo suo corpore

pore defectum aliquem poſt peccatum: *In corporibus autem inferioribus anima poſt peccatum ordinata regit corpus ſuum, non omni modo pro arbitrio, ſed ſicut leges univerſitatis ſinunt.* Quæ verba in epiſtola CXLIII. ad MARCELLINUM explicans. „Quia (inquit) & caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ingemiſcimus gravati, & corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & quis omnia enarret carnalis infirmitatis incommoda? quæ utique non erunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, ut abſorbeatur mortale a vita. Tunc itaque ſpiritale corpus reget omnimodo pro arbitrio, nunc vero non omni modo, ſed ſicut leges univerſitatis ſinunt, per quas conſtitutum eſt, ut corpora orta occidant, & aucta ſeneſcant. Nam illius primi hominis anima ante peccatum etiamſi nondum ſpiritale corpus, ſed animale, tamen pro arbitrio regebat. Poſt peccatum autem, id eſt, poſteaquam peccatum in illa carne commiſſum eſſet, ex qua deinceps propagaretur caro peccati, anima rationalis ſic eſt in inferioribus corporibus ordinata, ut non omni modo pro arbitrio regat corpus ſuum.“ Defectum illum naturæ prodit hic a D. PAULO notata eaque inteſtina in homine rebellio, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & corpus omnis generis infirmitatibus ipſique morti eſt obnoxium, redintegratur autem per CHRISTI gratiam etiam exſorti quadam imperii priſtini conditione, dum *convocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Et: *Infirmos curate, mortuos reſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.* Solo utique imperio, quomodo ab initio ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatum hominem diximus, atque etiam angeli omnes adminiſtratorii ſunt ſpiritus, cum hoc mundo viſibili ipſoque cum genere humano inviſibiliter coniuncti, ut vero BENEDICTUS XIV. *de malis angelis* obſervat, *omnis virtus naturalis operandi ad extra actione transeunte, & corporali manſit integra in dæmonibus poſt peccatum, cum hoc eorum naturalia non minuerit.* Et poſtea caput 29. *de eiectione dæmonum a corporibus obſeſſis* ſic auſpicatur: „Ut quis dici obſeſſus poſſit, requiritur, ut in eo dæmones ſint, & ut aliquam in ipſum poteſtatem acceperint; quam quidem poteſtatem in corpora potiſſimum habent, eamque limitatam, quantum ſcilicet Deus illis permittit. Sunt vero dæmones in hominibus, quos obſident, ut motores in corporibus.“ Eadem igitur de hominis anima, & aliis ſpiritibus, quoad actionem energiamque in corpora eſt ratio. Si qua forſan, ut cum HOFFMANNO iam citata diſſertat. *de diaboli potentia in corpora*, concludam, „exinde naſcatur dubitatio, quod inter vires ſpirituum & corporum ingens diſcrimen ſit, nullaque detur in ea communio, fingamus & hoc ita ſe habere.

T. II. pag. 465.

Matth. 10, 1. Luc. 6, 13.

De Beatif. & Canoniz. lib. IV. c. 3.

T. V. Opp. p. 96.

bere. Interim ſufficit nobis, quod negari nequeat, ſpiritum excitare poſſe vim eam, quæ eſt in corporibus, motricem. Nam omnia corpora inſtructa ſunt vi movente & mobili, quamvis Deus talem legem tulerit, ut nonniſi excitata ad motum, vel facta communicatione virium ab alio corpore, moveantur. Sed quid opus eſt longa diſputatione? Ubi rerum adſunt teſtimonia, exulent ratiocinia. Quid enim clarius ac magis obvium eſt, quam ad nutum & voluntatem animæ noſtræ ſpiritus animales movere hæc vel illa membra.“ Oſtendit deinceps, quomodo diabolo in macrocoſmum, deinde vero etiam in microcoſmum agendi poteſtas ſit, ſuis tamen contenta limitibus.

Diabolica phantaſmata, ſpectra.

XXXVIII. Quæſtionem autem ibidem §. 8. ſeq. inſtituens: *An diabolus verum poſſit aſſumere corpus?* Negat id de vero ac impenetrabili corpore, de imaginario autem & apparente concedit, ei imperium quoddam §. 14. in aerem concedens, illum ad certum motum determinandi, quod tamen non ſine ſingulari permiſſione Dei exercere poſſit. „Hinc fluit (addit) dæmonem utique, varias ſpecies corporum phantaſticas, tam hominis quam animantium ex aere vaporoſo, ſub luce & umbra varie & artificioſe collecto, commode induere poſſe: unde apparitiones ſpectrorum non ſunt de nihilo, & vetuſtiſſimis monumentis ſacræ quoque ſcripturæ auctoritate, plurimisque per omnes ætates & regiones obſervationibus confirmatæ.“ Scriptor antiquiſſimus *Græcus* TATIANUS in oratione
p. 257. contra *Græcos* num. 1. in editione operum S. IUSTINI M. rationem quodammodo dat, quomodo ſe viſibiles reddant: „Videntur autem (inquit) & a pſychicis dæmones, ac ſeſe nonnunquam hominum adſpectui exhibent: vel ut aliquid eſſe exiſtimentur, vel etiam aliquid tamquam inimicis noceant amici mala mente præditi, vel ut ſui ſimilibus cauſas ipſorum colendorum innectant. Nam ſi poſſent, cœlum ipſum profecto cum cæteris rebus creatis ſubverterent. Nunc autem nequaquam id faciunt; neque enim poſſunt; ſed materia inferiore materiam ſibi ſimilem oppugnant. Hos ergo ſi quis vincere velit, materiam repudiet. Lorica enim ſpiritus cœleſtis armatus ſervare poterit, quidquid ab eo circumdatum fuerit. Habet quidem materia noſtra morbos & tumultus, qui cum acciderint, eorum cauſas ſibi dæmones adſcribunt, morbo invadenti ſupervenientes. Ipſi etiam interdum nequitiæ ſuæ tempeſtate habitum corporis noſtri concutiunt, ſed verbo virtutis Dei percuſſi, diſcedunt exterriti, & æger ſanatur.“
L. XV. cap. 23. S. AUGUSTINUS in ea quæſtione verſatus: *An credendum ſit, angelos ſubſtantiæ ſpiritalis amore ſpecioſarum mulierum captos earundem iniiſſe coniugia, ex quibus gigantes ſint creati:* „Apparuiſſe tamen (inquit) hominibus

minibus angelos in talibus corporibus, ut non ſolum videri, verum etiam tangi poſſent, eadem veriſſima ſcriptura teſtatur. " Taceo, quæ ibi ſubdit de *Sylvanis* & *Faunis* „quos vulgo *incubos* vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe ac peregiſſe concubitum, & quosdam dæmones, quos *Duſios Galli* nuncupant, hanc aſſidue immunditiam & tentare & efficere, quod plures talesque aſſeverent, ut hoc negare impudentia videatur: " quos item poſtea perhibet dæmones in ſomnis in forma puerorum nigrorum cirratorum apparuiſſe. De iis enim non eſt hic ſermo, quæ repræſentat phantaſia in ſomno „qui (ut eiusdem verbis utar S. Doctoris) proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet ſæpe ſomniorum viſis, quam ſit inquietus; & quam magnis, licet falſarum rerum, terroribus, quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, ut a veris eas diſcernere nequeamus, animam miſeram ſenſusque perturbet? Qua falſitate viſorum etiam vigilantes in quibusdam morbis & venenis miſerabilius agitantur: quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam ſanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus viſis, ut etiamſi eos per hæc ad ſua traducere non potuerunt, ſenſus tamen eorum ſolo appetitu qualitercunque perſuadendæ falſitatis illudant."

T. VII. p. 406.

Lib. XXII. c. 8. *p.* 666.

Ib. c. 22. *p.* 686.

In vita S. Gregorii *Taumaturgi* S. Gregorius *Niſſænus* terrores & ſpectra ſancti viri diacono obiecta refert, balneum a dæmonibus infeſtatum obeunti, his verbis: „Poſtquam autem nudatus fuit intus, multiplices terrores, & concuſſionum materiæ a dæmonio inſtruebantur: ſpectra varia, igni & fumo mixtam naturam præſeferentia, in forma hominum & ferarum oculis ſe ingerentia, auribus inſonantia, anhelitu appropinquantia, & undique corpori ſe circumfundentia. Ille vero ſe ſigno crucis muniens, & Chriſti nomen invocans, primum conclave illæſus pertranſiit: ad interiorem autem partem ædium progreſſus, in graviora ſpectacula incidit, in horribiliorem aſpectum dæmonio transformato: nam & ſimul terræ motu concuti domus videbatur, & ſolum infra ruptum flammam nudam oſtendere inferius, ſcintillæque flammeæ ab aquis emitti putabantur. Rurſusque ei arma itidem fuere ſignaculum crucis, & Chriſti nomen: & quod per magiſtri preces adferebatur auxilium, terrores earum rerum, quæ tum apparebant, tum fiebant, diſcutiebat. Aqua autem iam recreatus cum feſtinaret egredi, rurſus prohibebatur a dæmone oſtium occupante. Sed hoc quoque rurſus impedimentum pari virtute ſponte ſua oſtio cedente, per ſignum crucis diſcuſſum atque ſolutum." Additur neminem eorum, qui unquam illa hora aquam ingredi auſi eſſent, inter vivos poſtea apparuiſſe.

T. III. Bibl. PP. p. 465.

S. Hieronymus in vita S. Pauli primi eremitæ narrat, S. Antonio conſpicuum fuiſſe hominem equo mixtum, cui opinio poetarum *Hippocen-*

T. IV. pag. 70. *ſeq.*

centauro vocabulum indidit. „ Verum hæc (ſubdit S. HIERONYMUS) utrum diabolus ad terrendum eum ſimulaverit, an, ut ſolet, eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus. Stupens itaque ANTONIUS, & de eo, quod viderat, ſecum volvens, ulterius progreditur. Nec mora, inter ſaxoſam convallem haud grandem, homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Infractusque & hoc ANTONIUS ſpectaculo ſcutum fidei & loricam ſpei, ut bonus præliator arripuit: nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quaſi pacis obſides offerebat. Quo cognito gradum preſſit ANTONIUS, & quisnam eſſet interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit: *Mortalis ego ſum, & unus ex accolis eremi; quos vario deluſa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colit, legatione fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem in ſalutem mundi olim veniſſe cognovimus, & in univerſam terram exiit ſonus eius.*“ Facile largior impoſuiſſe dæmonem ſancto viro, fama etiam deceptum S. HIERONYMUM, dum paullo poſt narrat ſub CONSTANTINO *Alexandriam* iſtiusmodi hominem vivum, i. e. *Satyrum* perductum, magnum populo ſpectaculum præbuiſſe, & poſtea cadaver exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur ſale infuſo, *Antiochiam*, ut ab imperatore videretur, allatum, monſtrum potius aliquod aut ſimia ſilveſtris. Neſcio an inde quoque occaſio ſumta ſit detrahendi PAULO ſuo, ut in prologo in vitam S. HILARIONIS queritur, atque etiam HILARIONI timet, de quo alia narrat dæmonum ludibria, qui quadam nocte *infantum* cœperit *audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi muliercularum, leonum rugitus, murmur exercitus, & rurſus variarum portenta vocum, ut ante ſonitu quam aſpectu territus cederet.* Et mox: *Multæ ſunt tentationes eius, & die noctuque variæ dæmonum inſidiæ, quas ſi omnes narrare velim, modum excedam voluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti; quoties eſurienti largiſſimæ apparuere dapes? Interdum orantem lupus ululans, & vulpecula ganniens tranſilivit; pſalentique gladiatorum pugna ſpectaculum præbuit, & unus quaſi interfectus, & ante pedes eius corruens ſepulturam rogavit. Oravit ſemel fixo in terram capite, &, ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens neſcio quid aliquid cogitabat: inſiliit dorſo eius agitator; & latera calcibus, cervicem flagello verberans*: Eia, *inquit*, cur dormitas? *Cachinnansque deſuper ſi defeciſſet, an hordeum vellet accipere, ſciſcitabatur.* Multo vero maiora ſunt, quæ S. ANTONIUS fuit expertus, cui quippe repræſentarunt ſe etiam dæmones, ac *beſtiarum & ſerpentum formas induentes omnem protinus locum replevere phantaſiis leonum, taurorum, luporum, aſpidum, ſerpentum, ſcorpionum, nec*

lib. p. 76.

non

non & pardorum atque urſorum, & hæc ſingula ſecundum ſuam fremebant naturam: rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu & cornibus minabatur; ſerpens ſibilo perſonabat; luporum impetus inhiabat, pardus diſcolor a tergo auctoris ſui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus, atque confoſſus ſentiebat quidem aſperiores corporis dolores &c. Hæc de S. ANTONIO narrantur apud S. ATHANASIUM in eius vita, ex quibus ego ea, quæ ipſe eam in rem profert in oratione ad monachos, hic recenſebo a). Quæ ſequuntur porro eiusdem generis phantaſmata ſpectraque dæmoniaca iam ſupra alia occaſione retuli. Id *T. IV. Bibl. PP. p. 648. ſeq.* a

a) Poſtquam S. ANTONIUS ſuos de huiusmodi maligni technis & machinationibus pluribus per ſingula commonefeciſſet, de ſeipſo eadem repetens, quomodo ipſe expertus didicerat, ſic p. 648. enarrat: „Equidem iam ſilere vellem, nec ulterius verba facere, hactenus dictis contentus; ſed ne putetis, me temere iſta proferre, ſed credatis me expertum vera iſthæc enarrare: ideo, etſi quaſi inſipiens fiam, at cordis puritatem novit Dominus qui hæc audit, meque non mei cauſſa, ſed veſtræ caritatis & exhortationis gratia, quæ novi dæmonum molimina, hæc rurſum narrare. Quoties me beatum illi dixere; ego vero maledicebam illis in nomine Domini. Quoties prædixere exundaturum fluvium, quibus ego: *Equid hoc ad vos?* Acceſſerunt aliquando cum minis, meque, quaſi milites omni armorum genere inſtructi, cinxere. Alio tempore equis, feris & ſerpentibus implevere domum; tum ego pſallebam: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur*: quibus illi precibus a Domino profligati ſunt. Venerunt aliquando in tenebris, quamdam luminis phantaſiam præferentes, aiebantque: *Acceſſimus, Antoni, lucem prælaturi tibi*: at ego clauſis oculis orabam, ac derepente extincta lux impiorum eſt. Paucis poſt menſibus, venere quaſi pſallentes, ac verba loquentes ſcripturarum: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Fuit, cum monaſterium quaſſarent: at ego mente immotus manendo precabar. Rurſum poſt acceſſere cum ſtrepitu, ſibilo & ſaltationibus: ut vero orare me, atque decumbentem apud me ipſum pſallere conſpexerunt, cœpere ſtatim lamentari ac flere quaſi ſe vires defeciſſent: ego vero gloriam Domino retuli, qui audaciam furoremque illorum retunderet, atque traduceret. Aliquando mihi admodum excelſus dæmon cum phantaſia viſus, dicere auſus eſt: *Ego ſum virtus Dei*, &, *Ego ſum providentia: Quid tibi vis beneficii conferam?* At ego tunc magis in illum inſufflavi prolato Chriſti nomine, atque verberare conatus ſum, ac reipſa verberaſſe viſum mihi eſt: ſtatimque ille tantus, cum omnibus ſuis dæmonibus, in nomine Chriſti evanuit. Venit aliquando me ieiunante, monachi ſpeciem habens, panesque, ut videbatur, tenens, ſuadebat dicens: *Comede, tantorumque laborum finem facito: nam homo tu quoque es, periculumque, ne ægrotes.* Intellecta ego illius vafritie, ſurrexi oraturus; quod ille non tulit; evanuit enim, ac per ianuam quaſi fumus egredi viſus eſt. Quoties auri ſpeciem in deſerto obiecit, ut vel ſolum tangerem atque reſpicerem; ego vero adverſum pſallebam, & contabeſcebat ille. Plerumque me plagis conciderunt, & aiebam: *Nihil me ſeparabit a charitate Chriſti*: tumque illi ſeſe mutuo cædebant. Non eram ego, qui illos compeſcerem atque arcerem; ſed Dominus erat, qui ait: *Videbam ſatanam quaſi fulgur de cœlo cadentem.* Ego vero filioli memor apoſtolici dicti, hæc in me tranſtuli, ut ediſcatis non animo deficere in aſcetica vita, neque diaboli eiusque dæmonum phantaſias reformidare.“

Id vero ex illa ipsa oratione notatu dignum est, quod impotentiam dæmonum ex hoc ipso repetat, suisque contra illos animet, quod spectris & phantasiis tantum ludant. pag. 642. „Illud præterea (inquit) cogitandum, ut illos minime reformidemus: si potestas sibi esset, non mutata forma insidias pararent; sed satis foret accedere unum, qui quod posset atque vellet, conficeret: cum maxime, quisquis potestatem habet, non cum vana apparens specie occidat, neque tumultu terrefaciat, sed protinus arbitratu suo propria utatur potestate. Sed dæmones nihil cum valeant, quasi in scena ludunt, immutata forma; terrent pueros tumultibus atque larvis suis: unde sane quasi imbecilli contemnendi sunt.“ Multa id genus T. III. pag. 863. seq. & p. 891. in S. Macarii Apophthegmatibus leguntur, quædam etiam ipsius S. Macarii verbis; nec non apud Theodoretum in hist. relig. Iacobi eremitæ &c. quorumve ipse Theodoretus testis est de Talelæo; plura adhuc de S. Martino scriptis sunt tradita a Sulpitio *Severo* imprimis eius discipulo tum in eius vita, cum in dialogo II. ubi post alia relatis apparitionibus, familiarique quodammodo colloquio cum Sanctis diversis, *referebat autem* Cap. 13. *nobis*, inquit Sulpitius, *vultum atque habitum singulorum.* Tum concludit narrationem: „Iam vero dæmones prout ad eum quisque veniisset, suis nominibus increpabat. *Mercurium* maxime patiebatur infestum: *Iovem* brutum atque hebetem esse dicebat, Hæc plerisque in eodem monasterio constitutis incredibilia videbantur: necdum ego confido, omnes, qui hæc audient, credituros. Nam nisi inestimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur. Quamquam minime mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitaverit: cum multos hodieque videamus, nec evangeliis quidem credidisse. A Martino autem sæpe angelos visos familiariter & sensimus & experti sumus.“ Et de vita S. Martini cap. 21. „Constat autem etiam angelos ab eo plerumque visos, ita ut conserto invicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum vero tam conspicabilem & subiectum oculis habebat, ut sive se in propria substantia contineret, sive in diversas figuras spiritualesque nequitias transtulisset, qualibet ab eo figura videretur. Quod cum diabolus sciret se effugere non posse, conviciis eum urgebat frequenter, quia fallere non posset insidiis. Quodam autem tempore cornu bovis cruentum in manu tenens cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamque ostentans dexteram, & admisso recens scelere congaudens: *Ubi est*, inquit, *Martine virtus tua? unum de tuis modo interfeci &c.*“ Et c. 22. „Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere: nam interdum in *Iovis* personam, plerumque *Mercurii*, persæpe etiam se *Veneris* ac *Minervæ* transfiguratum vultibus

bus offerebat, adverſus quem ſemper interius ſigno ſe crucis & orationis auxilio ſe protegebat. Audiebantur etiam plerumque convicia, quibus illum turba dæmonum protervis vocibus increpabat. Sed omnia falſa & vana cognoſcens, non movebatur obiectis. Teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe ſe dæmonem protervis MARTINUM vocibus increpantem, cur intra monaſterium ex fratribus, qui olim baptiſmum diverſis erroribus perdidiſſent, converſos poſtea recepiſſet, exponentem crimina ſingulorum MARTINUM diabolo repugnantem reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris vitæ converſatione purgari &c." Et quis dubitet divino eum inſtinctu ex oſſibus latronis vocem elicuiſſe, ut vulgi errorem tolleret, a quo ceu martyr colebatur. Geminum eſt, quod inter apophthegmata S. MACARII ipſius verbis refertur calvariam mortui in eremo obviam alloquentis. *Ibid. c. 11.*

Quæ quidem non eo refero, ut vulgari credulitati patrociner, erroribusque ac fabulis circa ſpectra innumeris. Ea quæ attulimus ad Sanctorum merita & virtutem comprobandam faciunt. Quam vero TERTULLIANUS in libro *de anima* cap. 57. memorat *fallaciam ſpiritus nequam ſub perſonis defunctorum delitescentis . . quum in exorciſmis interdum aliquem ſe ex parentibus hominem ſuis affirmat*, id genus notat S. IOANNES *Chryſoſtomus* lib. in S. BABYLAM contra IULIANUM, & contra gentiles fruſtra miracula iactantes. „Sed ſpectra (inquit) defunctorum, mortuorumque ſimulacra multi eorum dicunt a plurimis apud ſe mirabilium patratoribus oſtendi: voces item e ſepulcris ad quosdam emiſſas iactitant; quod autem quis ex viris, qui apud ſe vixerunt, & admirationi habiti ſunt, aut ex iis, quos poſt deceſſum deos reputaverunt, tale quidpiam diſcipulis dixerit, nullus eorum affimare audeat." TATIANUS loco, paullo ante citato, eorum refutat errorem, qui exiſtimarunt dæmones, qui hominibus imperant, eſſe hominum animas. Haud abſimilem S. IOANNES *Chryſoſt.* hom. XXVIII. in MATTHÆUM memorat, inceſſitque vulgi opinionem animas mortuorum dæmonas fieri. „Sed quid dicas (inquiunt) de præſtigiatoribus multis, qui captos pueros iugulant, ut animam poſtea ſibi miniſtrantem habeant? Nam quod iugulent, hoc multi dicunt, quod autem cæſorum animæ cum ipſis ſint, unde, quæſo, noſti? Ipſi, inquiunt, dæmoniaci hoc dicunt: *Ego ſum anima illius cuiuspiam.* Verum hæc fraus & fallacia diabolica eſt. Neque enim anima mortui eſt, quæ clamat, ſed dæmon, qui hoc ſimulat, ut auditores decipiat. Nam ſi poſſet anima in dæmonis ſubſtantiam ingredi, multo facilius in corpus ſuum ingrederetur. Præterea quis ratione præditus credere poſſit animam læſam ſe lædenti ſociare? aut hominem poſſe vim incorpoream in alteram mutare *T. II. p. 265.* *T. II. p. 536.*

ſubſtantiam? Nam ſi in corporibus id fieri nequeat, nec quisquam poſſit corpus hominis in corpus aſini mutare, multo magis in anima inviſibili id fieri nequit, nec quis poſſit illam in dæmonis ſubſtantiam vertere. Itaque anicularum ebriarum hæc verba ſunt, & puerorum terricula. Nam *iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*; ſi iuſtorum, etiam quoque puerorum animæ: non enim illæ malæ ſunt; peccatorum autem animæ ſtatim hinc abducuntur. Id palam eſt ex LAZARO & divite; & alibi Chriſtus ait: *Hodie animam tuam repetent a te.* Neque fieri poteſt, ut anima ex corpore egreſſa, hinc erret & vagetur, *neque id iniuria &c.* Vid. hom. II. de LAZARO T. I. p. 727.

Idem vero haud cunctanter fidem adhibuit THEOPHILO *Epheſio* de iam laudato STAGIRIO a dæmone vexato referenti viſum terribile, nocte quadam ei oſtenſum. *Suem enim quemdam*, ipſum STAGIRIUM affatur haud procul ab exordio libri primi, *ferociſſimum maxima vi luti inquinatum in te inſilire iugiter, atque tecum concertare aiebat.* Digna profecto immundo illo ſpiritu forma. Viciſſim autem, ut S. GREGORIUS M. lib. II. Dial. c. 2. *de tentatione carnis* a S. BENEDICTO *ſuperata* refert, in figura nigræ, parvæque avis, quæ vulgo *merula* nominatur, circa eius faciem volitare cœpit. Idem vero S. Pater mox capite quarto, de monacho vagæ mentis ad ſalutem reducto, aſpexiſſe in oratione narratur, *quod eundem monachum, qui in oratione manere non poterat, quidam niger puerulus per veſtimenti fimbriam foras traheret. Quod & poſtea* MAURUS *monachus vidit:* POMPEIANUS *vero eiusdem monaſterii pater videre non poterat.* Ad hanc hiſtoriam haud dubie reſpicit S. BENEDICTUS, dum cap. 43. regulæ cavet, ne monachus tardius ad officium veniens foris ſedeat, vel fabulis vacet, *ne detur occaſio diabolo.* Ad præſens etiam argumentum pertinet, quod cap. 53. hoſpitibus pacis oſculum non prius offerendum velit, *niſi oratione præmiſſa propter illuſiones diabolicas.*

T. I. p. 156.

T. II. pag. 213.

Ib. p. 221.

Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis.

2. Cor. 11, 14.

T. IV. Bibl. PP. p. 645. ſeq.

Ib. p. 651.

XXXIX. Nempe ſicuti ABRAHAM hoſpitio angelos ſuſcepit, ſic ipſe etiam ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis iuxta apoſtolum, ut modo exempla quædam in S. ANTONIO intelleximus: unde & ſuos diſtinctim & accurate commonendos exiſtimavit in orat. ad monachos, ſic demum concludens: „Hocque ſit vobis ad ſecuritatem adverſus illos indicium: cum quædam aderit viſio, ne ſtatim pavore concidas, ſed qualiscunque illa ſit, fidens primum interroga: *Quisnam tu es, & unde?* Tum ſi Sanctorum ſit viſio, certiorem te facient, atque terrorem tuum in gaudium vertent; ſin diabolica illa ſit, ſtatim debilitatur, perſpecta animi firmitate: nam imperterriti animi ſignum eſt, vel ſic interrogare, *Quis tu es, & unde?*

Sio

Sic quadam die *circumiectus luce purpurea, quo facilius claritate adſumti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus* S. MARTINO apparuit, non veritus Chriſtum ſe afferere, ut in eius vita narrat SULPITIUS *Severus* c. 24. *Tum ille*, proſequitur, *revelante ſibi ſpiritu, ut intelligeret, diabolum eſſe, non Deum: Non ſe, inquit, IESUS Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego Chriſtum niſi in eo habitu, formaque, qua paſſus eſt, niſi crucis ſtigmata proferentem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim, ut fumus evanuit, & cellulam tanto fœtore complevit, ut indubia indicia relinqueret, diabolum ſe fuiſſe. Hoc ita geſtum, ut ſupra retulimus, ex ipſius* MARTINI *ore cognovi, ne quis forte exiſtimet fabuloſum.* Hæc SULPITIUS: qui proxime antecedenti capite aliud exemplum affert de CLARO presbytero, qui cum relictis omnibus ſe ad S. MARTINUM contuliſſet, brevi tempore ad ſummum fidei virtutumque omnium culmen enituit. Eum autem decepit quidam ſub nomine ANATOLII monachum mentitus: *procedente tempore, angelos apud ſe loqui dicebat. Poſtremo eouſque proceſſit, ut inter ſe ac Deum angelos diſcurrere prædicaret: quadam nocte inter micantia lumina veſte veluti divinitus indutus comparuit.* Sed mane adducto eo ad S. MARTINUM vir, inter trahentium manus veſtis evanuit., quam CLARO velut divinum munus attuliſſe viſus eſt.

S. MACARIUS in libro *de patientia & diſcretione* c. 13. „Homini virtutis ſtudioſo (ſcribit) multa cura ſatagendum eſt, ut diſcretione polleat, ut quo differentiam boni & mali exploratam habeat, & varias diaboli verſutias, ſoliti per ſpecioſas imaginationes plurimos pervertere, diſcutiat atque intelligat. Siquidem in omni negotio utiliſſimum eſt, ſecuritati conſulere. Ne igitur levitate mentis cito teipſum præbe credulum ſpiritualium poteſtatum impulſibus, ad te decipiendum forte comparatis. Etiamſi, qui loquuntur, cœleſtes ſint angeli. Sed ſta in gradu tardus, examini iſtius generis ſubiiciens exactiſſimo; quod bonum eſt amplectens, quod malum reiiciens. Non enim ignoti ſunt effectus gratiæ, quos peccatum, utcunque boni perſonam aſſimulet, non poteſt repræſentare. Nam etſi ſecundum apoſtolum, Novit ſatanas transfigurare ſe in angelum lucis, tamen licet viſiones offerat ſplendidas, bonam operationem, ut dictum eſt, exhibere non poterit; ex quo certum eius exiſtet indicium &c.“ Referri huc etiam poteſt reſponſio in homilia VII. ad hanc interrogationem §. 3. *Cum peccatum in angelum lucis transformetur, & ſimile ſit gratiæ, quo pacto cognoſcet homo inſidias diaboli? & quo pacto ſuſcipiet, & diſcernet ſemitas gratiæ?* R. „Infinitæ ſunt maligni ſpiritus artes & technæ, quibus decipit, ac decepit ſemper humanum genus ſpecie etiam religionis

T. II. p. 84.

T. I. p. 101.

& pietatis.“ Iam a D. Paulo, ubi dicit, ſatanam transfigurare ſe in angelum lucis, notantur *eiusmodi pſeudoapoſtoli, operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti.* Ad Timotheum ſcribens epiſcopum non vult fieri *neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Et paullo poſt: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus, & doctrinis dæmoniorum.* Quæ perverſitas, & nequitia diabolica, inde a Simone *mago*, eccleſiam infeſtavit primis illis puriſſimis alioqui temporibus: cuius rei apud S. Irenæum & alios, qui de hæreſibus ſcripſerunt, plurima habentur exempla in *Gnoſticis* primum, deinde *Montaniſtis*, etiam officio & præſtigiis mulierum auctoratis. Talis in epiſtola Firmiliani ad S. Cyprianum notatur „quæ in extaſi conſtituta, propheten ſe præferret, & quaſi ſancto Spiritu plena ſic ageret. Ita autem principalium dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem, ac mirabilia quædam & portentoſa perficiens, & facere ſe terram moveri pollicereretur. Non quod dæmoni tanta eſſet poteſtas, aut terram movere, aut elementum concutere iuſſu valeret, ſed quod nonnunquam ſpiritus nequam præſciens & intelligens terræ motum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret.“ Sed ſunt innumeræ fraudes dæmonis & decipiendi humanum genus modi, & periculoſiores plerumque, quo magis ſub ſpecie religionis latent. Id quod S. Augustinum initio converſionis ſuæ perplexum admodum reddidit, ut lib. X. *Confeſſ.* cap. 42. prodit. „Quem (inquit) invenirem, qui me reconciliaret tibi? Ambiendum mihi fuit ad angelos? Qua prece? quibus Sacramentis? Multi conantes ad te redire neque per ſeipſos valentes, ſicut audio, tentaverunt hæc, & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum, & digni habiti ſunt illuſionibus. Elati enim te quærebant doctrinæ faſtu, exercentes potius quam tundentes pectora, & adduxerunt ſibi per ſimilitudinem cordis ſui, conſpirantes & ſocias ſuperbiæ ſuæ poteſtates aeris huius, a quibus per potentias magicas deciperentur, quærentes mediatorem, per quem purgarentur, & non erat. Diabolus enim erat transfigurans ſe in angelum lucis. Et multum illexit ſuperbam carnem, quod carneo corpore ipſe non eſſet.“

2. Cor. 11, 13. 1. Tim. 3, 6. & 4, 1. Epiſt. 75. p. 323. T. I. p. 193 ſeq.

Loca a dæmonibus infeſtata.

XL. Quemadmodum vero, ut ſic mentes occulte pervertat, nihil non molitur malignus, ita etiam dum, Deo permittente licet, ac oportunum eſt, palam aggreditur mille modis & artibus. In vita S. Hilarionis obſervat S. Hieronymus ipſi dæmoni curam fuiſſe prodendi ſanctum virum, humilitatis ſtudio latere cupientem, ſic dum *Siciliam* navigaret, naucleri filius arreptus a dæmone clamare cœpit, & dicere:

„*Hilarion*

Hilarion ſerve Dei, cur nobis per te & in pelago tutos eſſe non licet? Da mihi ſpacium, donec ad terram veniam, ne hic eiectus præcipiter in abyſſum. Cui ille: *Si Deus meus*, ait, *tibi concedit ut maneas, mane. Sin ille te eiicit, quid mihi invidiam facis, homini peccatori, atque mendico?* Hoc autem dicebat, ne nautæ & negociatores, qui in navi erant, ſe quum ad terram perveniſſent, proderent. Nec multo poſt purgatus eſt puer, patre fidem dante, & cæteris, qui aderant, nulli ſe ſuper eius nomine locuturos." Poſtea memorat: „Antiquiſſimi iuxta templi ruinam, ex quo (ut ipſe referebat, & eius diſcipuli teſtantur) tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum voces reſonabant, ut exercitum crederes. Quo ille valde delectatus, quo ſcilicet antagoniſtas haberet in proximo, habitavit ibi per annos quinque." In memoriam hæc revocant, quæ narrat S. GREGORIUS lib. III. Dial. c. 16. de MARTINO monacho de *monte Marſico*, quomodo eum e deſerto, ubi vitam ſolitariam agebat, expellere ſit conatus: „Nam amicam ſibi (inquit) beſtiam, ſerpentem ſcilicet ingreſſus, hunc ab eadem habitatione eiicere facto terrore conatus eſt. Cœpit etenim ſerpens in ſpeluncam venire ſolus cum ſolo, eoque orante, ſe ante illum ſternere, & cum cubante pariter cubare. Sed vir ſanctus omnino imperterritus, eius ori manum vel pedem extendebat, dicens: *Si licentiam accepiſti, ut ferias, ego non prohibeo.* Cumque hoc continue per triennium gereretur, die quadam antiquus hoſtis tanta hac eius fortitutidine victus infremuit, ſeque per devexum montis latus in præcipitium ſerpens dedit, omniaque arbuſta loci illius flamma ex ſe exeunte concremavit." S. MARTINUS horribile in atrio domus cuiusdam dæmonium offendit, teſte SULPITIO in eius vita cap. 17. „Cui cum, ut diſcederet, imperaret, quemdam e familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit; ſævire dentibus miſer cœpit, & obvios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam verſus. MARTINUS ſe furenti obiecit, ac primum ſtare ei imperat. Sedcum dentibus fremeret, hiantique ore morſum minaretur, digitos ei MARTINUS in os intulit: *Si habes*, inquit, *aliquid poteſtatis, hos devora.*

T. II. pag. 316.

Paullo ante memoravimus, quæ in vita S. GREGORII *Taumaturgi* S. GREGORIUS *Niſſænus* narrat de balneis a dæmonibus infeſtatis, ita, ut nemo illorum, qui noctu intraſſet, mane vivus exiret, præter S. GREGORII diaconum, qui ſigno crucis munitus, ingreſſus pernoctavit immunis. Viderint, qui illa omnia incenſæ forte materiæ ſulphureæ, nulla accedente dæmonis opera, ita contingere potuiſſe ſibi perſuadent. Nobis hic ſatis eſt, antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta dare. Add. quæ S. AUGUSTINUS lib. XXII. *de Civ. Dei* c. 8. narrat de HESPERII cuiusdam viri tribuni-

T. VII. pag. 666.

tii

tii domo a ſpiritibus malignis vim noxiam perpeſſa *cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum.* S. GREGORIUS M. item lib. III. Dial. c. 4. de DATIO *Mediolanenſi* epiſcopo, *Corinthi* hoſpitium ſibi eligente in domo, quam *ſpiritus malignus invaſit, & ab ea hominum habitationem repulit.* Et IOANNES diaconus in vita S. GREGORII lib. IV. c. 93. defuncto *Barbiliano*: „Hunc (ſcribit) propter incolarum ſcelera plurimum infeſtabat dæmon; atque in forma ferocientis tauri nunc oves inſectabatur & fatigabat: nunc gregum atque armentorum cuſtodibus graves moleſtias afferebat, ut etiam quidam ipſorum propter moleſtias ſolum mutare coacti ſint.“ Vid. Benedictio aquæ ſpargendæ in domo lib. III. Sacrament *Gelaſ.* n. 75. 76. T. VI. opp. V. *Thomaſ.* p. 208. 209. 210. Item Sacrament.. *Gregor.* T. III. p. 234. Eccleſia aliis etiam publicis precum formulis nos contra huiusmodi infeſtationes munit e. g. benedictione candelarum, quæ extat in miſſali *Romano*, ut *talem benedictionem ſignaculo ſanctæ crucis accipiant, ut quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant amplius inquietare aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo.*

T. II. p. 285.

Dæmones aereæ poteſtates. *Epheſ.* 2, 2.

XLI. Nullibi vero magis infeſtum crediderunt veteres quam aereæ regioni inquilinum veluti diabolum, atque iuxta apoſtolum *principem poteſtatum aeris huius:* cuius & naturæ eſſe dæmones plerique veterum Patrum exiſtimarunt, aut ſaltem in aere eſſe ei domicilium. Explodit veluti in exhortatione ad martyrium n. 45. ORIGENES, eos, qui *non perſpecta dæmonum natura ignorantesque eos, ut in denſo hoc aere, qui terram ambit, commorentur, ſuffituum indigere alimento* dubitabant a) *Cum*, ut concludit, *absque ſuffitibus & nutrimentis, quæ eorum corporibus congrua putantur, ſubſiſtere non poſſent.* S. ANTONIUS in ſæpe laudata oratione locum apoſtoli ad *Epheſ.* VI. 12. de colluctatione, quæ nobis eſt *adverſus principatus & poteſtates mundi rectores tenebrarum harum, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœlo* præ oculis habens „Magna illorum (inquit) turba in aere nobis proximo eſt, neque procul a nobis ſunt: magna quoque inter illos eſt diſcrepantia. De quorum natura & differentia multa dici poſſent, ab aliis, nobis præſtantioribus pertractanda.“ Epiſtola XX. iterum *ſpiritus malos in aere conſiſtentes* appellat. Iuxta S. HIERONYMUM lib. III. in idem cap. 6. Epiſt. ad *Epheſ. Hæc omnium doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui cœlum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus*

T. I. p. 302.

a

T. IV. Bibl. PP. p. 636.

pag. 400.

a) De LA RUE plura in eandem ſententiam profert antiquiſſimorum ſcriptorum teſtimonia, dæmones indigere cibo, delectarique ſuffitibus, ac nidoribus.

nus sit contrariis fortitudinibus. S. IOANNES *Chrysost.* in eundem locum Hom. IV. putat, nihil amisisse dæmones de priori, quod a Deo acceperant, in aerem imperio. S. AUGUSTINO passim de sublimi habitatione cœlorum & apparatu superiorum angelorum lapsus diabolus cum angelis suis ad hunc aerem ceu ad carcerem damnatus dicitur. Tum in libro de Divinatione „Quod vero (inquit) non solum dæmones quædam futura prædicunt, verum etiam quædam mira faciunt, pro ipsa utique sui corporis excellentia, cur non contemnatur a prudentibus: cum plerumque iniqui ac perditi homines ita exerceant corpora sua, tantaque diversis artibus possint, ut ea, qui hæc nesciunt, nec aliquando viderunt, etiam narrata vix credant?“ Expensoque funambulorum, cæterorumque theatricorum artificum exemplo, *quanto maiora*, concludit, *& mirabiliora pro subtilissimi corporis, id est aerii facultate ac facilitate dæmones possint, cum tamen sint voluntatis pravitate, maximeque superbiæ fastu & invidentiæ malitia spiritus immundi atque perversi. Quantum autem valeat aeris elementum, quo eorum corpora prævalent, ad multa visibilia invisibiliter molienda, movenda, mutanda atque versanda, longum est nunc demonstrare, & puto, quod mediocriter consideranti facile occurrat.* S. PETRUS *Chrysol.* dæmones aereos esse supponens, quanta inde suapte nocendi fallendique facilitate ac promptitudine polleant serm. LII. *de damonio surdo & muto curato*, distinctim exponit: „Cum (inquit) tenuis & aerea natura carnem nesciat, refutet ossa, velut aura spirans orbem totum temporis transeat in momento: diversas species assumat, varias mutetur in formas, corda penetret, illudat animabus, inspiret impias & turpissimas cogitationes, nec unde veniat, aut quo redeat, sentiatur: ac sic innocuas mentes, velut iaculum volans, lethali vulnere, & tota facilitate transverberet &c.“

T. VI. pag. 509.

pag. 82.

Non abs re erit hic, quæ S. ATHANASIUS in vita S. ANTONII narrat, adscribere: „Cum aliquando comesturus esset, ubi oraturus surrexisset circa nonam horam, se se mente abripi sensit, quodque prorsus stupendum est, cum staret, se se vidit tamquam extra se positum, & per aerem a quibusdam abductum. Exinde terribiles tetrosque nonnullos vidit in aere stantes, qui transitum eius intercludere volebant. Obsistentibus iis, qui illum adducebant, postulare illi, num obnoxius ipsis esset: cumque rationes ab eius nativitate exposcerent, id ANTONII duces prohibuere, aiebantque: *Culpas eius omnes a nativitate delevit Dominus*: ex quo autem tempore monachus effectus est, & se se Deo consecravit, liceat rationes ducere. Cum igitur accusarent, nec probare possent, libera illi ac minime intercluſa via fuit: statimque seipsum quasi reversum vidit, & intra se stantem, atque omnino ANTONIUM ut ante. Tunc cibi sumendi immemor, residuum

T. I. P. II. n. 65. p. 843.

illius diei, atque totam noctem gemendo precandoque transegit. Obstupefactus enim erat, cum videret, quot nobis essent adversarii, quantisque laboribus aer iste pertransitur. Recordatusque est idipsum esse, quod ait apostolus: *Secundum principem potestatis aeris. Ephes.* II. 2. Hæc enim est inimici potestas, pugnare scilicet, atque pro virili viam transeuntibus intercludere. Quapropter hortabatur: *Ephes.* VI. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo;* ut inimicus nihil habens malum dicere de nobis confundatur."

Ac meteora producere possint?

XLII. Ecclesia nos munit contra aereas potestates in solemni campanarum benedictione orans, ut *procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter & moderate suspensa, prosternat aereas potestates dextera tuæ virtutis, ut hoc audientes tintinnabulum contremiscant, & fugiant ante sanctæ crucis Filii tui in eo depictum vexillum.* Passim equidem sacræ scripturæ, a) atque ad eius ductum SS. PP. omnis generis mala malignis attribuunt spiritibus. Habent mala physica suum etiam ordinem fatalem a Deo ob peccata nostra. Hinc Clemens *Alexand.* de aeris perturbationibus, aliisque eiuscemodi utramque attingens causam „Porro autem (inquit lib. VI. *Stromatum*) dicunt aliqui pestilentias & grandines, & procellas, & quæ sunt his similia, non ex sola perturbatione materiali, sed etiam ex aliqua dæmonum, aut angelorum non bonorum ira fieri solere." Plus Origenes: „Si vero (inquit) proferendum est libere, quænam sint horum opera, dicemus fames & sterilitates vinetorum ac arborum, siccitatesque nimias lædendis frugibus, interdum etiam pestilentiam sævientem tum in bruta tum in hominibus. Hæc omnia dæmonum opera sunt, seu carnificum, iudicio quodam divino potestatem hanc habentium certis temporibus." Licet autem eos magis insidias struere ruinæ animarum dubium nemini esse debeat; perinde tamen corporalibus etiam infligendis malis, si id permittantur, intentos esse, odium erga creaturas Dei implacabile ambigere non sinit. In antiquissimo sacramentario *Gelas.* lib. III. n. 78. extat *bened. aquæ exorciz. ad fulgura, ad effugandos erraticos spiritus omnemque nefariam vim diaboli pellendam, & omnes figuras & minas phantasmatis satanæ exterminandas, & fulgura & sidera, quæ missa videntur in hanc arborem &c.* Prostat Iobi exemplum, dum ex speciali permissione *ignis Dei cecidit e cælo, & tactas oves, puerosque consumpsit.*

a

Lib. VIII contra Cels. T. I. pag. 765.

Iob. 1, 16.

Proclive

a) Corporum ægritudines (inquit R. Abbas Calmet differt. *in bonos & malos angelos*, mortem, & totam illam malorum cohortem, quæ miseros homines comitantur, uti procellas, sterilitatem, bella dæmoni auctori tribuit scriptura.

Proclive fuit Chriſtianos edoctos, dæmones eſſe, quos gentiles coluerunt deos, *Iovem* e. g. Tonantem eiusque omnes effectus, etiam naturales dæmonibus adſcribere, quæ opinio alte vulgi præſertim animis inſedit, ut id etiam a dæmonibus ad inſtigationem hominum malignorum arte magica fieri exiſtimarent promiſcue, unde ineunte ſæculo IX. S. AGOBARDUS epiſcopus *Lugdunenſis* occaſionem arripuit peculiari libro *de grandine & tonitruis* ſcribendi, ita præfatus: „In his regionibus pœne omnes homines nobiles, & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes & iuvenes putant grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri, dicunt enim mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, aura levatica eſt. Interrogati vero, quid ſit aura levatica, alii cum verecundia parum remordente conſcientia; alii autem confidenter confirmant incantationibus hominum, qui dicuntur tempeſtarii, eſſe levatam, & ideo dici levaticam auram.“ Non potuit non res hæc falſis ſuſpicionibus, detractionibusque locum dare, unde etiam in lib. *Pœnit.* BURCHARDI c. 19. eiuscemodi legitur: „Credidiſti unquam vel particeps fuiſti iſtius perfidiæ, ut incantatores, & qui ſe dicunt tempeſtatum immiſſores eſſe, poſſint per incantationes dæmonum, aut tempeſtates commovere, aut mentes hominum mutare? Si credidiſti, aut particeps fuiſti, annum unum per legitimas ferias pœniteas.“

Hoc tamen non obſtante diu poſtea S. THOMAS, eoque duce theologorum caterva docuit, pluviam & ventos, & quæcumque ſolo motu locali fiunt, poſſe cauſari a dæmonibus, tum alibi cum etiam in IOB lect. 3. ac nuper BENEDICTUS XIV. admittit, poſſe angelos etiam malos naturali ſua virtute ignem ex ſuperiori aeris regione demittere: poſſe etiam vehementiſſimos ventos excitare, quibus maxima hominibus damna inferantur. Eoque etiam faciunt, quæ idem Pontifex in alio opere, nempe *Inſtitut. eccleſ.* 47. p. 341. de uſu campanarum contra tempeſtates ediſſeruit. Ex ſententia porro *Frid.* HOFFMANNI iam alias laudati in diſs. *de diaboli potentia in corpora* „cum imperium & dominatum habeat in aerem, non negari poterit, quod & ventum, qui non niſi motus aeris eſt, & fulmina, pluvias, grandines, aliasque tempeſtates ciere poſſit, quibus vegetabilibus, & frugibus noceat.“ Quin imo generari inſecta in aere a dæmonibus poſſe non dubitat, atque ſæpenumero inſolitas, & pœne extraordinarias temporum mutationes diabolum cauſare abſurdum haud putat, nec demum exiſtimat errorem commiſſum iri, ſi quis peſtis ipſius primam cauſam ſæpius in ipſum diabolum, varie agentem in aere, refundere velit. Ibid. § XV.

1. 2. q. 80.

Lib. IV. de Canoniz. SS. P. I. c. 3. n. 4.

T. V. Opp. p. 99.

Id vero paradoxum magis eſt, quod *Io. Frid.* TELLER inter Proteſtantes haud ignobilis nominis in *Lexici Novi Teſt.* parte prima, quæ prodiit

hoc ipso anno 1775. voc. *Erbeben* motum illum magnum factum in mari, dormiente in navicula Christo, *Matth.* VIII. 24. (quæ apud *Luc.* VIII. 23. dicitur procella venti) diaboli operæ tribuat. a)

a

Deo permittente, corporis valetudinem vitiant, morbis aliisque malis, *Iob* 2,5. *seq.* *T. II. pag.* 256.

XLIII. Non contentus diabolus Iob suos, suaque omnia, sola ad contumeliam illusionemque relicta uxore, rapuisse, vastasseque instigatione hostium immissoque igne cœlesti, petit etiam a Deo obtinetque, tangi *os eius & carnem . . . Egressus igitur satan a facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem.* Ea vero omnia expendens S. Ioannes *Chrysost.* Homilia I. *dæmones non gubernare mundum*, postquam in eo deprædicasset divinam clementiam, quod obsessos seu dæmoniacos non penitus permittat diaboli rabiei, neque omni sua potestate uti concedat. „ Vis etiam (subdit) & altero rursus exemplo conspicere, qua ratione dæmon gubernet, cum a Deo illi permittitur, ut potestatem suam exerceat? Veniant tibi in mentem armenta & greges Iob, quo pacto uno temporis momento cuncta assumserit miserabilis liberorum eius mors, inflicta corpori eius plaga: & crudelitatem, inhumanitatem ac sævitiam nequitiæ dæmonum intuebere, atque inde manifeste cognosces, si hoc etiam universum Deus illorum permitteret potestati, futurum ut cuncta confunderent, & turbarent, & ita nos tractarent, ut porcos & armenta illa, sicut ne exiguo quidem temporis momento saluti nostræ possent parcere. Si dæmones gubernarent, nihilo meliori essemus in statu, quam dæmoniaci: imo vero deteriori in statu, quam illi.“ Ita etiam post eum Theophylactus exemplum *Corinthii*, quem Paulus 1.*Cor.* V. tradidit sathanæ, ut spiritus salvus sit, accipit, ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis illum macerari a diabolo, ut caro eius dometur, & humiliatus resipiscat.

In sæpe citatis libris ad Stagirium a dæmone vexatum usque adeo, ut in desperatas sibi mortem conscifcendi cogitationes interdum veniret, mœroreque & tristitia contabescceret: hanc S. Chrysostomus omni obsessione diabolica potentiorem esse ad nocendum iudicat mœroris magnitudinem. Confentit plane nostris temporibus *Io. Ios.* Gassner, episcopo *Ratisbon.* a Sacris, supra laudatus, qui in plerisque morbis, præsertim epidemicis quandam vexationem diabolicam agnoscit, auctoritate usus S. Augu-

pag. 224.

stini,

a) „ Dieses *Erbeben* war wohl eine geheime Wirkung des Satans, welcher jezo Iesum am rechten Ort zu haben glaubte. Mit dieser Meynung stimmt sehr gut, dass Lucas dafür nach dem Griechischen sagt, *es fuhr ein Windwirbel hernieder*, Luc. 8, 23. vergl. 10, 18. und die folgenden Redarten: *Er bedräuete dem Winde*; oder, wie Marcus sagt: *Er sprach zu dem Meere: Schweig und verstumme!* vielleicht expostulirte der Satan, wie anderwärts: *Warum bist du gekommen uns zu quälen ehe dann es Zeit ist*; und endlich das gehorsam seyn: weil jene Redarten sonst für die Evangelische und historische Schreibart zu poetisch scheinen.“

STINI, qui Enarratione in Pſalm. CXXX. in exemplum adducens D. PAULUM 1. *Cor.* XII. 7. de quo ſupra n. 17. „Ne extolleretur (inquit) tanquam iuvenis, colaphizabatur tanquam puer. Et a quo? ab angelis ſatanæ. Quid eſt hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer: dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis ſatanæ; ſed hoc non poſſunt, niſi permiſſi. Nam & IOB ſanctus ſic probatus eſt. Permiſſus eſt ad eum probandum ſatanas, & percuſſit eum vulnere, ut vermibus putreſceret. Immundus enim permittebatur, ſed ſanitas probabatur. Neſcit diabolus, quanta bona de illo fiant, etiam cum ſævit." *T. IV. pag.* 1465.

Quæ cum ita ſint paratragœdiandum non uſque eo eſt, ut *Manichæiſmi* revocandi ſuſpicio, ſeu calumnia ingeratur, dum (ut proſtant exempla in veteri & novo teſtamento, ac deinceps vel in ipſis dæmoniacis) conceditur dæmoni poteſtas affligendi, Deo id iuſtis quidem ex cauſis permittente, corpus; cum anima plus ſit quam corpus, quam continuo infeſtari a dæmone, nemo negat: graviusque longe in hac animæ infeſtatione eſt periculum, quam in quibuscunque aliis tum corporis, cum aliarum quarumcunque rerum & facultatum terrenarum, quod tentationum genus cumulatum IOB tantæ ceſſit gloriæ: & ſicut alterum illud in corpore qualecunque fuerit, PAULUM periculo exemit, ne magnitudine revelationum extolleretur, ita cuique afflictiones corporales ſalutares cumprimis eſſe poſſunt, nunquam autem immeritæ: „Si ergo chariſſimi (pergit S. AUGUSTINUS expenſo PAULI exemplo cit. loc n. 8.) potuit PAULUS apoſtolus extolli magnitudine revelationum, niſi acciperet angelum ſatanæ, qui ſe colaphizaret, quis de ſe poſſit eſſe ſecurus?" *pag.* 1466. Cum vero in vexationibus corporalibus malum ipſum ſit remedium mali multo maioris animæ, ut palam fit exemplo *Corinthiaci*, eorumque, quos PAULUS tradidit ſatanæ, ut diſcerent non blaſphemare, quis Dei bonitatem deſideret, ſi etiam vexationes huiusmodi frequentiores eſſe dicantur, quod alibi idem S. Doctor admittit, in libro nimirum *de divinatione dæmonum*: „Accipiunt enim ſæpe poteſtatem & morbos immittere, & ipſum aerem vitiando morbidum reddere." *T. VI. pag.* 509.

Imprimis huc facit exemplum lunatici: „Cui (ut in locum illum MATTHÆI ORIGENES commentatur tomo 13. n. 6.) a ſpiritu aliquo immundo & ſurdo & muto vertigo & tenebræ offunduntur, ab eoque affligitur, & quamobrem morbus ille a magna illa cœleſti, & a ſole altera lampade nomen traxit, quam conſtituit Deus, ut præeſſet nocti. De rerum ergo natura diſputent medici, quippe quibus perſuaſum ſit, ſpiritum impurum minime hic eſſe, ſed morbum corpori duntaxat, ac diſputantes dicant per quemdam cum lunari lumine, quod humida præditum eſt natura, conſenſum & convenientiam, humores in capite moveri; nos autem, qui mor- *Matth.* 17. *Marc.* & *Luc.* 9. *T. III. Opp. p.* 577.

bum hunc in ægris a ſpiritu immundo, muto, & ſurdo genitum videri evangelio credimus, & iis, qui eo prope modo, quo *Ægyptii* incantatores ſanationem promittere more illorum ſoliti ſunt, feliciter ſucceſſiſſe, credi inter ipſos videmus, ne anſam præbeamus Dei operibus ita calumniandi, ut iniquitatem in excelſo loquantur, & ponant in cœlum os ſuum, dicemus ſpiritum hunc impurum certas lunæ figuras obſervare, atque ita operari, ut cum obſervatum fuerit ſub tali lunæ figura affici homines, non mutus & ſurdus dæmon tanti mali cauſam habere videatur, ſed magna illa cœleſtis fax, quæ conſtituta eſt, ut nocti præſit, neque ullum habet morbi huius inter homines imperium." Hæc nimis generaliter ORIGENES, nec aliter mox de aliorum ſiderum configurationibus loquitur contra *Genethliacos* diſputans. S. ATHANASIUS vero in Fragm. Comment. in MATTHÆUM rem adhuc pluribus explicat, atque ex ſcripturis demonſtrandum ſibi ſuſcipit, *lunam non eſſe inſaniæ cauſam; ſed malignum doloſumque diabolum.* „Ipſe namque inter malignos artifices annumeratur; & cum non poſſit alia ratione rèbus conditis Numinis ſpeciem affingere, vel homines ad idolorum fictionem compellere, obſervat neomeniam lunæ; & cum ad quintum diem pervenerit, tunc procurat, ut epilepticus clamet, ſpumas efferat, ſeſe in ignem coniiciat, aut in aqua, ut eius parentes aut fratres, inconſanguinei cogantur lunam adorare, rati ipſam puero dæmonium miſiſſe."

T. V. Bibl. PP. p. 186.

S. IOANNES *Chryſoſt.* in *Matth.* IX. 32. de homine muto dæmonium habente „Non enim (inquit) morbus ex natura prodierat, ſed ex dæmonis inſidiis. Quapropter aliis, qui ipſum adducerent, opus habuit. Neque enim ipſe rogare poterat, mutus cum eſſet, neque aliis ſupplicare, cum dæmon linguam eius alligaſſet." Ex eodem S. CHRYSOSTOMO ſupra de lunaticis evangelicis locum, ubi de obſeſſis egimus, attulimus. Eum ſequuntur THEOPHYLACTUS, EUTHYMIUS & alii; ORIGENIS vero ſententiam, ut alias etiam S. HIERONYMUS ex *Latinis* in cap. V. MATTHÆI, ubi Chriſtus lunaticos & paralyticos curaſſe dicitur, ſic ad orbitam revocat: *Non vere lunaticos; ſed qui vocabantur lunatici ob dæmonum fallaciam, qui obſervantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blaſphemiæ redundarent.* Quæ iterum ad cap. XVII. lib. III. c. 18. repetit S. PETRUS *Chryſologus* vero id in hoc exemplo ſpectat, quod ſurdus & mutus (ut *Matth.* XII. 22. cæcus & mutus, quem Chriſtus curavit, ut loqueretur & videret) nobis oſtendat diabolum aures & linguam ligare, ne mali patente origine ad ſalutare remedium accurratur: „Antiquus refuga (inquit) ubi Deum terris reperit adveniſſe, obſtruxit aures hominum, vinxit linguam, & obſeratis humani ſenſus foribus ſpeluncæ ſuæ latebram pectus

T. VII. pag. 366.

T. IV. p. 14.

pag. 79.

Matth. 17. Marc. & Luc. 9.

Serm. LII. pag. 82.

pectus fecit, & paravit humanum; æstimans, quod illuc auditus verbi, virtus divini nominis non veniret: simul ut est dolosus, & callidus, patrem capere parentesque tali se credidit decipere figmento, ut desperarent curari posse eum, qui audire nec poterat, nec fari; & ut, quod erat diabolici operis, esse crederent debilitatis humanæ, deputarent pignori, adscriberent naturæ, quod intulerat hostis incluſus." ORIGENES c. 18. *Matth.* de eodem lunatico exceptionem huiusmodi medicorum prævertens „Medici (inquit) loquuntur, quæ volunt, nos autem qui evangelio credimus, dicemus hanc passionem immundum spiritum operari." LACTANTIUS div. institut. lib. II. c. 15. rationem ex ipsa eorum perversa repetit natura: „Hi, ut dico, spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent: adhærent enim singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant, ac sibi geniorum nomen assumunt: sic enim latino sermone dæmonas interpretantur. . . Qui quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occulte in visceribus operati, valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere."

Duo ad rem habet B. THEODORETUS specimina in historia religiosa in MACEDONIO primum de uxore divitis cuiusdam, edacitatis morbo laborante: „Et morbum hunc (ait) quidam dæmonis operam, alii corporis infirmitatem arbitrabantur. Sive hoc autem, sive illud fuit, eiusmodi erat, ut triginta singulis diebus gallinas cum ederet, aviditatem non expleret, sed alias porro appeteret. Cum sic opes suas consumeret, miserti eius propinqui divini illius hominis opem implorant. Venit ille, Deumque precatus, & dexteram aquæ imponens, ac signum crucis effingens, bibere iussit, & morbum sanavit, atque immoderatam appetentiam ita repressit, ut illi deinceps ad victum in singulos dies exigua gallinæ particula sufficeret. Et hic quidem morbus hoc modo curatus est." *T. III. pag.* 837.

Sic eodem paullo post narrante „Nobilis quædam ac prædives femina, ASTRIUM nomine mentis impos facta, sic ut suorum neminem agnosceret, cibumque ac potum omnem respueret, longo iam tempore in hoc delirio perseverabat: quod quidem alii dæmonis operæ tribuebant, medici vero cerebri morbum appellabant. Quare omni arte consumta, cum auxilium inde nullum existeret, vir eius AVODINUS magistratu & dignitate clarus ad divinum illud caput profectus, & coniugis calamitatem exposuit, & remedium expetiit. Cessit homo Dei, eiusque domum venit, & Deum magna contentione precatus est. Peracta oratione aquam adferri cum iussisset, eique salutare signum *pag.* 838. *seq.*

num

num impreſſiſſet, bibere illam iuſſit. Reclamantibus medicis, quaſi frigido potu hic morbus augeretur, maritus, tota illorum turba expulſa, uxori potionem præbuit, & illa, ut ebibit, ad ſe mox rediit, mentisque compos facta & a morbo prorſus libera ſanctum virum agnovit, eiusque dextram ſupplex apprehendens oculis ſuis impoſuit, & ori admovit & ſana mente in poſterum potita eſt." Qualiscunque vero hæc ægritudo fuerit, in memoriam revocat opinionum diverſitas mulierem, de qua *Luc.* XIII. 11. *quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.* Quis dubitet *ſpiritum* hunc *infirmitatis* a medicis pro morbo naturali habitum fuiſſe; at invidia calumniaque archiſynagogi indignantis, quod eam Chriſtus ſabbato curaſſet, veritatem detegit: *Hanc autem*, excuſat ſe Chriſtus, *filiam Abrahæ, quam alligavit ſatanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolvi a vinculo iſto die ſabathi.* Supra notavimus ſingulares vitiorum ſpiritus ex Patribus, hic vero ipſum nobis evangelium prodit *ſpiritum infirmitatis.* Et quis perſpectum habet, quam longe lateque graſſetur, cum in animam tantam malignus exerceat tyrannidem? ut etiam millies ſi abigatur, non laſſeſcat, aut deſiſtat. Vid. S. CYPRIAN. *de idol. van.* p. 10. paullo poſt pag. 111.

Verbera, vulnera inflixerunt,

XLIV. De exorciſtis *Iudeis* filiis SCEVÆ, principis ſacerdotis Act. XIX. 13. &c. legitur, *Inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Locus D. PAULI I. *Cor.* V. 5. *Corinthii* ſatanæ traditi de obſeſſione, plaga, morbo, ipſaque morte a *Græcis* potiſſimum Patribus accipitur: itemque qui ipſimet PAULO datus eſt σκόλοψ τῇ σαρκὶ ἄγγελος σατᾶν, ἵνα με κολαφίζῃ, de flagello, paxillo, fuſe, id eſt verberibus quibus cæſus ſit, a nonnullis intelligitur. Proſtantque exempla quædam plagis exceptorum a dæmonibus virorum ſanctiſſimorum: Et quidem S. ANTONIUS, ut iam ex S. ATHANASIO memini „ flagellatus atque confoſſus ſentiebat quidem aſperiores corporis dolores, ſed imperterritus durabat mente pervigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, ſenſu tamen idem permanens, quaſi de inimicis luderet, loquebatur. Si virium (aiebat) aliquid haberetis, ſufficeret unus ad prælium, ſed quoniam Domino vos enervante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores. Rurſusque confidens dicebat, ſi quid valetis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus dedit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum; ſi vero non poteſtis, cur fruſtra mitimini?" Habemus autem S ANTONII de ſeipſo teſtimonium *plerumque* ſe *plagis* conciſum eſſe a dæmone; de S. HILARIONE item *T. IV. p. 76.* S. HIERONYMUS edidit, inſiliiſſe dorſo eius orantis (dum *abducta ab oratione mens,*

mens, neſcio quid aliud cogitabat) agitatorem dæmonem & *latera calcibus, cervicem flagello* verberantem. Paullo poſt perhibetur „Auriga quoque *Gazenſis* in curru percuſſus a dæmone, totus obriguiſſe, ita ut nec manum agitare, nec cervicem poſſet reflectere. Delatus ergo (pergit S. HIERONYMUS) in lecto, quum ſolum linguam moveret ad preces, audit non prius poſſe ſanari, quam crederet in IESUM, & ſe ſponderet arti priſtinæ renuntiaturum. Credidit, ſpopondit, *ſanatus eſt*: magis de animæ, quam de corporis ſalute exultavit.“ Adde quæ mox de ORIONE, viro primario urbis *Ailæ* dixerat, integra dæmonum legione obſeſſo: qui ad ſanctum virum adductus *erupit de manibus ſe tenentium, & amplexus eum poſt tergum, in ſublime levavit.* *Ibid. p. 79.*

Iam etiam narravimus ex SULPITIO *Severo*, diaboſum quodam tempore, cornu bovis cruentum in manu tenentem cum ingenti fremitu cellulam *S. Martini* irrupiſſe, cruenta dextra ex admiſſo recens ſcelere in ruſticum quemdam mercede conductum, ut vehiculo ligna deferret haud longe a monaſterio, qui *iam pæne exanimis* inventus, *extremum ſpiritum trahens indicat fratribus caſum mortis & vulneris: iunctis ſcilicet bobus, dum diſſoluta arctius conſtringit, bovem ſibi excuſſo capite inter inguina cornu ieciſſe.* Nec multo poſt vitam reddidit. Sanctum etiam MACARIUM aliquando quidem gladio petere auſus eſt dæmon, ut in eius apophtheg. legitur his verbis: „Alia iterum vice dæmon inſurrexit adverſus abbatem MACARIUM cum gladiolo, volens pedem eius amputare; ſed cum propter humilitatem ipſius non poſſet, dixit ei: *Quæcunque habetis, habemus etiam nos: ſola humilitate a nobis differtis, & prævaletis.*“ S. GREGORIUS *Turonenſis de vit. Patr.* cap. 1. refert LUPICINUM atque ROMANUM iuvenes adhuc inter deſerti ſecreta, quotieſcunque ad orandum Dominum genua flexiſſent, iacientibus dæmonibus imbre lapidum obrutos eſſe, ita ut ſæpe vulnerati immenſis dolorum cruciatibus torquerentur. „Ceſſit immatura ætas (pergit) inſultibus, & relinguentes habitaculum domum cuiusdam pauperis ingrediuntur. Narrant mulieri, ſe non ſine confuſione reliquiſſe eremum, & eius cauſam exponunt: ſed oportuerat, ait illa, contra inſidias diaboli viriliter dimicare, nec formidare eius inimicitias, qui ſæpius ab amicis Dei ſuperatus occubuit. Illi corde compuncti, quod propoſitum ſuum dimiſerint, & crucis vexillo armati regreſſi ſunt ad eremum, & licet iterum a dæmonibus lapidibus urgerentur, perſiſtentes in oratione, remota tandem tentatione, in Dei famulatu perſtiterunt.“ *De vita S. Martini c. 21.* *pag. 1146.*

Alii etiam Sancti, quos inter GUILIELMUS *Stabuli Rodis* abbas, & S. FRANCISCUS *de Paula* perſæpe a dæmonibus dire vapulaſſe perhibentur, ut apud BOLLANDUM videre eſt T. I. *Ianuarii* p. 96. 895. T. I. *April.* p. 368.

Mortem ipsam.

XLV. De SARA, filia RAGUELIS legitur *Tob.* III. 8. *quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam.* Timenti ergo TOBIÆ, ne forte & sibi hæc eveniant, angelus RAPHAEL ita consulit: *Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem, cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea: & nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmon.* De IOBI familia rem iterum commemoro, ut singularis permissionis divinæ exemplum ingeratur.

Tob. 6, 16. *seq.*

Cap. 57. *pag.* 305.

Teste TERTULLIANO in libro de Anima *pluribus notum est, dæmoniorum quoque opera, & immaturas & atroces affici mortes, quas incursibus deputant.* S. CYPRIANUS in libro *de Lapsis* de femina regenerata in balneis constituta: „Hoc enim (inquit) crimini eius & malis deerat, ut & ad balneas statim pergeret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidisset, illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie, vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumtus est, in perniciem suam rabies oris armata est. Ipsa sui carnifex extitit, nec diu superesse postmodum potuit; doloribus ventris & viscerum cruciata defecit.“ Sequuntur alia exempla exanimationis quidem in infante, mortis vero item alterum in adulta. Iam memoravimus ex S. GREGORIO *Nissæno* in vita S. GREGORII *Taumaturgi*, dæmonem quemdam homicidam in balneo versari solitum; cuius pestifera vis post tenebras exercebatur adversus eos, qui accedebant; ita ut *nemo eorum, qui unquam illa hora aquam ingredi ausi essent, inter vivos postea apparuisset.* Quibus accedit funestum admodum apud S. GREGORIUM lib. I. Dial. c. 10. quærente enim dæmone, qui a S. FORTUNATO fuerat excussus, seu expulsus, alium, quem obsideat, *quidam in hospitio cum uxore sua & parvulo filio ad prunas sedebat, qui vocem eius audiens, & quid episcopus ei fecerit requirens, hunc invitavit hospitio, sedere secum iuxta prunas fecit. Cumque vicissim aliqua confabularentur, parvulum eius filium idem malignus spiritus invasit, atque in easdem prunas proiecit, ibique mox eius animam excussit.* CÆSARIUS a quodam abbate sibi relatum refert, hominem quemdam iratum dixisse filio suo: *Vade diabole*; quem mox diabolus rapuerit; & nusquam comparuerit. Sed mitto alia ab eodem, aliisque sequiore ævo innumera huiuscemodi tragica enarrata, quorum vero ego haud præstem fidem.

pag. 94.

N. 26. *T. III. Bibl. PP.* 464. 465.

T. II. pag. 196. *Add. L. II. c.* 11. *Cæsar. Heisterbac. de mirac. lib. V. c.* 12.

S. Hi-

S. HILARION & in Bactro camelo *enormis magnitudinis, qui iam multos obtriverat*, diabolum agnovit. *Docebat autem senex*, pergit in eius vita S. HIERONYMUS, *hominum causſa diabolum etiam iumenta corripere: & tanto eorum ardere odio, ut non ſolum ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiusque rei proponebat exemplum, quod antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit.* Hæc ille. Paſſim vero SS. Patres ad fidem hiſtoriæ B. IOB id adſtruunt, ſi permitteretur, brevi totum genus humanum internecione diabolum deleturum. Unum ex multis S. CHRYSOSTOMI locum ex hom. I. *Dæmones non gubernare mundum*, paullo ante retuli, ubi dicit, ſi permitterentur dæmones, *ita nos tractarent, ut porcos & armenta illa, ſic ut exiguo quidem temporis momento ſaluti noſtræ poſſent parcere.* T. IV. p. 82. T. II. pag. 256.

Eodem uſus porcorum exemplo, tum vero ex evangelio Io. VIII. 44. diabolum homicidam notans contra eos, qui ad incantamenta, veneficia ac præſtigias recurrunt lib. VIII. adverſus *Iudæos*: „Cum enim (inquit) Deus dicat, homicida eſt, iſti vero dicant, poteſt curare morbos, nimirum repugnantes ſententiæ divinæ: tu vero recipias horum maleficia illa, & incantamenta, nihil aliud ipſis factis tuis iudicas, quam iſtorum verbis potius habendam fidem, quam Chriſti: licet verbis id non dicas. Quodſi diabolus homicida eſt; manifeſtum eſt, quod illi ſervientes dæmones ſunt. Et hoc quoque te ipſis factis docuit Chriſtus, qui permiſit illos irruere in illum gregem porcorum, quem univerſum in mare præcipitarunt: ut intelligeres, quod eadem facturi fuerint hominibus, ſtatimque præfocaſſent, ſi Deus illis permiſiſſet. Nunc vero ipſe eos coercuit, prohibuitque, nec quidquam eis permiſit facere eiusmodi: quod quidem ipſi poteſtate in porcos accepta declararunt. Etenim ſi porcis non pepercerunt; multo minus a nobis abſtinuiſſent, ſi adverſus nos poteſtatem habuiſſent.“ T. I. p. 686.

Temerarium vero foret definire, ſeu etiam conijciendo tantum audacius quidquam velle aſſequi, quatenus Deus permittere aliquando cenſendus ſit eiusmodi dæmonibus poteſtatem veluti vitæ & necis directe, vel indirecte, atterendo corporis valetudinem in eius deſtructionem. In monumentis liturgicis nihil occurrit, quod provida mater Eccleſia hic antidotum oppoſuerit in ſuis exorciſmis; eſtque caute omnino ac circumſpecte agendum, proſpiciendumque legitima auctoritate circa illos, quos *probativos* vocant, ut ab humanæ imaginationis & phantaſiæ (cuius paſſim prodita eſt vis) ludibriis immunes ſatis præſtentur. Varia ſunt Spiritus ſancti chariſmata iuxta Apoſtolum *I. Cor.* 12, 28. caute ac religioſe diſcernenda, ſancteque tractanda in eccleſia, in qua *quosdam quidem po-*

ſuit Deus primum apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratia curationum, opitulationes &c. Nunquid omnes virtutes? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nec facile quisquam donum ſibi ſingulare diſcretionis ſpirituum arroget, uſurpetque, quod chariſma inter alia prius apoſtolus poſuerat, diſcretionis ſpirituum nempe bonorum & malorum, ac operationum eorundem, qualem hactenus variam explicavimus dæmonurgiam in animam & corpus: ex quibus illarum quidem frequentiam nemo catholicorum ſaltem hactenus negavit; ex his vero in exemplum ſtatim trahi hic non poſſunt, quæ rara ac extraordinaria leguntur in ipſa ſcriptura veteris teſtamenti; aut quæ ex profanis monumentis afferri queant, maleficiorum etiam mortalium, ex epocha paganiſmi genera.

Romanis legibus ultimo mulctantur ſupplicio, qui magicis artibus homines interficiunt; graviori adhuc pœna afficit antiquiſſimum concilium *Eliberitanum* can. 6. *ſi quis vero maleficio interficiat alterum, eo-quod ſine idololatria perficere ſcelus non potuit, placuit nec in fine impertiendam eſſe illi communionem.* Alia lectione Labbæus ad marginem ponit *veneficio*, citatque Decret. *Ivo.* p. 10. c. 155. *Burch.* lib. 6. c. 26. Qua vero auctoritate ducti ſint, qui loco *maleficio* legendum putent *per malitiam* haud ſcio, nec, qua ratione ea lectio cum contextu canonis conciliari poſſit, aſſequor.

T. I. Conc. ed. Lab. p. 971.

Magia quidem ſoluta per Chriſtum iuxta SS. Patres. *1. Pet. 3, 22 Coloſſ. 2, 15.*

XLVI. Ex hoc aliisque antiquiorum conciliorum canonibus palam fit non omni ſuperſtitione magica vacaſſe ipſos cœtus chriſtianos. Poſtquam iam Chriſtus *profectus in cœlum, ſubiectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus, Et exſpolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo*, principibus apoſtolorum Petro & Paulo, ut ex actis apoſtol. conſtat, cum huiusmodi ſulphuris hominibus magis, habenteque ſpiritum pythonem negotia fuere, omnino quidem expedita ſecundum acceptam a Chriſto poteſtatem, deſtructoque diaboli regno, quod in huiusmodi ſuperſtitionibus operationibusque ſeu præſtigiis magicis maxime in gentiliſmo exeruerat, quarum vero vim omnem, quæcunque demum fuiſſe cenſenda ſit, deſtruxit, ac veluti lux tenebras diſſipavit Chriſti adventus & regnum: qua nempe comparatione ex ſtella Magis exoriente paſſim utuntur SS. PP. anteſignano S. Ignatio, qui in epiſtola ad *Magneſianos:* „Quare (addit) ſoluta eſt omnis magia, & omne vinculum malitiæ eſt abolitum, ignorantia deſtructa eſt, vetus regnum eſt labefactatum: Deo humanitus manifeſtato, in novitatem vitæ æternæ. Principatum vero accepit id, quod a Deo omnibus ſuis partibus

T. II. PP. Apoſt. p. 16.

bus abſolutum erat.“ Rem illuſtrat ORIGENES, haud dubie ad hunc IGNATII locum reſpiciens, uti etiam homilia VI. in LUCAM, de latente principem huius mundi diabolum partu Viriginis iuxta ſupra allatam S. IGNATII ſententiam. *Contra Celſum lib. I.*

Iam audiamus ORIGENEM contra CELSUM ſeu Ἕλληνας, id eſt gentiles diſputantem: „*Græcis* quidem (inquit) dicam magos, qui cum dæmoniis commercium habent, quique illa ad ea, quæ volunt iuxta eas, quas dicerunt, artis ſuæ leges advocant, id ipſum efficere, quamdiu nihil divinius, nihilque dæmonibus, aut evocante illos incantatione fortius aut apparet aut nominatur: ſin autem aliqua ſe ſe vis divinior exerit, dæmoniorum virtutes peſſumdari, nec divinitatis poſſe ſuſtinere ſplendorem. Veriſimile ergo eſt, cum natus eſt IESUS, quoniam multitudo militiæ cœleſtis, ut LUCAS narrat, & ego credo, laudavit Deum his verbis: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*, propterea dæmonia ſuas vires & potentiam defeciſſe, deprehenſis eorum præſtigiis, & irrita facta virtute. Atque id effecit non modo angelorum ad loca terræ vicina adventus, ſed & virtus IESU, & quæ in illo erat divinitas. Itaque magi, cum facere fruſtra tentaſſent, quæ prius per incantationes arcanaque magica facere ſolebant, huius rei cauſam non vulgarem eſſe coniicientes, quæſierunt: & viſo in cœlis prodigio, videre, quod illo ſignificabatur, voluerunt. Sic ergo mihi videtur: cum BALAAMI, qui & ipſe harum artium peritiſſimus fuit, haberent vaticinia a MOYSE quoque ſcriptis tradita, & illic de ſtella legiſſent iſtud: *Oſtendam ei, & non modo; beatum facio, & non appropinquabit;* coniecerunt hominem illum, qui cum ſtella prænuntiatus fuerat, in hanc lucem prodiiſſe: cumque iam inde animo præcepiſſent, illum eſſe dæmoniis & ſpiritibus, qui ipſis apparere & miniſtrare ſolebant, præſtantiorem, adorare ſtatuerunt.“ *T. I. n. 60. p. 374.* *N. XXIV. 17.*

Hæc ORIGENES, cuius ſententiæ ſubſtantia continetur in homilia in ſanctam Chriſti generationem, quæ hactenus S. BASILII credita, in noviſſima editione Patrum S. MAURI ceu dubia in appendicem eſt reiecta Tomi II. „Sunt igitur ei (dictæ homiliæ verba refero) genus *Perſicum* magi, vaticinationibus, incantationibusque, & naturalibus rerum affectionibus inter ſe oppoſitis intenti, ac rerum ſublimium contemplationi vacantes. Videtur autem, huius vaticinationis particeps fuiſſe & BALAAM, qui accerſitus eſt a BALAC, ut quibusdam ritibus dira *Iſraeli* precaretur: qui & in ſua parabola quarta, talia de Domino dicit: *Homo videns*, inquit, *audiens eloquia Dei, ſciens ſcientiam Altiſſimi, ac Dei viſionem in ſomnis videns: revelati oculi eius. Oſtendam ei, & non nunc, beatum prædico, & non ap-* *pag. 600.* *N. XXIV. 17.*

T. II. p. 771. *propinquat. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget homo ex Iſrael.* Quamobrem locum *Iudææ* cum inquirerent, recordati vaticinii veteris acceſſerunt, ut diſcerent, ubi eſſet, qui natus erat rex *Iudæorum.* Fortaſſe autem & adverſa poteſtate per Domini adventum iam debiliore effecta, vim agendi ſuam deſtrui ſentientes, potentiam magnam nato tribuebant." Breviſſime S. AMBROSIUS explicato eodem fallendi principis mundi conſilio, initio lib. II. in LUCAM n. 3. & deinceps iis, quæ ad conceptum partumque virgineum referunt evangelia de adoratione magorum exprobrans chriſtiano n. 48. *Magus ergo*, ſubdit, *intelligit ſuas ceſſare artes, non intelligis tua dona veniſſe?*

S. ATHANASIUS ex profeſſo hoc argumentum contra gentiles tractat in lib. *de Incarnat. Verbi*: Unum hic locum aliunde, ex homilia nimirum de paſſione & cruce Domini eiusdem S. Patris, adducimus, in quo ſicuti alias præſentaneum ſimul adverſus vim omnem magicam ſeu diabolicam, ſcutum inexpugnabile S. Crucis contra omnes dæmonum infeſtationes oſtenditur: „Ad hæc (inquit) omnia iam veneficia ceſſavere, omnis magia abolita, univerſa *Græcorum* infatuata ſapientia eſt. In divinis quippe, non verbis, ſed factis eſt opus: neque pronuntiatio linguæ, ſed animæ adfectus prodeſt. *Græci* igitur verbis non percipiunt ea, quæ fide Chriſtiani exhibent: & quæ verbis magi efficiunt, hæc, ſilentibus nobis ſigno crucis evaneſcunt." Sic etiam alios SS. Patres locutos iam intelleximus, ac deinceps multo adhuc diſſertius, copioſiusque percipiemus capite ſequenti, de acciſo per Chriſtum diaboli regno, malisque omnibus facile explodendis artibus. „Eam ob cauſam (ſunt S. BASILII, in homilia *Quod*

T. II. n. 30. p. 104.

T. II. p. 82. *Deus non ſit auctor peccati*, verba n. 10.) *& Dominus ſatanam vidit ſicut fulgur de cœlo cadentem*: hoc eſt, ex ſuo principatu prolapſum, & in imis iacentem; ut ab iis, qui in Chriſto ſpem poſuere, conculcetur. Nimirum *Dedit diſcipulis ſuis virtutem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* Proinde cum flagitioſa eius tyrannis eiecta ſit, locusque terræ circumiacens mundatus ſit, per ſalutarem paſſionem illius, qui pacificavit, quæ ſunt ſuper terram, & quæ in cœlis, tum demum regnum cœlorum nobis prædicatur." S. HIERONYMUS in illud *Iſaiæ* XLIV. 25. *Ego ſum Dominus faciens omnia: extendens cœlos ſolus: ſtabiliens terram & nullus mecum. Irrita faciens ſigna divinorum, & hariolos in furorem vertens*, commentans: „In ſtabilitate quoque (inquit) terræ, quando illius fundamenta ſolidabat, nullus erat cum Deo, præter eum, qui erat in eo. Iſte igitur tantus ac talis, quum præfiniti myſterii tempus advenerit, ut cuncta idola deſtruantur, & Dei ſolius notitia prædicetur in mundo, omnia vaticinia divino-

rum

rum, & pythonum & hariolorum ſigna, atque portenta, quibus humanum deceperunt genus, deſtruet atque ſubvertet."

Eiusque demonſtrata fallacia.

XLVII. Eſt hoc, quod conſtanter opponunt, qui contra gentilitias ſuperſtitiones, idololatricasque abominationes pro Chriſtianæ religionis veritate ſanctitateque pugnarunt ab ineunte eccleſiæ ætate, editis primum apologiis a IUSTINO M. Is itaque utraque apologia nativitatem verbi divini exponens, brevi ſecundo loco hac rem complexus eſt ſententia: *Nam & homo factus eſt, ut antea diximus, de Dei & Patris voluntate partu editus pro credentibus hominibus ad dæmonum everſionem.* Viciſſim vero S. IRENÆUS in libris contra *de hæreſ.* hæreticos eos paſſim inſectatur, qui SIMONEM magum ſecuti magicis etiam ſuperſtitionibus fuerunt dediti MENANDER, MARCUS, SATURNINUS, BASILIDES, CARPOCRATES, eos nil niſi ludificare præſtigiis & impoſturis oſtendens, uti inter alios etiam CLEMENS *Alexandrinus* alibi contra pſeudognoſticos illos perinde ac gentiles, ſpeciatim vero in exhortatione ad gentes demonſtrat, TERTULLIANUS autem in apologetico contra gentes cap. 23. In libro de anima c. 57. ſic veluti ex communi ſententia definit magiam. „Quid ergo dicemus magiam? quod omnes pæne, fallaciam. Sed ratio fallaciæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritualia nequitiæ non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus: multiformem luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatricem ſcientiam magiæ; ſecundæ ſcilicet idololatriæ." Et S. CYPRIANUS *de idolorum vanitate*, „Horum autem omnium (inquit) ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem, ſtultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus inſinceri & vagi, qui poſteaquam terrenis vitiis immerſi ſunt, & a rigore cœleſti terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere . . . Hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper involvunt. Nam & falluntur & fallunt, vitam turbant, ſomnos inquietant. Irrepentes etiam in corporibus mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem frangunt, morbos laceſſunt, ut ad ſui cultum cogant &c."

p. 57 *ſeq.*

pag. 93.

p. 305.

pag. 10.

Ad S. ATHANASII inſigne de incarnatione Verbi opus iam provocavimus, pluraque deinceps opportune ad præſens argumentum colligemus de deſtructo per Chriſtum diaboli regno detectisque fallaciis, quibus *prius quidem*, verba eius recito, *hominibus dæmones phantaſiis variis illudebant, fontes aut flumina, aut ligna aut lapides præoccupantes, atque ita præſtigiis*

giis inanibus fallebant ſtultos. Hac ac paullo ante allata ex S. HIERONYMO auctoritate ſententiam ſuam inter alia firmant, qui magiæ omnem vim etiam ante Chriſtum demunt. Hos inter nuper ſingulari eruditione *de cultibus magicis eorumque perpetuo ad Eccleſiam & rempublicam habitu* libb. II. *Vindobonæ* edidit *Conſtantinus Fr. de* CAUZ cum aliis in hoc a ſyſtemate ill. MAFFEI recedens, quod hic magiam ex Patrum traditione ante chriſti nativitatem extitiſſe, ac poſtea evanuiſſe contendat: ante MAFFEIUM vero *Hier.* TARTAROTTI poſt *Io.* WEIERUM & alios a CAUZIO citatos inter magos & ſagas diſtinguens, has non illos ſcelere abſolvit: adeoque etiam nunc magicam quamdam ope dæmonum obtinere artem admittit, definitque cognitionem rerum ſuperſtitioſarum, ut verborum, verſuum, characterum, imaginum, ſignorum aliarumque cerimoniarum, quibus mediantibus magus intentum obtineat; non quod hæ natura ſua aptæ ſint natæ effectum talem producere, ſed virtute pacti vel expreſſi aut taciti cum dæmonio. In apologia nihilominus huius libri declarat, ſe per iſta expreſſa vel tacita pacta nihil aliud intendiſſe exprimere, quam veram familiaritatem, aſſiſtentiam cooperationem dæmonum. Redit tamen ad pactorum doctrinam in eadem apologia, ut iam modo laudatus CAUZIUS notavit, ſyſtemaque hoc pactorum ad rationis & hiſtoriæ trutinam revocat lib. I. c. 5. a. Copioſius adhuc P. *Iordanus* SIMON *Auguſtinianus*, lib. I. c. 4. & ſequentibus.

L. I. c. 2. n. 58. p. 59.

Congr. noct. lib. II. c. 13. §. 2.

a
Ac impia ſuperſtitio.

XLVIII. Capite octavo quidem, dum ad ritus eccleſiæ monumentaque liturgica provocat, tum ab aliis, cum etiam a Ven. THOMASIO edita, haud ſcio an attenderit ad eam, quam paullo ante ex eodem THOMASIO retulimus *Benedictionem aquæ exorciz. ad fulgura*, quæ extat in noviſſ. ed. VEZZOSII T. VI. p. 211. *ad effugandos erraticos ſpiritus, omnemque vim diaboli pellendam, & omnes figuras & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas.* Ubi equidem haud contentioſe verba *& omnes figuras* de ſignis magicis accipiam, quæ tum alibi ex SS. Patribus, cum paullo ante ex S. ATHANASIO & HIERONYMO notavi: quiue in vita S. HILARIONIS eorundem uſum magicum deſcribit, iuvenem memorans virginem Dei depereuntem: „Qui cum frequenter tactu, iocis, nutibus, ſibilis, & cæteris huiusmodi, quæ ſolent morituræ virginitatis eſſe principia, nihil profeciſſet, perrexit *Memphim*, ut confeſſo vulnere ſuo, magicis artibus rediret armatus ad virginem. Igitur poſt annum doctus ab *Æſculapii* vatibus, non remediantis animas, ſed perdentis, venit præſumtum animo ſtuprum geſtiens, & ſuper limen puellæ portenta quædam verborum, & portentoſas figuras ſculptas in æris *Cyprii* lamina defodit.

T. IV. p. 80.

Illico

a) Die Nicktigkeit der Hexerey und Zauberkunſt in zweyen Büchern entworfen von *Ardoino Ubidente* DELL' OSA.

Illico insanire virgo & amictu capitis abiecto, rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris se in furorem verterat. Perducta ergo a parentibus ad monasterium seni traditur: ululante statim & confitente dæmone &c." Et mox: „Noluit autem Sanctus antequam purgaret virginem, vel adolescentem signa iubere perquiri: ne aut solitis incantationibus recessisse dæmon videretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem: asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandum esse callidos; & magis reddita sanitate increpuit virginem, cur feciſſet talia, per quæ dæmon intrare potuisset." Ita vero cautos reddere homines, atque absterrere, ne talia faciant, *per quæ dæmon intrare*, iustoque Dei indicio infestare permittatur in corpore vel anima, superstitiosum plane non fuerit.

Neque vero ita patrocinari volumus fabulis ac næniis, quæ vulgo circumferuntur de vi huiusmodi signorum, aut etiam pacti magorum, vel sagarum cum dæmone. Quis enim in animum sibi inducat, Deum permissurum, ut ad lubitum nebulonis cuiusque, perditæ, ac deliræ anus generi humano quævis inferantur damna, ac cumulentur maleficia, rerum ordo perturbetur, ac quodammodo miracula fiant? atque id quidem ex condicto & pacto, quo dæmones stringantur sefeque obligent hominibus ad nutum præsto esse, atque operam suam collocare pro cuiusque libidine, prout feruntur innumera præstigiarum genera speciosо artium magicarum titulo.

Sæpe in hoc argumentum excurrit S. Augustinus præsertim in grandi opere *de Civitate Dei* contra paganos pro instituti ratione: *Cum sint*, ut id libr. II. *Retractat.* c. 43. explicat, *de utraque (quarum est una Dei, altera huius mundi) conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de civitate Dei potius vocarentur.* Speciatim lib. VIII. c. 19. inscribitur *de impietate artis magicæ, quæ patrocinio nititur spirituum malignorum:* libro II. de doct. christ. postquam cap, 20. superstitiosum esse definisset, *quidquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola. . vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium*, universim postea concludens c. 23. „Omnes igitur (inquit) artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudianda & fugienda christiano: *non quod idolum sit aliquid*, ait apostolus, *sed quia, quæ immolent, dæmoniis immolant, & non Deo: nolo autem vos socios dæmoniorum fieri.* Quod autem de idolis & de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit apostolus,

T. III. p. 32.

N. 36. p. 33.

lus, hoc de omnibus imaginariis ſignis ſentiendum eſt, quæ vel ad cultum idolorum vel ad creaturam eiusque partes tamquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque obſervationum curam pertinent, quæ non ſunt divinitus ad dilectionem Dei & proximi tamquam publice conſtituta, ſed per privatas appetitiones rerum temporalium corda diſſipant miſerorum. In omnibus ergo iſtis doctrinis ſocietas dæmoniorum formidanda atque vitanda eſt, qui nihil cum principe ſuo diabolo niſi reditum noſtrum claudere atque obſerare conatur."

Vid. Cauz de Cult. mag. lib. I c. 5. Matth. 4, 8. Luc. 4, 6.

Adhuc ſequenti capite 24. deſcribitur pernicioſa eiusmodi dæmonum ſocietas, ſeu pactum, quale quidem cum Chriſto inire tentavit, ceu contractum *do, ut facias*; ſunt vero qui putent, primum a Cæsario *Heiſterbacenſi* ex vulgi opinione tale commercium in lucem prolatum fuiſſe in libris illuſtrium miraculorum & hiſtoriarum memorabilium an. 1227. editis. Facile equidem tribuo, rem omnem magicam, atque præſtigias diaboli innumeris eſſe commentis ac impoſturis infartas, quæ a ſcriptoribus medii ævi popularibusque næniis poſteritati ad noſtra uſque tempora ſunt transmiſſa, propemodum memoriam fugiente ſaluberima illa Concilii *Turonenſis* III. lege anno 813. ſub Carolo M. eius etiam Capitularibus inſerta, hac ſententia: „Admoneant ſacerdotes fideles populos, ut noverint magicas artes, incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum nihil poſſe remedii conferre: non animalibus lanquentibus, claudicantibusque vel etiam moribundis quidquam mederi: non ligaturas oſſium, vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodeſſe: ſed hæc eſſe laqueos & inſidias antiqui hoſtis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur." Optarim, tum Cæsarium *Heiſterbacenſem*, cum etiam ſupparem Vincentium *Bellovacenſem* in *ſpeculo hiſtoriali*, atque ad finem eiusdem adhuc ſæculi *Iacobum de* Voragine in hiſtor. *Longobard.* quæ perinde ac aſinus aureus legendæ aureæ nomen commerita eſt, vellem, inquam, ut hi aliique nugivenduli Ioannem potius *Sarisberienſem* paullo ſuperiorem, ſæculi nimirum duodecimi ſcriptorem, eſſent ſecuti, qui lib. II. *de nugis curialium* cap. 27. hanc picem tangens mox in ipſo proœmio *de aruſpicibus*, inquit, *auguribus, ſalliſatoribus, ariolis, pythariciſ, aruſpicibus & aliis, quorum præ multitudine tædioſa eſt enumeratio, productiorem ſermonem texere, cum nemo iam progrediatur in lucem, ſed in latibulis, ſi quis eſt, exerceat opera tenebrarum, ſupervacaneum eſt.*

T. VII. Conc. edit. Labb. pag. 1268.

Quod conſilium præſenti in argumento ſequi eo promtius eſt, quod in antiquitatibus eccleſiaſticis monumentisque liturgicis haud notentur eiusmodi portenta ſuperſtitionum, ac operationum magicarum, quas ſequior demum produxit, effinxitque ætas fallacia ludificationeque diaboli ad irretien-

tiendas animas eorum ex infima fece hominum, qui nec rationem, nec religionem in consilium vocare didicerunt, stupidi, obcæcati animo, & sui similibus impie imponunt, & ipsi decipiuntur, atque ab hoste humani generis in errorem, superstitionem, idololatriam abducuntur, iure quidem luendam ob enormitatem sceleris designati perversitate mentis misere delusæ, atque in suam delirantis perniciem, insanientisque.

Strigum lubdibria.

XLIX. Quæ cum ita sint, cui mirum videatur, solas mulierculas, quas sagas seu striges nominant, ita a dæmone dementari, ut nocturnis horis, dum nempe somniant, nescio quos congressus agant per aerem ad condictum in furca translatæ locum. Quod rotunde ac recte *Frid.* HOFFMANNUS consiliarius regis quondam *Borussiæ* intimus & archiater celebratissimus in supra laudata dissert. *de diaboli potentia in corpora* §. 6. negat, in diaboli potestate esse positum, cum esset hoc verum miraculum: quale quidem a bonis angelis ope divina patratum alterum ex vet. testam. in propheta HABACUC, alterum ex novo in PHILIPPO iam supra memoravimus; absit autem, ut virtuti cacædomonis ac potentiæ ceu supernaturali tribuamus, quod anili imaginatione vel suapte vel diaboli ope in somnio fit; quod nempe (ut verbis concilii cuiusdam, quod apud GRATIANUM emendatum *Anquirense* dicitur, perperam autem apud BURCHARDUM & IVONEM *Ancyranum* appellatur, utar) „quædam sceleratæ mulieres retro post satanam conversæ dæmonum illusionibus & phantasmatibus seductæ credunt, & profitentur se nocturnis horis cum *Diana* dea paganorum, vel cum HERODIADE, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius servitium evocari.“ Cum certa epocha huius concilii, cuius alias acta nulla habentur, statui nequeat, nihil etiam quoad tempus definiri potest.

Caus. XXVI. q. 5. c. 12.

Ab ovo, malo scilicet mali corvi, rem repetit CAUZIUS de cultibus magicis lib. I. c. 3. quomodo scilicet igne ferroque in sagas semper animadversum a *Romanis*, *Francis* & *Longobardis*. Teste annalista *Corbeiensi* ad an. 914. *Multæ sagæ combustæ sunt in territorio nostro.* Id quod proxima adhuc ætate quisque fere chronista de sua patria, uti quidem egomet de mea, dicere ac merito ingemiscere potuisset. Viderint hoc alii, ad meum vero nunc institutum pertinet canon in Pœnitentiali lib. XIX. eiuscemodi. „Credidisti, quod multæ mulieres retro satanam conversæ, credunt & affirmant verum esse, ut credas in quiete noctis silentio, cum te collocaveris in lecto tuo & marito tuo in sinu tuo iacente te, cum corporea sis, ianuis clausis exire posse, & terrarum spacia

cum aliis simili errore deceptis pertransire valere, & homines baptizatos, & Christi sanguine redemtos, sine armis visibilibus interficere, & decoctis carnibus eorum vos comedere, & in locum cordis eorum stramen aut lignum, aut aliquid huiusmodi ponere & comestis iterum vivos facere, & inducias vivendi dare. Si credidisti quadraginta dies, id est carnem in pane & aqua cum septem sequentibus annis pœniteas."

Ex his vero palam fit, frustra a nonnemine venditari, qui raptus dæmoniacos post SIMONEM magum (ut fertur magno quidem veterum, fide pseudoclementinarum potissimum, consensu) in scenam produxerit, fuisse Cæsarium *Heisterbacensem.* Minus tamen nocue is literis tantum commisit fabulas cum aliis promiscue usque ad finem fere sæculi decimi quinti, quo mitius iudicari cœpit de sagis ab auctoribus, quos adiunxit operi suo de præstigiis dæmonum *Io.* WEIERUS paullo supra laudatus de discrimine magos inter & sagas paullatim ingruente; cum non ita multo ante, vergente iam eodem decimo quinto sæculo, in *Germania* nostra etiam ad tribunal Inquisitionis vocarentur cum cæteris magis sagæ, ut ostendit *Paul. Ios.* a RIEGGER in dissert. *de Magia* §. 36. Additque postea §. 55. non ita pridem in vicinia nostra puellam magiæ accusatam, ac sponte etiam quidem esse confessam, quæ tamen postea opera medicorum ex morbo hypochondriaco, & passionibus hystericis ad sanam mentem est revocata.

Vid. dell' Osa lib. II. c. 4.

Somnia.

I. Quidquid vero demum diabolicum hic intercedere queat, meras esse illusiones dudum laudata iam apud GRATIANUM synodus agnovit, atque *sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare voluit, a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Si quidem ipse satanas transfigurat se in angelum lucis, cum mentem cuiuscunque mulierculæ ceperit, & hanc sibi per infidelitatem subiugaverit, illico transformat se in diversarum species personarum, atque similitudines; & menten, quam captivam tenet, in somniis deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas modo incognitas personas ostendens per devia quæque deducit: & cum solus spiritus hæc patitur, infidelis mens non in animo sed in corpore evenire opinatur. Quis enim non in somniis & nocturnis visionibus extra se educitur, & multa videt dormiendo, quæ nunquam viderat vigilando? Quis vero tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia, quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur?*

S. GREGORIUS lib. IV. Dial. c. 48. *an servanda sint somnia, & quot sint modi somniorum?* sex omnino distinguit genera somniorum quatuor

quatuor autem non proletaria ex ſacra ſcriptura deducens: „Somnia etenim (inquit) niſi plerumque ab occulto hoſte per illuſionem fierent, nequaquam hoc vir ſapiens indicaret, dicens: *Multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Vel certe, *Non auguramini, nec obſervabitis ſomnia.* Quibus profecto verbis cuius ſint deteſtationis, oſtenditur, quæ auguriis coniunguntur. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſimul & illuſione procederent, vir ſapiens minime dixiſſet: *Multas curas ſequuntur ſomnia.* Et niſi aliquando ſomnia ex myſterio revelationis orirentur, nec IOSEPH præferendum ſe fratribus videret; nec ſponſum MARIÆ, ut ablato puero in *Ægyptum* fugeret, per ſomnium angelus admoneret. Rurſum niſi aliquando ex cogitatione ſimul & revelatione procederent, nequaquam DANIEL propheta, NABUCHODONOSOR viſionem differens, a radice cogitationis inchoaſſet &c.“ *T. II. p. 43.* *Eccle.* 34, 7. *Levit.* 19, 26. *Eccle.* 3, 15. *Dan.* 2, 29.

LI. S. AUGUSTINUS lib. XVIII. *de Civit. Dei* cap. 18. inquirens, *quid credendum ſit de transformationibus, quæ arte dæmonum hominibus videntur accidere*, etſi ad allata quædam exempla hærere videatur, ad id, *quod forte dæmones ex permiſſione Dei operentur ſecundum naturæ ſuæ potentiam*, addit: „Nec ſane dæmones naturas creant, ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio; ſed ſpecietenus, quæ a vero Deo ſunt creata, commutant, ut videantur eſſe, quod non ſunt. Non itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidem ulla ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate in membra & lineamenta beſtialia veraciter poſſe converti; ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſive ſomniando per rerum innumerabilia genera variatur, & cum corpus non ſit, corporum tamen ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſſis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſet perduci &c.“ Recenſet deinceps: quæ accidiſſe in fabulis narrentur metamorphoſes. *Neque enim ex eius ſententia dæmonibus iudicio Dei permiſſis huiusmodi præſtigiæ difficiles eſſe potuerunt.* Multa eam in rem in libello *Rhabani* MAURI *de magorum præſtigiis* accumulantur ex ipſo S. AUGUSTINO & ISIDORO unde non pauca a GRATIANO in ſuum decretum ſunt translata iam citata cauſa XXVI. q. 2. quæ etiam BURCHARDUS citat ex dictis S. AUGUSTINI. Phantaſticæ metamorphoſes. *T. VII. pag.* 501. *pag.* 502.

Nos vero poſt evangeliſtas, quomodo Chriſtus a diabolo tentatus ſit, narrantes, ſupra varias dæmonum apparitiones recenſuimus, factas viris ſanctiſſimis MARTINO, MACARIO, ANTONIO, qui ſuos etiam de iisdem cautos reddit in ſæpe laudata oratione ad monachos circa illas præſertim, quibus ſe, ut vidimus, transfigurat in angelum lucis, ut certis criteriis cœleſtes

T. IV. Bibl. PP. p. 646. &c.

leſtes viſiones ab illuſionibus diabolicis diſcernere poſſint. „Malorum vero (inquit) incurſus & phantaſia, cum tumultu, ſtrepitu, ſono & clamore obvenit: qualis exempli cauſa fuerit illiberalium adoleſcentium vel latronum tumultus. Unde exoritur animi pavor, turbatio & confuſio cogitationum, triſtitia, aſcetarum odium, incuria, mœror animi, cognatorum recordatio, formido mortis, ac demum concupiſcentia malarum rerum, animus ad virtutem remiſſus, inordinati mores. Cum itaque quibusdam conſpectis, timore corrripiemini, ſi ſtatim timor auferatur, & eius loco mox conſequatur ineffabile gaudium, alacritas, fiducia, animi recreatio, cogitationum tranquillitas, & quæcunque alia ſuperius dicta ſunt, robur animi item, & Dei amor; confidite & orate: gaudium enim & ille animæ ſtatus, præſentis ſanctitatem indicat. Sic ABRAHAM *Dominum videns exultavit*: ſic IOANNES edita a Deipara MARIA voce exſultavit gaudens. Quodſi quibusdam apparentibus, tumultus fiat, externus ſtrepitus, mundanus apparatus, metus mortis & quæ ſuperius dixi; ſcitote malorum eſſe adventum. Et hoc item vobis indicio ſit, ſi anima timida perſeveret, inimicorum eſt præſentia, nequaquam enim dæmones metum auferunt, ut præſtitit magnus archangelus GABRIEL MARIÆ & ZACHARIÆ, & qui in monumento apparuit mulieribus; quin potius ſi reformidantes cernant, phantaſias adaugent, maiorem ut incutiant terrorem, atque adorti demum irrideant dicentes, proſtrati adorate. Ita gentiles deceperunt: ſic ab illis falſe dii habiti ſunt. Nos vero Dominus non ſivit a diabolo circumveniri, cum ſimilibus phantaſiis ſe aggredientem increpavit his verbis: *Vade retro me, ſatana; ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quapropter magis magisque verſipellis iſte deſpiciatur a nobis. Quod enim illi hoc Dominus dixit, id noſtri cauſa factum eſt: ut has voces a nobis item audientes dæmones evertantur, propter Dominum, qui eos ipſis increpavit."

An meris nobis dæmones illudant præſtigiis.

LII. S. MACARIUS aliud attingit præſtigiarum genus, quod late etiam patet, neque uno tantum modo opinionem vulgi hodieque ſuperſtitioſe detinet, tamque gravibus ſæpe magicas profeſſos ſuperſtitiones implicat peccatis, quam inanibus deludit fallaciis. S. MACARIUS autem ab ovo rem repetens, dum dominatu ſuo protoparentem noſtrum omnium viſibilium excidiſſe, ac prodidiſſe deceptori diabolo, memorat: „Propter quam cauſam (inquit) magi & præſtigiatores, & per adverſariam efficaciam mira, Deo ſic permittente, operantur, venenatis dominantes beſtiis, ignemque, & aquas ſine noxa ſubeuntes, ut IANNES & MAMBRES adverſarii MOSIS: ut SIMON principi apoſtolorum PETRO ſe ſe auſus eſt opponere."

De patientia & diſcretione c. 3. T. II. p. 52.

Mens

Mens mihi hic non eſt, nec inſtitutum diſcutere, quæ a Deo dæmon agere nonnunquam permiſſus ſit, aut permittatur, vel reipſa, vel ludificatione ſenſuum, deceptioneque hominum fabulis aut ſuperſtitioni nimis deditorum: S. GREGORIUS lib. II. Dial. c. 9. de ingenti ſaxo per viri Dei (S. BENEDICTI) orationem levato narrat, quadam die, dum fratres (S. BENEDICTI nempe monachi) in ædificanda cella monaſterii eſſent occupati, lapidem ita immobilem fuiſſe, *ut palam daretur intelligi, quod ſuper eum ipſe per ſe antiquus hoſtis ſederet, quem tantorum virorum manus movere non poſſent.* Mox vero caput ſequens de phantaſtico coquinæ igne inſcriptum meram diaboli illuſionem ob oculos ponit. „Tunc (verba ſunt S. GREGORII) in conſpectu viri Dei placuit, ut in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres invenerunt. Quo ad horam caſu in coquinam proiecto, exire ignis repente viſus eſt, atque in cunctorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium conſumeretur, oſtendit. Cumque iaciendo aquam & ignem quaſi extinguendo perſtreperent, pulſatus eodem tumultu vir Dei advenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum eſſe, in ſuis vero non eſſe conſiderans, caput protinus in orationem flexit, & eos, quos phantaſtico reperit igne deludi, revocavit fratres, ut oculos ſuos ſignarent, monuit, ut & ſanum illud coquinæ ædificium cernerent, & flammas, quas antiquus hoſtis finxerat, non viderent.“ *T. II. p. 234.* *Ib.*

At res phantaſtica non fuit, quam mox idem c. 11. narrat de puerulo monacho parietis ruina confracto, S. BENEDICTI autem oratione ſanato. „Cui (nempe in oratione conſtituto) antiquus hoſtis inſultans apparuit, & ei quod ad laborantes fratres pergeret indicavit. Quod vir Dei per nuntium celerrime fratribus indicavit dicens: *Fratres caute vos agite, quia ad vos hac hora malignus ſpiritus venit.* Is, qui mandatum detulit, vix verba compleverat & malignus ſpiritus eundem parietem, qui ædificabatur, evertit, atque unum puerulum monachum cuiusdem curialis filium opprimens ruina contrivit.“

En diverſi generis illuſiones, operationesque dæmoniacas, quas dum omnes iam illudunt multi, & ad chimeras relegant, utinam non incurios facerent homines, dum viri ſanctiſſimi, ut vidimus, ab iis cautos reddunt. Non equidem diffiteor nimium progreſſam credulitatem vulgi, ac plerorumque ſuperſtitionem, ut dæmonum virtuti, operationique multa tribuerent, quæ eorum ſphæram activitatis excedunt, nimisque amplam ac irreſtrictam dæmonibus graſſandi infeſtandique humanum genus conceſſam eſſe multis ſæculis facultatem; removendus autem exceſſus utrinque, neque ultra vires cuiusque rei creatæ dæmonibus aliquid in rebus

natu-

naturalibus concedendum, neque contra nihil unquam ab eis Dei permiſſione funeſti accidere, eſt aſſeverandum.

Facile explodimus cum HOFFMANNO ſæpe citato, quidquid multi iactant de diaboli potentia in corpora §. 11. de cuti impenetrabili, ipſisque gladiis & globulis obluctante: item quod gladii aciem præſens diabolus obtundere ac recurvare, & globulos ad cutem protuſos repellere poſſe paſſim venditant. Largimur item in aliis etiam effectibus ſingularibus naturales perſæpe ſubeſſe cauſas, dum magica protenditur ars ac virtus diabolica; at nihil unquam a Chriſti adventu opera dæmonis mali hominibus etiam Chriſtianis accidiſſe, nec præſtigias quidem & faſcinationes, conſenſui omnium ſæculorum adverſatur, hominesque avocat, ne contra inſidias diaboli ea adhibeant præſidia, quæ nobis vera in Chriſtum fides ſuppeditat, ac ſemper in eccleſia ſalutaria ſunt habita, & fidelibus hominibus etiam doctiſſimis, ſanctiſſimisque credita, & uſitata, dum viciſſim ab eccleſia abuſus & ſuperſtitio, phantaſiæ ac imaginationes delirantium itemque inania ſomnia, ſunt reprobata: veluti in capitulis HERARDI *Turonenſis* an. 858. *de maleficis, incantatoribus, divinis, ſortilegis, ſomniariis tempeſtiariis, & brevibus pro frigoribus, & de mulieribus veneficis, & quæ diverſa fingunt portenta, ut prohibeantur, & publicæ pœnitentiæ multentur.*

Cap. 3. T. VIII. conc. p. 628.

Maleficia in corpore humano & alibi.

LIII. Etſi vero maleficorum maleficiorumque generale ſit nomen, ad ea omnia adhiberi ſolitum, quibus opera dæmonum mala quædam inferuntur nobis aut rebus noſtris, peculiariter tamen etiam pro ſignis magicis ſupra ex SS. PP. memoratis, deque illis rebus accipitur, quæ paſſim ex corpore humano prodire cernuntur, ſive id faſcinatione quadam, ſive phantaſiæ perturbatione contingat, quæ nunc non paucorum eſt ſententia, quam tamen reiicit ſæpe citatus HOFFMAMNUS aſſerens, quod adſint corpora vera, quæ immenſos cruciatus pariant, cuiusmodi exempla affert, ipſeque *Io.* WEIERUS, *de præſtigiis dæmonum* lib. IV. c. 2. & 9. etſi omnia hiſtrionicæ potius ludificationi tribuat: quod quidem facile eſt dictu, probatu autem non item, in tanta factorum varietate, diverſitateque rerum ex humano corpore prodeuntium, aut etiam poſt mortem repertarum, quæ huiusmodi ſunt, ut generari, quæ aliorum recentiorum eſt ſententia, in humano corpore haud potuiſſent clavi e. g. cultra, ligna, ferra, vitra, aliaque, quæ WEIERO addit HOFFMANNUS, probatosque citat auctores, qui hiſtorias accuratiſſime deſcriptas collegerint cum omnibus circumſtantiis, tot teſtibus fide dignis, quibus multa alia recentiora adhuc addi poſſent multorum relatione; quæ tamen licet ſilentio

De diaboli potentia in corpora §. 24. & 25.

præ-

præterire, quod *monumenta* noſtra *liturgica* perinde ſileant; ut de aliis etiam iam annotavit P. *Iordan* SIMON, expenditque notam, quæ in rituali *Romano de exorcizandis obſeſſis a dæmonio* habetur his ad rem præſentem verbis: „Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum: ſed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur.“ Quæ tamen cautio nihil mihi adeo aſſerti de magicis operationibus habere videtur; certe vulgi opinionibus ſuperſtitionibusque, quas cum aliis plerisque iam explodimus, non patrocinantur, perinde ac ea, quæ paullo poſt de maleficiis, de quibus nunc agimus dicuntur: „Dum exorcizat (utatur) ſacræ ſcripturæ verbis potius, quam ſuis, aut alienis. Iubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat: vel ſi alibi extra corpus fuerint ea, revelet, & inventa comburantur.“

Lib. II. c. 6. *Rituale Rom. Pauli V. P. M. iuſſu edit. Venet. an. 1693. p. mihi 227.* *Ib. p. 228.*

LIV. Maleficio conciliandi amorem antiquiſſima habentur exempla in monumentis noſtris eccleſiaſticis, veluti in actis ſinceris ſanctorum LUCIANI & MARCIANI ex magis martyrum Chriſti ſub DECIO an. 200. „Hi enim (ut eorum ordiuntur apud RUINARTUM acta) cum in errore gentilitatis tenerentur, ita dæmonibus tum erant dediti, ut pæne omnem animam ad ſuam ſectam ſacrilegam perſuadentes adducerent. Nam & magicis artibus & maleficiis omnes coinquinabant adulteriis. Erant primi in ſubverſione auctores, in magicis veneficiis ſubverſores; ita ut omnes quærentes voluntates ſuas perficere, vel quibusdam nocere: ad eos concurrerent. Sed Deus, qui ingratis tribuit gratiam, & non cognoſcentes eum ad cognitionem nominis ſui perducere dignatus eſt, in iſtis oſtendit eſſe converſus (converſos). Famula quædam erat Dei caſta & fidelis, nuptias contemnens; forma ſpecioſa, & anima tamen pulcrior, non aliud niſi Deum diligebat: petebat autem nullo perſuadente, ſed perſeveranter, ut eam cuſtodire dignaretur. LUCIANUS & MARCIANUS hanc concupierunt; & cum non haberent, quo genere cupiditatis ſuæ impudicitiam obtinerent, converſi non aliter ſe niſi magicis dæmonicis ſuperantes hanc iudicaverunt, & maleficiis obtinere. Cum ergo omnia artibus ſuis oſtendiſſent, nihilque ſibi prodeſſe viderent; converſi in furias, fremebant quod in nullo poterant prævalere. Illa vero ſerviens Deo pernoctabat in vigiliis & oratione. At illi quædam magica phantaſmata facientes affligebant deos ſuos, ut eis reſponderent. Et dæmones eis reſponderunt: *Quascunque animas non cognoſcentes Deum, qui eſt in*

Philtra.

Acta ſincera pag. mihi 165.

cœlo voluiſtis ſubvertere, invocantes nos, facillimum nobis fuit vobis præſtare. Sed quia ad hanc caſtiſſimam animam certamen nobis eſt; multa quidem fecimus, ſed nihil potuimus proficere adverſus eam. Hæc vero virginitatem illibatam ſervat Iesu *Chriſto, Domino ſuo & Deo omnium, qui crucifixus eſt pro ſalute omnium: ipſe eam cuſtodit, & nos affligit.*" Exponitur deinceps hæc converſionis horum martyrum occaſio, uti etiam de S. Cypriano iisdem artibus miniſterio dæmonis ad corrumpendam S. Iustinam uſo, S. Gregorius *Naz.* orat. 18. Prudentius, Eudoxia teſte Photio cod. 184. aliique perhibent, qui non raro hunc cum S. Cypriano *Carthaginenſi* perperam confundunt. Varia item ad rem refert S. Epiphanius cum aliis de Iosepho *Iudæo*, tempore Constantini M.

Hæreſ. 30.

Theodoretus vero in hiſtoria religioſa in Palladio aliam narrat rem de muliere quadam ſtirpe illuſtri viro intemperanti iuncta, quæ „ad beatum virum venit, deplorans calamitatem ſuam. Aiebat enim pellici addictum magicis quibusdam præſtigiis fuiſſe incantatum, & odio habere ſe legitimo coniugio ſibi iunctam. Hæc autem ad atrienſem ianuam ſtans mulier dicebat. Ibi enim feminas alloqui ſolebat, neque ullam intra ianuam recepit unquam. Mulierem ergo eiulantem miſeratus, præſtigiarum vim precibus repreſſit, & allatum ab ea vaſculum olei divina invocatione ſanctificans, eo virum inungi iuſſit. Quod illa cum feciſſet, viri amorem in ſe transtulit, eique perſuaſit, ut illegitimo toro legitimum anteponeret." In antiquiſſima benedictione nuptiarum, quæ olim in ſacratiſſima liturgiæ parte poſt orationem dominicam fiebat, generatim rogatur: ut, *avertantur ab eis inimici omnes inſidiæ* iuxta ſacramentar. *Gelaſ.* lib. III. n. 53. Prolixiorem formulam eadem continentem (qualis hodie paſſim obtinet) in monum. liturg. ex ſacrament. *ſan-Gall.* dabimus, aliis recentioribus ſtudioſe prætermiſſis.

T. III. Opp. p. 818.

T. VI. Opp. V. Thomaſ. p. 196.

Teſte S. Gregorio M. lib. I. Dial. c. 4. Basilium magum, monachum ſimulantem, ſanctoque Equitio, qui viris & fœminis præfuit, a Castorio *Amiterninæ* civitatis epiſcopo commendatum ſtatim ut intuitus eſt vir ſanctus, in eo diabolum recognovit, ſuſcepit tamen inſtante epiſcopo. „Non poſt multos dies idem Dei famulus pro exhortandis ad deſideria ſuperna fidelibus, paullo longius a cella digreſſus eſt. Quo diſcedente contigit, ut in monaſterio virginum, in quo eiusdem Patris cura vigilabat, una earum, quæ iuxta carnis huius putredinem ſpecioſa videbatur, febricitare inciperet, & vehementer anxiari, magnisque iam non vocibus, ſed ſtridoribus clamare: *Modo moritura ſum, niſi* Basilius *monachus veniat, & ipſe mihi per ſuæ curationis ſtudium ſalutem reddat.* Sed in tanti Patris abſentia accedere quisquam monachorum in congregationem virginum non audebat; quanto minus ille qui novus advenerat, cuiusque adhuc

T. II. pag. 164. *ſeq.*

adhuc vitam congregatio fratrum neſciebat. Miſſum repente eſt, & Dei famulo EQUITIO nuntiatum, quod ſanctimonialis illa immenſis febribus æſtuaret, & BASILII monachi viſitationem anxie quæreret. Quo audito vir ſanctus, dedignando ſubriſit, atque ait: *Numquid non dixi, quod diabolus eſſet iſte, non monachus? Ite & eum de cella expellite. De ancilla autem Dei, quæ anxietate febrium urgetur, nolite eſſe ſolliciti: quia ex hac hora neque febribus laboratura eſt, neque* BASILIUM *quæſitura.*" Studioſe prætereo, quæ in *Rhabani* MAURI epiſtola ad HERIBALDUM epiſc. *Altiſiodorenſem* c. 30. etiam a BURCHARDO & REGINONE relata in decreto deſcribuntur ſpurca philtra. Quid natura in philtris agat, medici diſquirunt.

Faſcinationes.

LV. Amoribus ſociatur plerumque, utut ſuapte natura contraria, invidia ſeu livor, cui magnam vim ad nocendum olim tribuebant, cenſebantque ipſo afflatu & contagione maleficam & venenatam, uti PAMELIUS ad ſequentem TERTULLIANI locum de faſcino adnotat: „Nam eſt aliquid etiam apud ethnicos metuendum, quod faſcinum vocat, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris eventum. Hoc nos interdum diabolo interpretamur: ipſius eſt enim boni odium." Cavebant autem a faſcino pueris infantibus imprimis, quod in ipſis etiam Chriſtianis reperit exprobrandum S. Io. *Chryſoſtomus*: „Quid vero (inquit) & alia ridicula commemorem? Cinerem, fuliginem, & ſalem, & rurſus vetulam in medium productam? Revera ridiculum & dedecus. At oculis quisquam, inquis, faſcinavit puerum. Quousque fatanica iſta? Quomodo non ſubſannabunt?" Patet hinc, cur concilium *Cabilonenſe* faſcinum ad incantationem quandam retulerit: *Si quis præcantaverit ad faſcinum, vel qualescunque præcantationes, excepto ſymbolo & oratione dominica: qui cantat, & cui cantatur, tres quadrageſimas in pane & aqua pœniteat.* Ad rem ſunt, quæ cap. ſeq. afferemus, ex cit. *ſan-Gall.* Sacram. *orat. ſuper aquam & ſal ad animalia.* Legi etiam poteſt GRETSERUS lib. IV. de cruce c. 44. quod inſcribitur *faſcinum ſigno crucis avertendum.*

De Virginibus velandis c. 15. *p.* 181.

Hom. VIII. in c. 3. *ad Coloſſ.*

Can. 5.

T. I. Opp. p. 997. *ſeq.*

Imprecationes.

LVI. His adiungi poſſunt, quæ idem poſt libros duos *de benedictionibus*, lib. III. *de maledictionibus* capite ſeptimo præſertim & octavo diſſerit, ubi earum effectus refert a diabolo præſtitos, reſpondentes maledictionibus imprecationibusque eius nomine factis tum per alios, cum per ſeipſum etiam: cuius generis unum hic exempli & cautelæ loco ex S. GREGORII M. lib. III. Dial. cap. 20. *de Stephano presbytero provinciæ Valeriæ, cui diabolus caligas e tibiis traxit*, recenſebo, prout rem a quibusdam *Qui*, inquit, *nunc nobiſcum ſunt*, teſtatam accepit: „Qui quadam die de itinere domum regreſſus, mancipio ſuo negligenter loquens præcepit, dicens: *Veni, diabole, diſcalcea me.* Ad cuius vocem cœperunt ſe caligarum corrigiæ in ſumma

T. V. P. II. p. 296. *ſeq.*

T. II. pag. 325.

velocitate diſſolvere, ut aperte conſtaret, quod ei ipſe, qui nominatus fuerat, ad extrahendas caligas diabolus obediſſet. Quod mox ut presbyter vidit, vehementer expavit, magnisque vocibus clamare cœpit, dicens: *Recede, miſer, recede: non enim tibi, ſed mancipio meo locutus ſum.* Ad cuius vocem protinus receſſit, & ita ut inventæ ſunt, magna iam ex parte diſſolutæ corrigiæ remanſerunt. Qua in re colligi poteſt, antiquus hoſtis, qui tam præſto eſt factis corporalibus, quam nimiis inſidiis, noſtris cogitationibus inſiſtat."

Neque vero ſuperſtitioſum fuerit, ſed pium ſane, atque etiam neceſſarium omnino, ut ſalutaris incutiatur timor, in tanta maledicendi, imprecandique conſuetudine, id genus maxime, quod ex S. Gregorio notavimus; quodque frequentiſſimum eſt in diaboli hoſtis noſtri irreconciliabilis nomine, ut quisque merito ſibi imputet, ſi ad nefanda, continuo inſidias ſtruens, vota adeſſe a Deo iuſto permittatur iudicio: quod enimvero niſi tanta foret temperatum benignitate, quot quæſo non detineret adverſarius noſter diabolus, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret!*

Incantationes, ligaturæ, philacteria *Cap. 2. p. 137.*

LVII. Incantationum paſſim in ſcripturis veteris teſtamenti fit mentio, fuitque frequens, fato quodam ac piaculo primorum parentum, per ſerpentes, ut notatur pſal. LVII. Tertullianus *ad martyres* de diabolo *Fugiat*, inquit, *conſpectum veſtrum, & in ima ſua deliteſcat, contractus, & torpens, tanquam coluber excantatus aut effumigatus.* S. Augustinus de *Geneſi ad litteram* lib. XI. c. 28. de tentatione diaboli per ſerpentem quæſtionem movens, an ſerpens verba diaboli in ſe loquentis intellexerit? *T. III. pag. 288.* „Nam (addit) & quod putantur audire & intelligere ſerpentes verba *Marſorum*, ut eis incantantibus proſiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur ad cognoſcendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine ſubiiciat, & quid etiam voluntatibus malis ſapientiſſima poteſtate permittat, ut hoc magis habeat uſus, ſerpentes moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animantium. Etiam hæc enim non parva teſtatio eſt, naturam primitus humanam ſerpentis ſeductam eſſe colloquio. Gaudent enim dæmones, hanc ſibi poteſtatem dari, ut ad incantationem hominum ſerpentes moveant, ut quolibet modo fallant, quos poſſunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod ſit eis quædam cum hoc genere familiaritas."

T. II. Conc. p. 1208. Genus hoc ſuperſtitionis chriſtianiſmum etiam invaſiſſe ex concilio *Carthag.* IV. an. 398. can. 89. conſtat, ubi decernitur, auguriis vel incantationibus ſervientem a conventu eccleſiæ ſeparandum. Addatur con-

cilii

cilii *Agathenſis* can. 68. &, quem iam ſupra attulimus, conc. *Turonenſis* III. can. 42. relatus in capitular. CAROLI M. & LUDOVICI *Pii*, itemque in decreto BURCHARDI, IVONIS, & GRATIANI cauſa XXVI. q. 7. cap. 15. S. AUGUSTINUS lib. II. de doctr. Chriſt. de ſuperſtitionibus & artibus magicis agens: „Ad hoc genus (inquit) pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque diſciplina condemnat, ſive in præcantationibus, ſive in quibusdam notis, quas characteres vocant, ſive quibusdam rebus ſuſpendendis, atque illigandis, vel etiam aptandis quodammodo non ad temperationem corporum, ſed ad quasdam ſignificationes aut occultas, aut etiam manifeſtas: quæ mitiore nomine phyſica vocant, ut quaſi non ſuperſtitione implicare, ſed natura prodeſſe videantur: ſicut ſunt inaures in ſummo aurium ſingularum, aut de ſtruthionum oſſibus anſulæ in digitis, aut cum dicitur tibi ſingultienti: dextra manu ſiniſtrum pollicem teneas.“ Ipſum clerum quibusdam ſuperſtitionibus olim infectum fuiſſe, eluceſcit ex Concilio *Laodiceno* c. 36. ſtatuente: *Quod non oporteat ſacris officiis deditos, vel clericos, magos, aut incantatores exiſtere, aut facere phylacteria, quæ animarum ſuarum vincula comprobantur. Eos autem, qui his utuntur, ab eccleſia pelli præcipimus.* Hoc tamen ſpecie quadam pietatis factum, ex laudato mox canone concilii *Cabilonenſis* colligitur. Id quod S. CHRYSOSTOMUS in amuletis & phylacteriis, quorum alias facit mentionem, non tulit: „Amuleta (inquit) etſi de iis millies philoſophentur, qui ex iis rem faciunt, dicentes: Deum invocamus, & nihil amplius facimus, chriſtiana & fidelis eſt mulier, & quæ ſunt eiusmodi, ea res eſt idololatria.“ Libro VIII. adverſus *Iudæos* chriſtianos vehementer inceſſit ad *Iudæos* recurrentes, ad IOBUM, paralyticum, & LAZARUM in evangelio provocans: „Haud tamen (ſubdit) quærebat incantatorem, non petala circumligavit, non expertus eſt præſtigias, non veneficos ad ſe vocavit, nec aliud quidquam vetitarum artium tentavit; ſed prius habuit illis immori malis, quam ulla ex parte deſerere pietatem. Quam igitur veniam nos impetrabimus, qui, cum illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leve vulnus procurrimus ad ſynagogas, veneficos, ac impoſtores in ædes noſtras accerſimus?“ Et paullo poſt: „Itaque ne tantam nos provocemus iram. Etiamſi enim videantur aliqui febrem incantamentis ſedare, non enim vere eam ſedant: tamen aliam vehementiorem in conſcientiam inducunt febrem. . . . Hæc, ſtimulis quotidie pungens te ratio, flagellansque conſcientiam, dicet. Quæ igitur eſt hæc ſanitas, cum intus tam multas habeamus cogitationes accuſatrices? Quodſi perduraveris pauliſper, eosque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel

T. III. c. 20. p. 31.

T. I. Conc. p. 1513.

Hom. VIII. in Ep. ad Coloſſ.

T. I. p. 682.

pag. 683 ſq.

ligamina applicare corpori, nihil feceris, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus eieceris, protinus ab ipsa conscientia refrigerationem accipies. Etiamsi millies exurat febris; anima tua quovis liquore, quovis rore meliorem, utilioremque mitigationem adducet. Sicut enim postquam incantationem receperis sanus licet, miserius affectus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem, sic nunc quoque, etiamsi febricites, innumeraque patiaris mala; repulsis impiis illis, quovis sano homine melius, mente exultante eris affectus, anima gaudente, & exhilarata, conscientia laudante te, probante &c.“

Necromantia.

LVIII. Tertullianus post varia superstitionum gentilium genera officiasque dæmoniacas in apologetico capite 22. recensita, caput mox sequens de necromantia, qua mortui, dii manes evocabantur, umbræ & imagines responsa dabant, sic orditur: „Porro si & magi phantasmata edunt, & iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circulatoriis præstigiis ludunt, si & somnia immittunt, habentes semel invitatorum angelorum & dæmonum assistentem sibi potestatem, per quos & capræ & mensæ divinare consueverunt &c.“ S. Augustinus „sive hydromantia (inquit) sive necromantia id ipsum est, ubi videntur mortui divinare.“ Pertinet huc locus consultationum Zachæi christiani, & Apolonii philosophi lib. I. c. 13. quo Zachæus christianus Apolonio a) philosopho miraculis christi magorum peritiores, qui & mortuos suscitant, opponenti, sic respondet: „Nec me præterit magicis carminibus non mortuorum, sed dæmonum spiritus evocari, eosdemque per phantasiam paulisper simulare, quod non est: conditionem præterea addere falsitati, ut aut non visi respondeant, aut si videntur, obticeant: ut imprudentium vota debilia umbrarum illudat effigies. Defunctorum autem animæ resolutis corporibus ad sedes debitas perducuntur, ac pro meritis usque ad futuri iudicii diem vel in locis beatorum morantur, & subiectæ magorum invocationibus non sunt; aut quibusdam clausæ carceribus venire ad superna prohibentur: ita fit ut iisdem venire vel dedignantibus, vel retentis, eorum similitudinem dæmones fingant, ut & fallaciæ, quam diligunt, semper interfint, & credentes talibus veri imitatione frustrentur.“

pag. 22.

a

Fuit hæc vexatissima olim inter christianos doctores quæstio I. *Reg.* XXVIII. de pythonissa Samuelem evocante, quam imprimis copiose Origenes in eum locum disceptavit, adversarium postea nactus S. Eustatium *Antiochenum* episc. & confessorem; amborum vero dissertationes

a) De hoc aliisque veteribus magis pluribus tractat dell' Osa lib. II. c. 9.

nes ſunt inſertæ T. IV. *Bibl. PP.* ed. novæ *Venetæ* p. 541. &c. de engaſtrimytho ſeu ventriloqua. *Hoc eſt*, ut interpretatur S. BASILIUS in *Iſ.* VIII. 19. *qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obſeſſi, ipſo ſpiritu loquente, qui & de terra loquuntur, inania quædam effutientes.* Sic LXX. Intt. nominant Pythoniſſam in *Endor*, & S. AUGUSTINUS mulierem illam, quæ in actis apoſt. legitur habuiſſe ſpiritum pythonem. „Non enim (inquit) quia imago SAMUELIS mortui SAULI regi vera prænuntiavit, propterea talia ſacrilegia, quibus imago illa præſentata eſt, minus execranda ſunt: aut quia in actibus apoſtolorum ventriloqua femina verum teſtimonium (perhibuit) apoſtolis Domini, idcirco PAULUS apoſtolus pepercit illi ſpiritui, ac non potius feminam illius dæmonii correptione atque excluſione mundavit.“ *De doctrina chriſt. lib. II. n. 35. T III. p. 33.*

LIX. Pertinent huc arioli, ad quos vel magos, qui declinaverit interfecturum ſe Deus de medio populi ſui, *Lev.* XX. 6. denuntiavit. Et v. 27. *Vir ſive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur: lapidibus obruant eos: ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Sic *Deuter.* XVIII. *Non inveniatur in te, qui ariolos ſciſcitur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, aut quærat a mortuis veritatem.* Hæc omnia ſibi impietate coniuncta noverat mulier Pythoniſſa a SAULE expetita ſic reſpondens I. *Reg.* XXVIII. 9. *Ecce tu noſti, quanta fecerit* SAUL, *& quomodo eraſerit magos & hariolos de terra.* S. PETRUS *Chryſologus* ad iſtud etiam genus necromantiæ reſpicit, dum ſerm. XVIII. a variis huiusmodi diabolicis ſuperſtitionibus fideles avocat. *Modo eſt*, ait, *fratres, ne nos infidelitas ad eorum revocet ſervitutem: non laqueemur auguriis, non divinatione fallamur, non capiamur ſortibus, non a manibus inducamur, non ſeducamur mortibus, non peſtibus anhelantibus captivemur.* In concilio *Ancyrano* an. 314. pœnitentia quinque annorum, *ſecundum regulas antiquitus conſtitutas*, decernitur c. 23. in eos, *qui auguria vel auſpicia, ſive ſomnia vel divinationes quaslibet ſecundum morem gentilium obſervant, aut in domos ſuas huiusmodi homines introducunt, in exquirendis aliquibus arte malefica, aut ut domos ſuas luſtrent.* Divinationes, obſervationes vanæ. *pag. 33. T. I. Conc. pag. 1475.*

Reliquias eiuſcemodi paganiſmi proclivius erat adhuc tunc ſerpere, cum neque ad hodiernum diem penitus omnes eiusmodi ſuperſtitiones valuerint aboleri, ſpecie quadam veritatis, aut etiam religionis deceptis plerumque hominibus: quod de quodam ſuperſtitionis genere adhucdum graſſante, res ſc. occultas per ſpecula aliasque res pellucidas aqua e. c. dete-

detegendi, obſervat Io. *Sarisberienſis* lib. II. *de nugis curialium* c. 27. „Fruſtra ſibi (inquit) ſpecularii blandiuntur, quod nihil immolant, nulli nocent, ſæpius proſunt, dum furta detegunt, maleficiis purgant orbem, & ſolam utilem aut neceſſariam appetunt veritatem.“ Diſputat deinceps ad mentem antiquorum Patrum, quod maligni ſpiritus interdum futura prænoſcunt. *Nihil enim norunt*, ut loquitur S. ANTONIUS apud S ATHANASIUM in oratione ſæpius citata, *quod nondum extet: ſolusque Deus novit omnia, antequam fiant. Illi vero ſiqua viderint, quaſi fures concitato curſu referunt.* Et poſtea: *Ita exorta olim ſunt gentilium oracula, & ita illi olim a dæmonibus decepti ſunt: ſed fallacia invenit finem. Venit enim Dominus, qui dæmones cum vafritie illa ſua de medio ſuſtulit. Nihil quippe illi a ſe ipſis norunt; ſed quaſi fures, quæ apud alios cernunt, hæc loquuntur: potius coniecturare dicendi ſunt, quam prævidere.* Aliam fallaciam detegit S. AUGUSTINUS, *aliquando iidem nefandi ſpiritus*, inquit, *etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut divinando prædicunt.*

T. VII. Bibl. PP. p. 643.

Lib. II. de Geneſi ad lit. c. 17.

Libro II. *de doctrina Chriſt.* poſtquam capite vigeſimo primo, & ſequenti, multa diſſeruiſſet S. AUGUSTINUS de illo genere pernicioſæ ſuperſtitionis, quo obſervatione, conſtellationeque ſiderum ad cognoſcendam vitæ ſeriem paſſim ſunt abuſi etiam ad noſtra uſque tempora, *qui genethliaci propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur*, ſic concludit n. 34. & 35. „Quare iſtæ quoque opiniones quibusdam rerum ſignis humana præſumtione inſtitutis ad eadem illa quaſi quædam cum dæmonibus pacta & conventa referendæ ſunt. Hinc enim fit, ut occulto quodam iudicio divino cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis, quibus iſta mundi pars infima ſecundum pulcherrimum ordinem rerum divinæ providentiæ lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus & deceptionibus evenit, ut iſtis ſuperſtitioſis & pernicioſis divinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur, multaque obſervantibus ſecundum obſervationes ſuas eveniant, quibus implicati curioſiores fiant, & ſeſe magis magisque inſerant multiplicibus laqueis pernicioſiſſimi erroris.“

T. III. p. 33.

Quod perinde dici poteſt de innumeris vulgi obſervationibus ſeu vana obſervantia in ſe quidem futili ac inani, ut tamen nil obſtet quo minus Deus iuſto iudicio eventum, malumque omen, quod ſuperſtitioſe præſagiebatur, quandoque permittat, ac detur locus diabolo ad temporale & ſpirituale animæ detrimentum: ab hoc ſiquidem ſimpliciores ignoran-

tia

tia excuſet, non tamen rerum cauſas doctos, quales ex officio eſſe animarum paſtores, aliosque dedocere errorem debent. S. AUGUSTINUS, poſtquam varia huiusmodi in medium attuliſſet, lepido CATONIS conclu- *Ibid. n. 31.*
dit dicto, qui cum eſſet conſultus a quodam, qui ſibi a ſoricibus eroſas ca- *p. 32.*
ligas diceret (quæ res erat mali ominis) reſpondit, non eſſe illud monſtrum, ſed vere monſtrum habendum fuiſſe, ſi ſorices a caligis roderentur.

LX. Multa GRATIANUS in ſuo decreto P. II. cauſa XXVI. ex veteri- Sortilegia.
bus conciliis, collectionibusque canonum, ac ſummorum Pontificum reſcriptis q. 5. congeſſit, imprimis etiam contra temerarias & ſuperſtitioſas ſortes, ſub nomine fictæ religionis, quas Sanctorum ſortes vocant concilia *Agathenſe* can. 42. & *Aurelianenſe* I. can. 9. reprobantque; *Petrus* PITHÆUS vero formulas precum ex mſc. *Pariſ.* collectioni canonum adiecit hoc exordio: *Incipiunt ſortes ſanctorum apoſtolorum, quæ nunquam fallentur aut mentientur &c.* Variæ enimvero poſſunt eſſe divinatoriæ ſortes, de quibus aliisque ſuperſtitionum magicarum generibus Canoniſtæ ad titulum Decretalium *de Sortilegiis* tractant; eoque paſſim etiam reducunt illum VII. *Decretal.* lib. V. tit. 12. *de maleficis & incantatoribus.*

LXI. Supereſt demum illa tentationis diabolicæ ratio, qua maxime Incaſſum
allectat cacodæmon rerum cupidum genus humanum, quove ariete tertio prorſus ad
non horruit ipſum Chriſtum dominum aggredi. „Bis iam victus erat theſauros
(ſunt S. IRENÆI verba) de ſcriptura diabolus, cum eſt traductus, contra- eruendos.
ria præcepto Dei ſuadens, & ſecundum ſententiam ſuam Dei hoſtis oſten- *Lib. V. contra hæreſes*
ſus. Qui & magne confutatus, & quaſi ſemetipſum colligens univerſam, *c. 21. pag.*
quam habebat virtutem, in mendacio ordinans, tertio oſtendit ei ſæculi *318. ſeq.*
regna omnia dicens, quemadmodum meminit LUCAS: *Hæc omnia tibi*
dabo, quoniam mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea, ſi procidens ado- *Luc. 4, 6. 7.*
raveris me.“ *In mendacio* dicit; hinc capite mox ſequenti „Deinde *Ib. p. 320.*
(ſubdit) nec illa itaque quæ promiſit, præſtabit. Quomodo enim præſtabit ei, qui cecidit? Deinde, quoniam dominatur hominibus, & ei ipſi Deus, & nolente Patre noſtro, qui eſt in cœlis, neque paſſer cadet in terram. Illud igitur quod ait: *Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea;* ut in ſuperbiam elatus ait. Neque enim conditio ſub eius poteſtate eſt: quandoquidem & ipſe unus de creaturis eſt. Neque ipſe hominum regnum attribuet hominibus; ſed ſecundum ordinationem Dei Patris, & cætera quæque, & quæ ſunt erga homines, diſponuntur. Dominus autem ait: *Quoniam diabolus mendax eſt ab initio, & in veritate* *Ioan. 8, 44.*
non ſtetit. Si itaque mendax eſt, & non ſtans in veritate, videlicet non

verum dicebat: *Quoniam hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea*; ſed mendacium loquens." Add. c. 24. n. 3. Perinde etiam patrem mendacii ob idem inceſſit S. GAUDENTIUS *Brixienſis* ſerm. XVIII. *de villico iniquitatis.* „Qui (inquit) Chriſti rerum omnium conditori auſus eſt regna mundi promittere, ſua illa eſſe impudenter aſſerendo. *Hæc omnia mea ſunt*, inquit, *& cui volo, do ea. Tu itaque ſi procidens adoraveris me, erunt tua omnia.* O inenarrabilis Chriſti patientia, quæ idcirco tentatorem loqui permittit, ut ſuſcepto homini artem prœliandi, atque vincendi, in ſemetipſo demonſtraret! O effrenis diaboli mendacis audacia! Deum ſentit, & tentat: Dominum novit univerſæ creaturæ, cui ſua eſſe mundi regna mentitur, & ei ſe largiturum poſſeſſionem creabilium pollicetur, per quem creata eſſe omnia non ignorat. Ab initio *enim, ſicut ſcriptum eſt, homicida fuit diabolus, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo.*"

pag. 133.

Innumeros enimvero deluſit, deluditque mendax ſpiritus, quotquot ab eo aliquid accipere poſſe ſperant rerum huius mundi paupere nimirum diabolo. Commode opportuneque huc adplicatur S. MACARII *Ægyptii apophthegma* XXIV. qui aliquando præteriens per *Ægyptum* unacum fratribus, audivit puerum ita matri ſuæ loquentem: *Mater, quidam dives diligit me, & odi eum, pauper vero odit me, ac eum diligo. Quo audito ſermone admiratus eſt abbas* MACARIUS. *Dicunt ei fratres: quid hoc verbi eſt, Pater, quod affectus ſis admiratione? Reſpondit illis ſenex: Revera Dominus noſter dives eſt, diligitque nos, nec volumus illi obtemperare; inimicus autem noſter diabolus pauper eſt, odioque nos proſequitur, & diligimus eius impuritatem.*

T. IV. Bibl. PP. p. 229. T. II. opp. p. 255.

Multiplici autem hic homines decipit fallacia, dum pauper promittit, quod non habet; deinde ſpecie religionis fallit, oratione nempe, quam *Chriſtophori* vocant: &, quis credat? paſſim dementat homines, ut per eam divitias a diabolo ſe ſe accepturos ſperent novo, putido, anilique mendacio, ac ſi CHRISTOPHORUS Chriſtum infantulum per mare transportans, theſauros omnes in naulum a Chriſto acceperit in mari deliteſcentes. Tota autem fabula ex pictura ſymbolica accepit originem, qua CHRISTOPHORI etymon explicatur, quemadmodum IGNATIUS M. utitur nomine θεοφόρος in inſcriptione epiſtolarum, idemque ei tribuitur in martyrio & vita illius, itemque actione I. concilii generalis VIII. & alibi, ut annotat COTELERIUS, variasque eius appellationis rationes examinat not. 2. in epiſtolam S. IGNATII I. ad *Epheſios*. Frequens admodum, ſi uspiam alibi in noſtris terris eſt hoc ſuperſtitionis genus ac impietas, peccatumque in diœceſi *Conſtantienſi*, late per *Alemanniam* patente, epiſcopo a non multis annis reſervatum.

LXII.

LXII. Cum vero ſemper in eccleſia agnitum ſit, ſuperſtitioſum eſſe omnem illum rerum uſum, qui ſine verbo Dei & eccleſiæ doctrina fit, ſi in præſcriptis aliquibus ritibus, & obſervantiis, quarum rationabilis cauſa reddi non poteſt, fiducia collocatur, certo aliquem exſpectandi eventum, quem res illa nec ex natura ſua, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione aut approbatione eccleſiæ producit, locum habere poteſt regula illa TERTULLIANI iam allata, *nihil non diaboli eſſe, quidquid Dei non eſt*: non quod diabolus aut poſſit aut velit præſtare quidquam hominibus, ſed eo tantum, ut fallat, in errorem deducat, & ſuperſtitionem, ſicque ſibi obnoxios reddat, ac ſecum in perditionem abducat mortales, quos peſſime odit, nihilque non in eorum perniciem tentat, fideles etiam a ſe alienos; unde omni modo ab eius inſidiis cavendum eſt. „Quantum ille (monet S. GAUDENTIUS *Brixienſis* Serm. XVIII. *de villico iniquitatis*, quem diabolum interpretatur) in opere iniquitatis ſuæ nocendi peritus eſt, tantum nos ſtudiis ſalutaribus eruditi, & ab omni prudentia inſtructi, atque armati eſſe debemus, *induentes* nos ipſos *loricam fidei*, *& galeam ſalutis*, *& gladium Spiritus*, *& ſcutum inexpugnabile æquitatis*, *in quo poſſimus*, ut hortatur apoſtolus, *omnia nequiſſimi ardentia extinguere*, ne nos incautos ſuggeſtionum ſuarum ſpiculis ubicumque configat, ne inermes opprimat, ne interficiat dormientes, ne & vigilantes & armatos, ſi uſum belligerandi neſciamus, interimat. Prudentiores enim reperiuntur interdum ſpiritus immundi, quos filios ſæculi, id eſt *tenebrarum filios* Dominus nuncupat, *quam filii lucis*.“

Cum diabolus nocere tantum intendat impia ſuperſtitione.

De Spect. c. 24. p. 83.

De cultu fem. c. 7 p. 153.

p. 186.

LXIII. Quod quidem uti de omnibus recte dicitur, qui ſe fallacia maligni ſpiritus abduci ſinunt, de illis tamen potiſſimum valet ſimplicioribus plerumque ac obtuſioris ingenii, aut ſexus debilioris hominibus, qui variis his modis in aberrationem ducuntur. Vitio temporum multi medio ævo, ac deinceps ob reconditiorem ſcientiam, vel artem pro magis ſunt habiti e. c. GERBERTUS ex archiepiſcopo *Remenſi* SILVESTER II. Pontifex *Romanus*; *Ioannes* FAUSTUS inter primos artis typographicæ inventores, *Pariſiis*, ut perhibent, dum exempla typographica pro manuſcriptis venditaret, in ſuſpicionem magiæ atque examen vocatus. Sed his miſſis, eos hic petimus, qui inani ducti perſuaſione, ac ſpe, magicis ſeſe ſuperſtitionibus dedentes, in laqueum incidunt diaboli, quo nullum infeſtius eſt religioni malum: quod quidem ex opinione vulgi eximendum omnino eſt; ne occaſio relinquatur deſperatis & malitioſis ad diabolum recurrendi, atque ab eo aliquid magicis præſtolandi artibus & ſuperſtitionibus.

A qua tantopere cavendum.

Vid. Naudæi Apolog. virorum de magia falſo ſuſpectorum.

Quare, licet nunquam ſatis nobis ab eius infeſtationibus caveamus, timeamusque, viciſſim tamen in alterum extremum labi proclive eſt, ut

timeamus, ubi non eſt timor, nimia anilique credulitate, ac perſuaſione de phantaſticis ſomniis, imaginationibusque ſtrigium ſtrigonumque, ſeu præſtigiatorum, eorumque veneficiis ac faſcinationibus: ut ſi etiam non iam nihil omnino eſſe concedatur magia, ea certe vis minime tribuatur, quæ ad nutum libidinemque cuiusque a diabolo exagitatæ vetulæ, aut ipſius diaboli nocendi cupiditatem, præſto ſit, atque orbem maleficiis, veneficiisque impleat: tametſi non negemus, Deum iuſto iudicio, ut olim, ita etiamnum permittere a) poſſe infeſtationes huiusmodi & faſcinamenta: effectusque veneficos, & præſtigioſos, quibus ſenſibus & imaginationi illudunt, cuius cum ſuapte natura tantæ ſint vires, ut MURATORIUS oſtendit, aliique, eo magis etiam dæmonum impoſturis offuciisque obnoxia eſt, fraudibus & fallaciis unice genus humanum in præceps agere laborantium, contrariis etiam ſtudiis, ut factum animadvertere licet hac ipſa in re: dum veritatem ſuæ nocendi libidinis mendaciis ac falſitate, ſuperſtitionis fovendæ cauſa obfuſcarunt ſemper, ex gentiliſſimo ſemina ſuarum præſtigiarum ac ſuperſtitionum magicarum in ipſum Chriſtianiſmum ſpargentes, falſa etiam veris miſcentes, atque confundentes tempora ipſasque divinas ſcripturas, diverſas item narrationes & opiniones hominum.

a

Concione de Lazaro T. I. p. 728.

„Decipiunt enim auditores (ut cum S. Io. *Chryſoſtomo* loquar) quapropter & PAULUS ipſis tametſi vera dicentibus impoſuit ſilentium, ne ex veris nacti occaſionem, poſt admiſcerent mendacia, fidemque ſibi conciliarent. Cum enim dixiſſent, *Iſti homines ſervi Dei altiſſimi ſunt, annuntiantes vobis viam ſalutis*, dolens apoſtolus increpavit pythonem, atque exire iuſſit. Et tamen quid mali dicebant? *Iſti homines ſervi Dei altiſſimi ſunt:* ſed quoniam plerique ſimpliciores non norunt ſemper diiudicare, quæ a dæmonibus dicuntur, ſemel eos excluſit a fide. Ex infamium numero es (inquit) non eſt tuum libere loqui, tace, obmutesce; non eſt tuum prædicare, apoſtolorum iſta eſt auctoritas. Quid uſurpas, quod tuum non eſt? Sile, infamis es. Sic & Chriſtus dicentes ipſi dæmones, *Novimus te, qui ſis*, increpavit multa cum acrimonia: nobis præſcribens, ne quo pacto dæmoni fidamus, etiamſi tibi aliquid veri loquatur, fugiamus eum & averſemur. Nam ſana dogmata ſalutiferaque non a dæmonibus, ſed ex divina ſcriptura licet exacte diſcere.“

Ne tamen in alterum incredulitatis extremum prolabamur.

LXIV. At noſtro demum ævo diabolus hyperaſpiſtas hic hominum illud genus invenit, qui, quod omnia pernegent, explodantque ceu vulgaria, ſibi ſuffeni, ſublimes ſpiritus haberi amant: nempe iuxta S. AUGUSTINUM

a) Vid. P. *Iordan.* SIMON die Nichtigkeit der Hexerey und Zauberkunſt p. 287. 288. edit. 2.

GUSTINUM *vulgo etiam magnos ſpiritus ſuperbi habere dicuntur; & recte, quandoquidem ſpiritus etiam ventus vocatur.* Ecquis vero crederet, qui ita turgidi ſunt ſpiritu, ut potiſſimum materialiſmo eſſe infectos, atque in hoc etiam eidem patrocinari, dum dæmones e rerum natura tanquam non entia, & a commercio ſocietateque humana penitus excludunt: nec verentur dæmonologiam ceu præiudicium *Iudaicum* exſibilare, cui ſe CHRISTUS & apoſtoli accommodarint, duro ſcilicet & ſuperſtitioſo populo. Quæ certe a blaſphemia nihil abeſt, Chriſto, qui eſt ipſa veritas, aut eius apoſtolis & evangeliſtis imputata ſimulatio; imo quod animus horret dicere, aperta foret contradictio in Chriſto, dum *Sadducæos*, qui *dicebant non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpiritum Matth.* XXII. 23. palam impugnat, PAULUS autem publice ſe *Phariſæum*, qui *utraque confitentur*, declarat.

De ſermone Domini in monte lib. I. n. 3. T. III. P. II. p. 166.

Act. 23. 8.

Haud procul adeo abeſſe videtur, etiam ex Catholicis non nemines eo tandem opinione abduci, ut dæmonologiam omnem ipſaque dæmonia infeſta hominibus inter entia rationis cum *I. Sal.* SEMLERO profeſſore *Halenſi* reponant, qui, quidquid in ſacra ſcriptura de dæmonibus dæmoniacisque legitur, in allegoriam detorquet, modumque ac notionem clamat ex ſuperſtitione gentilitia, *Iudaica*que aſſumtam, ut nuperrime iterum mentem ſuam SEMLERUS expoſuit, atque a *Io. Caſp.* LAVATERO celebratiſſimo orphanotrophii *Turicenſis* eccleſiaſte provocatus in cauſa *Gaſſneriana* arbiter, non tantum detrectavit conditionem, ſed etiam novis conatibus ſuam aſſeruit ſententiam, ob quam aliaque paradoxa apud ſuos etiam male audit, conciliavitque ſibi odia, de quibus in reſponſoriis ad cl. LAVATERUM ipſe conqueritur; omnia vero ſuſque deque habet, nec latum cedens unguem; neque obteſtationibus concedit amiciſſimi LAVATERI, etſi eius cum bonis omnibus ſuſpiceret ſinceritatem, æquanimitatemque coniunctam cum ſingulari ſtudio religionis, quo adductus accurato, rigidoque examini ſubiicienda exiſtimavit, quæ fama ferebantur tam crebra, tot ac tantis teſtimoniis, relationibusque aſſerta, quibus tam facile fidem detrectare haud liceret, de rebus ſtupendis geſtis in nomine IESU: ita eius nominis virtutem perſpectam LAVATERUS reveritus ex promiſſione Chriſti toties in evangelio, ut paullo poſt videbimus, teſtata verbis & opere contra dæmones omnemque virtutem inimici, nec quidquam ſe in transverſum agi paſſus eſt a SEMLERO in alia omnia eunte, ſuisque obſtinate inhærente præiudiciis, ac adoptatis erroribus, quos mundo ſua opinione faſcinato, perinde ac ſuperiore ſæculo BEKERUS, ut obtrudat, nihil non molitus eſt, amice quidem adverſus LAVATERUM modeſtiſſimum ac SEMLERI imprimis ſtudioſum, ut legere eſt in litteris

ac ſcriptis, quæ amœbæa in hoc argumento ab ipſo SEMLERO *Halæ Mag. deb.* edita anno ſuperiore proſtant.

Alii dum contra Dei ſapientiam, bonitatem & iuſtitiam pugnare clamant, ſiquidem permittere dicatur homines a diabolo ad mala induci, aut male haberi, ipſi potius *Manichæiſmo* aliisque monſtris opinionum & errorum circa originem mali locum dant, pugnamque inter divina attributa, ut nuper BÆLIUS, conſtituunt: perinde enim ſapientiæ & bonitati repugnare diceretur permiſſio mali generatim in rerum natura, ſive illud ab homine, ſive a dæmone, ſive utrinque, prout rem prima mox vet. teſt. pagina *Gen.* III. pandit, oriatur. Nihilominus ſemper & ubique fieri coram cernimus, ut homo homini mala inferat, mutuoque igne, ferro arctiſſima naturæ ſocietate coniuncti homines graſſentur, invicemque bello concidant; a diabolo autem genus humanum tentari infeſtarique in anima vel corpore ſanctitati Dei repugnet, ac divina inter ſe committat attributa? Dum nihil penſi habetur, auctoritatem divinæ ſcripturæ, atque adeo Dei veritatem fundamentumque religionis chriſtianæ in lapſu hominis, a Chriſto e ſervitute Diaboli redemti, labefactari. Sic dum ſuperſtitioni aditus clauditur, impietati irreligionique aperitur ianua; vulgi credulitate prætexta, fides in diſcrimen vocatur.

Nec dicant poſt Chriſtum igitur ſaltem, qui *exſpolians principatus*
Col. 2, 15. *& poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans in ſemetipſo*, ceſſent infernalis hoſtis inſidiæ: quandoquidem nobis Chriſtus non ſolum exemplum, ſed vires etiam & præſidium pariter de eo ad immarceſſibilem gloriæ coronam triumphandi conceſſit. Satius igitur eſt ac omnino neceſſarium, armare ad prœlium, cautosque reddere adverſus inſidias, quam incurios ac veluti ſecuros, quaſi vero nullus immineat, aut in inferno religatus ſit hoſtis, a quo nihil adeo timendum.

Ex toto tractationis huius noſtræ complexu eluceſcet, quam aliena ſit hæc perſuaſio a ſententia eccleſiæ, aſſerta, ac comprobata in S. liturgia ac SS. Patrum traditione: iuxta eam quam ſemper eccleſia catholica inviolabilem tenuit regulam, tenetque ſecundum præſcriptum concilii *Tridentini*, ac formulam iuramenti fidei interpretandi S. ſcripturam (in qua a principio veteris teſtamenti, usque ad finem novi dæmonurgia manifeſtatur) iuxta unanimem SS. PP. conſenſum, quem non tot teſtimoniis comprobatum damus, quin multo adhuc plura afferre in promptu eſſet. Scio equidem hanc accumulatis auctoritatibus ſcribendi methodum, theologicam ſcilicet, nauſeaturos illos, qui depravatæ ſuæ labe originali indulgentes rationi, philoſophari in hoc argumento amant. Edicant vero hi tales, quid ſuapte natura, omnem cognitionem noſtram ſenſuum adminini-

culo

culo percipientibus nobis, ſanæ pneumatologiæ ſuppetat ſine revelatione? qua remota, illi mihi multo minus immortalitatem animæ, ac ſpiritualem eius naturam ab animabus brutorum diſtinctam demonſtrabunt, quam ego illis ex conſtanti eccleſiæ ac SS. Patrum traditione perſuaſero dæmonurgiam, quam explicare allaboro, eccleſiæ equidem iudicio relinquens, ut definiat, an a blaſphemia abſit illa, quæ cancri inſtar ſerpit, ſententia, non SS. Patres tantum ſed & apoſtolos Chriſti, ipſumque Chriſtum verbum Dei in dæmonologia errori vulgari *Iudæorum*, gentilium, ac philoſophorum ſeſe accommodaſſe, ne ob rem parvi, ut dictitant, momenti, animos a ſe alienarent.

Exiſtimandum eſt hoc maximum hoſtis, noviſſimis appropinquantibus temporibus, ſtratagema, ut dum procul abeſſe creditur, eo tutius, ex improviſo ſine omni obſtaculo pro lubitu graſſetur; locumque hic cum primis habet, quod ſtrenuus contra diabolum pugil S. Macarius dudum poſt S Antonium, integro ſermone ſuos commonendos duxit: „ut enim (inquit) præcedens ſermo monſtravit, ars hæc eſt ſatanæ; quodam tempore de induſtria ſe abſcondere, ac quaſi receſſiſſet, intermittere operari, quæ ſolebat; hoc ſpectantis, ut arrogantem ſui fiduciam parum cautis ſpiritualibus ingeneret.“ Quis enim vero ſibi a technis calidiſſimi ſerpentis, quam acutus etiam ſibi videatur, ſatis caveat? *Serm. de charitate c. 31. T. II. p. 179.*

Cum nobis, ut vidimus, ſacræ ſcripturæ ac omnis retro antiquitas hoſtis quaquaverſum imminentis inſidias prodant, ſuperſedendum eſt a curioſis quæſtionibus, quomodo dæmon intima noſtra penetret, atque infeſtet: quæ præciſe ſint, quave ratione effectum eat, quibus nos inceſſit, mala ſive quoad animam, ſive quoad corpus. S. Augustinus lib. III. de *Trinit.* n. 18. illum *Exodi* VIII. locum præ oculis habens *Digitus Dei eſt hoc*, ubi nempe magi alia potuerunt, permittente Deo, alia non potuerunt effingere, quæ Moyses coram Pharaone fecit portenta: „Quid autem (inquit) poſſint per naturam, nec poſſint per prohibitionem, & quid per ipſius naturæ ſuæ conditionem facere non ſinantur, homini explorare difficile eſt, imo vero impoſſibile, niſi per illud donum Dei, quod apoſtolus commemorat dicens: *Alii diiudicatio ſpirituum &c.*“ *T. VIII. p. 802.*

Id nobis certum eſſe debet, qualescunque ſint ſatanæ infeſtandi vires, ac quicunque modi, poteſtatem Chriſtum reliquiſſe eccleſiæ ſuæ ſuper omnem virtutem inimici; neque vero orthodoxis dubia eſſe poteſt, aut debet, quæ hactenus viſibilis eccleſiæ nota contra diaboli operationes in obſeſſis corporibus conſpicua conſtanter fuit, fruſtra reclamantibus eccleſiæ hoſtibus, uti olim *Iudæis* Chriſto: ad quod exemplum provocat Paulinus in vita S. Ambrosii n. 15. deridentibus *Arrianis* „tantam Dei gratiam„ *T. IX Bibl. PP. p. 25.*

tiam, quam ecclesiæ suæ catholicæ Dominus Iesus meritis martyrum suorum conferre dignatus est: venerabilemque virum Ambrosium narrabant pecunia comparasse homines, qui vexari ab immundis spiritibus mentirentur, atque ita ab illo, sicut & a martyribus se torqueri dicerent. Sed hoc *Iudaico* ore loquebantur *Arriani*, suppares scilicet eorum. Illi enim de Domino dicebant: *Quoniam in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Isti de martyribus, vel de Domini sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia, quæ per ipsos operabatur, immundi spiritus pellerentur, sed accepta pecunia se torqueri mentirentur. Clamabant enim dæmones, scimus vos martyres. Et *Arriani* dicebant: Nescimus esse martyres. Iam hoc & in evangelio legimus, ubi dixerunt dæmones ad Dominum Iesum: *Scimus te, quia sis Dei filius.* Et *Iudæi* dixerunt: *Hic autem unde sit, nescimus.* Sed non heic testimonium accipitur dæmonum, sed confessio. Unde miseriores *Arriani* vel *Iudæi*, ut quod confitentur dæmones, illi negent.“ Abst, ut his se filii veræ matris ecclesiæ consocient, temere eludentes argumentum hoc, quo ipso tam sæpe ad demonstrandam veritatem missionis suæ uti voluit Christus Iesus, atque *Gerasenum* illum a legione dæmonum liberatum se sequi volentem *non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui &c.*

Marc. 5, 19. *Luc.* 8, 39.

CAP.

CAPUT ALTERUM.

De exorciſmorum in eccleſia virtute, variisque excludendi dæmones ac eorum infeſtationes modis.

I.

De dæmonurgia communis SS. Patrum ſententia.

Siqui adhuc ſint, qui ad ea, quæ de dæmonurgia hactenus non tam operoſa quidem dicta ſunt diſquiſitione, ut non multa plura colligi potuiſſent, fidem detrectent, eos nos ad ABAELARDUM inſignem ſæculi duodecimi novatorem relegabimus, qui negavit, diabolum unquam ius aliquod in homine habuiſſe, licet, ut de eo S. BERNARDUS teſtatur, confeſſus, „quod omnes doctores noſtri poſt apoſtolos in hoc conveniunt, quod diabolus dominium & poteſtatem habebat ſuper hominem, & iure eum poſſidebat, ideo ſcilicet, quod homo ex libertate arbitrii, quam habebat, ſponte diabolo conſenſit. Aiunt namque, quod ſi quis aliquem vicerit, victus iure victoris ſervus conſtituitur. Ideo, (inquit) ſicut dicunt doctores, hac neceſſitate incarnatus eſt filius Dei, ut homo, qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis iure liberaretur a iugo diaboli.“ SS. Patrum eam in rem ſententias, quæve S. BERNARDUS l. c. contra ABAELARDUM communem illam Patrum traditionem floccipendentem diſputavit, collegit *Dionyſ.* PETAVIUS *de Incarnat.* lib. II. c. 5. ſeq.

Contra quædam capitula errorum Abaelardi ad Innoc. II. c. 5. T. II. p. 650.

Poteſtas eiiciendi dæmones iuxta evangelium.

II. Atqui vero SS. Patres S. ſcripturæ veſtigiis inhærent, uti hactenus vidimus, Chriſtum & apoſtolos diaboli tyrannidem in genus humanum verbis & operibus demonſtraſſe, coercuiſſeque, palam etiam & publice eiectis tot ex corporibus dæmonibus; ut de Chriſto omnis fere apud evangeliſtas pagina teſtimonium præbeat, quid & ipſe fecerit, qualemque ſuis poteſtatem dederit: veluti *Matth.* X. 1. ſolemni quodam ritu *convocatis duodecim diſcipulis ſuis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos &c.* Sic etiam dum apoſtolis prædicandi munus committit *Marc.* XVI. 17. primo loco notatur inter ſigna eos, qui Crediderint, ſecutura: *in nomine meo dæmonia eiicient &c.* Nempe ut iuxta apoſto-

lum *in nomine* Iesu *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum:* uti revera legimus dæmonia *Luc.* IV. 41. exiisse a multis clamantia & dicentia: *Quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum:* quod etiam *Marc.* I. 34. habetur. Dumque sic dæmones *credunt & contremiscunt, Iudæi* blasphemant, in *Beelzebub* eum eiicere dæmonia: nec deinceps defuere ex gentilibus, uti de Celso testatur Origenes mox libro I. contra eundem, qui magicis artibus tribuerunt miracula a Christo patrata; Iulianus autem apostata, teste S. Cyrillo *Alexandrino* omnes, quotquot unquam extiterunt incantatores, superasse effutit, Paulum, Petrum item, alibi tum omnes apostolos, ac ipsum Iesum sic blasphemans.

T. I. p. 356. n. 38.

Lib. III. contra Iul.

Neque vero soli apostoli donis, cum quibus potestas eiiciendi dæmones semper coniuncta fuit, pollebant: apud Lucam X. 17. reversi leguntur septuaginta duo cum gaudio dicentes: *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem:* confirmata iterum potestate *super omnem virtutem inimici.* Quin imo prohibentibus apostolis, ut *Marc.* IX. 37. narratur, quemdam in nomine Iesu eiicientem dæmonia, id improbat Christus.

Nihilominus dum, ut in *Actis* XIX. 13. legitur: „Tentaverunt quidam & de circumeuntibus *Iudæis* exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini: Respondens spiritus nequam dixit eis: *Iesum novi, & Paulum scio; vos autem qui estis?* Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa." Nempe erant filii septem *Iudæi* Scevæ principis sacerdotum Christianis adeoque adversi; secus ac ille *Marc.* IX. ut palam fit ex verbis Christi v. 38. 39.

Testimoniis a primis ecclesiæ sæculis demonstrata.

III. Ut autem ex superiore capite intelleximus, quam sint variæ & innumeræ inimici insidiæ, supereſt, ut iam deinceps de præsenti ac promta per Christum medela explicare pergamus argumentum, quemadmodum D. Paulus ad *Romanos* scribens in epilogo epistolæ precatur: *Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus vestris velociter.* Hac fiducia animatus S. Ignatius ad *Romanos* item scribens, quorsum ad martyrium ibat, Traiano iubente, confidenter cum cæteris tormentis, *mala*, petit, *diaboli tormenta in me veniant, tantummodo ut* Iesum *Christum nanciscar.* Generatim etiam Iustinus M. sæculo post Christum II. in dial. cum Tryphone, „Christi (inquit) nominis potentiam, dæmones tremunt, & reformidant, & hodie quoque illi per nomen Iesu Christi crucifixi

Patr. apost. T. II. p. 29.

pag. 247.

cifixi ſub PONTIO PILATO, qui *Iudæis* procuratorem egit, adiurati no- pag. 302.
bis parent." Et poſtea: „Et nunc nos, qui in IESUM Chriſtum credimus, dæmonia cuncta, ſpiritus malignos adiurantes ſub poteſtate eos noſtra habemus." Haud abſimiles ſententias legere eſt in eiusdem oratione ad gentes, utraque item *Apologia*, I. ad ANTONINUM *Pium*, alteraque ad ſenatum *Romanum*: „Quos (hic addit) alii adiuratores, & pag. 93.
incantatores & venefici veſtri non ſanaverunt, plurimi ex noſtris Chriſtianis per nomen IESU Chriſti ſub PONTIO PILATO crucifixi adiurantes ſanaverunt, & adhucdum ſanant, exarmantes atque exigentes ab hominibus eos, qui illos obſederunt dæmones." Ex eodem adhuc ſæculo S. IRENÆUS lib. II. adv. hæreſes cap. 20. „*Aſcendens enim*, inquit, *in* pag. 145.
altitudinem Dominus per paſſionem, *captivam duxit captivitatem*, *dedit dona hominibus*, *& contulit credentibus in ſe ſuper ſerpentes & ſcorpiones calcare*, *& omnem virtutem inimici*, id eſt principis apoſtaſiæ." Et cap. 32. „Alii enim (inquit) dæmones excludunt firmiſſime, & vere, ut etiam ſæpiſſime credant ipſi, qui emundati ſunt a nequiſſimis ſpi- pag. 166.
ritibus, & ſunt in eccleſia."

Eodem argumento PIONIUS M. ad erigendos lapſos in perſecutione Chriſtianorum uſus eſt apud RUINART. in actis ſinceris: *Dicite quæſo*, pag. 146.
inquit, *cuius hominis diſcipuli*, *qui ſit per vim mortuus*, *dæmonas tot per annos eiecerunt*, *facturique ſunt*? S. VINCENTIUS vero DACIANUM iudicem compellans, diabolumque indigitans: „Iſte eſt (inquit) quem cum ſatellitibus ſuis e corporibus humanis divina invocatione eiicimus; *Ib. p. 368.*
cui vos ſub vaniſſimis figmentis ritum profani cultus exſolvitis, & nova dementia creatori creaturam præfertis. Exarſit ergo diabolus adverſus chriſtianam fidem, & dum contemni ſe ac deſpici videt, ingemuit." Hæc in S. Martyris actis referuntur ad annum Chr. 304. SS. PIONII vero & ſociorum ad an. 250. ante hæc vero ad finem ſæc. II. ineunteque ac adoleſcente ſæculo III. primus ſcriptorum *Latinorum* TERTULLIANUS in Apo- pag. 22.
logetico adverſus gentes c. 23. palam & publice provocat: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris*, *quem dæmone agi conſtet*, *iuſſus a quolibet Chriſtiano loqui*, *tam ſe dæmonem confitebitur de vero*, *quam alibi Deum de falſo*..... *niſi ſe dæmones confeſſi fuerint*, *Chriſtiano mentiri non audentes*, *ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius? quid hac probatione fidelius? &c.* Et poſtea c. 43. de ipſa dæ- pag 34.
monum expulſione frequenti: *Quanti*, inquit, *habetis*, *non dico iam*, *qui de vobis dæmonia excutiant*, *non dico iam*, *qui pro vobis quoque vero Deo preces ſternant*, *ſed a quibus nihil timere poſſitis.* Et in ſequentis operis eiusdem argumenti ad SCAPULAM *Africæ* præſidem exordio ſtatim

pag. 69. *Dæmones autem*, inquit, *non tantum reſpuimus, verum & revincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, ſicut plurimis notum eſt*, Hæc referuntur capite ſecundo, plura mox capite quarto, & alibi paſſim, ut frequenter de omnis generis machinationibus dæmoniacis iam eius auctoritate ſupra uſi ſumus, perinde ac S. CYPRIANI, quem TERTULLIANO mox iungimus eodem adhuc ſæculo illuſtrem *Africæ* præſu-
pag. 3. lem ac martyrem, qui ad DONATUM ſcribens (quod primum inter eius opera ſcript. circa an. 246. legitur) „De Gratia Dei (hoc inter alia eius „donum recenſet) immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis ho„minibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere; ut re„cedant duris verberibus urgere; conflictantes, eiulantes, gementes, in„cremento pœnæ propagantis extendere: flagris cædere, igne torrere. Res „illic geritur, nec videtur, occulta plaga, pœna manifeſta &c.“ Et poſtea p. 133. ad DEMETRIANUM: „O ſi audire eos velles & videre, quan„do a nobis adiurantur & torquentur ſpiritalibus flagris, & verberum tor„mentis de obſeſſis corporibus eiiciuntur, quando eiulantes & gementes „voce humana, & poteſtate flagella & verbera ſentientes venturum iudi„cem confitentur. Veni & cognoſce vera eſſe, quæ dicimus.“ Ante S.
Bibl. PP. T. II. p. 397. CYPRIANUM MINUCIUS *Felix* in ſuo OCTAVIO palam ad ipſum Gentilium provocat teſtimonium n. 27. „Hæc omnia ſciunt (ait) plerique pars veſtrum, ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties a nobis tormentis verborum, & orationis incendiis de corporibus exiguntur. Ipſe *Saturnus*, & *Serapis*, & *Iupiter*, & quidquid dæmonum colitis, victi dolore, quod ſunt, eloquuntur: nec utique in turpitudinem ſui, nonnullis præſertim veſtrum aſſiſtentibus, mentiuntur. Ipſis teſtibus eſſe eos dæmones, de ſe verum confitentibus credite. Adiurati enim per Deum verum & ſolum, inviti, miſeri corporibus inhorreſcunt, & vel exſiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aſpirat. Sic Chriſtianos de proximo fugiunt, quos longe in cœtibus per vos laceſſebant. Ideo inſerti mentibus imperitorum odium noſtri ferunt occulte per timorem &c.“ ORIGENES in ſimili argumento contra CELSUM
T. I. p. 361. lib. I. n. 46. hæc inter alia etiamnum ſuo tempore, medio nempe tertio ſæculo, apud Chriſtianos donorum ſpiritus ſancti veſtigia agnoſcit: „Num (inquit) dæmonia eiiciunt, morbos curant, & volente verbo futura prævident? Irrideat licet CELSUS, aut *Iudæus*, quem introduxit, quod dicetur, dicam nihilominus multos ad religionem Chriſtianam acceſſiſſe velut invitos: ſpiritu quodam repente ſive per uſum ſive per ſomnium in illorum animos agente, atque ita illos immutante, ut, quod in illam conceperant, odium deponerent, & pro illa mortem oppetere ſtatuerent,

multa

multa eiusmodi novimus, quæ si scriberemus, tametsi illorum oculati testes fuerimus, benignam risus materiam præberemus incredulis, qui nos ex eorum ingeniis, quos talia finxisse norunt, iudicantes, hæc etiam a nobis conficta esse existimarent." Ad rem præsentem nihil hic opus est iis addere, quæ passim ex eodem auctore referimus, brevi excepta sententia ex eodem opere contra CELSUM lib. VII. „Non pauci (inquit) Christiani eiiciunt ex obsessis corporibus, idque sine omni curiositate magorum & veneficorum, sed solis precibus, adiurationibusque simplicibus."

LACTANTIUS, quem ex sæc. IV. primum nominamus lib. V. divin. institut. c. 22. *de furore dæmonum in Christianos* eandem, quam iam ex aliis attigimus causam, proferens „Non enim (inquit) ipsi homines persequuntur, qui causam, cur irascantur innocentibus, non habent: sed illi spiritus contaminati ac perditi, quibus veritas & nota est & invisa, insinuant se mentibus eorum, & instigant impios in furorem. Hi enim, quamdiu pax est populo Dei, fugitant iustos & pavent; & cum corpora hominum occupant, animasque divexant, adiurantur ab his & nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, & uri se verberarique testantur; & interroganti, qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti, excruciatique virtute divini nominis, exsulantur. Propter hæc verba & minas sanctos & iustos viros semper oderunt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odiis prosequuntur, quos sibi graves sentiunt." S. ANTONIUS abbas in sæpe laudata oratione ad monachos, quæ in eo versatur argumento, ut suis Panicum timorem, quem dæmones variis aggressibus & monstris incutiebant, eximeret animo, tum etiam ex potestate eiiciendorum dæmonum vanam gloriam; „Neque porro (inquit) decet eiiciendorum dæmonum virtute gloriari, neque de morborum curationibus extolli: nec eum, qui dæmonia eiicit, admirari, eum, qui non eiicit, despicere; sed singulorum exercitationem quivis ediscat, & vel imitetur, æmuleturque, vel corrigat. Nam signa facere non nostrum, sed Salvatoris opus est: quare discipulis ait: *Nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Nam quod nomina nostra in cœlis scripta sunt, virtutis vitæque nostræ testimonium illud est; eiicere autem dæmonia, Salvatoris donum."

T. IV. Bibl. PP. p. 323.

Ib. p. 647.

In progressu eiusdem sæc. IV. S. ATHANASIUS *de Incarnatione Verbi Dei* hoc etiam divinitatis eius argumentum extollit n. 18. „Nam illum dæmonibus imperare, eosque fugare non humanum, sed divinum opus est." Et postea n. 25. „Præterea si diabolus nostri generis hostis e cœlo delapsus

T. I. P. I. p. 62.

pag. 68.

lapſus circa hunc infimum aerem vagatur, ubi aliis dæmonibus utpote in contumacia ſui ſimilibus imperans, eorum opera homines ſeducit, & his, qui ſurſum ſunt, obſtare nititur: qua de apoſtolus: *ſecundum principem poteſtatis aeris, ſpiritus, qui nunc operatur in filiis contumaciæ.* Si inſuper venit Dominus, ut diabolum proſternat, aerem purget, ac nobis viam in cœlum per velamen, id eſt, carnem ſuam, ut ait apoſtolus, aperiat: denique ſi id morte faciendum fuit, quanam amabo, alia morte hæc potuiſſent peragi, niſi ea, quam in aere in cruce pertulit Dominus? Solus enim ille in aere moritur, qui in cruce vitam ponit. Quapropter huiusmodi mortem convenienter ſubiit Dominus. Hoc enim modo ſurſum elatus, aerem a diabolicis omnibusque dæmonum inſidiis purgavit, uti his verbis teſtatus eſt: *videbam ſatanam ſicut fulgur cadentem.*"

Libenter utor huius *de Incarnatione Verbi Dei* operis teſtimonio, cuius paſſim alii abutuntur quibusdam ſententiis, quibus poſt mortem Chriſti recte quidem, ut ſupra declaravimus, omnem virtutem diabolicam proſtratam aſſerit: „Nam (ut n. 32. loquitur) ſi Chriſtus mortuus iaceret, certe dæmones non fugaret, nec idola exſpoliaret; nec enim mortuo obtemperarent dæmones. Sed ſi eius nomine prolato palam fugantur, mortuum illum non permanere certiſſimum hoc indicium fuerit, præſertim cum dæmones, qui ea, quæ ab homine non videntur, ipſi vident, cognoſcere facile poſſent, an vere Chriſtus mortuus iaceret, nec proinde illi morem gererent. Nunc autem illum ipſum, cui impii non credunt, vident dæmones Deum eſſe, eamque ob cauſam fugiunt, ac coram eo procidunt, eadem, quæ olim, cum in corpore eſſet, dicentes: *Novimus te quis ſis &c.*" Adhuc apertius vero, quomodo per Chriſtum dæmones cum ſuis portentis magicis, præſtigiis, & veneficiis propulſentur, poſtea explicat n. 48. „Veniat & quisquis ea, quæ diximus, experiri cupit, atque in mediis ipſis dæmonum præſtigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis, ſigno crucis, quæ apud ipſos ludibrio eſt, utatur, ſolumque Chriſtum nominet: mox videbit, quomodo per ipſum fugentur dæmones, ceſſent oracula, ars omnis magica veneficaque evaneſcat... Quodſi magum eum eſſe dicant, qui fit, ut a mago omnis ars magica deſtruatur, & non potius confirmetur? Namque ſi dumtaxat homines magos viciſſet, vel uno tantum fuiſſet ſuperior, non immerito ſuſpicarentur, eum arte quadam præſtantiori fuiſſe victorem. Si vero de univerſa arte magica eiusque nomine crux Chriſti triumphavit; perſpicuum ſane inde fuerit, Salvatorem magum non fuiſſe, utpote quem dæmones, quos alii magi invocant, tanquam Dominum fugiunt."

pag. 74.

pag. 48.

Unum

Unum adhuc brevem eiusdem S. Doctoris locum aliunde, nempe *de passione & cruce Domini* adscribam: „Nam qui hactenus idololatræ fuere, atque Christum ut hominem calumniati sunt, eum deinceps idolis abnegatis, Deum agnoscunt: & quos in idolis dæmones reformidabant, ipsos agnito Domino demum deserunt, atque ex aliis pellunt: quam item, idololatræ dum essent, voluptatem metuebant, eam in Christo despiciunt: peccatumque, a quo pridem superabantur, iam signo crucis vincunt, ludibrioque habent." *T. II. p. 104.* Sic Eusebius *Cæsareensis* in opusculo a Sirmondo edito maiorem post resurrectionem Domini virtutem in dæmones agnoscit: „Sub præsentia (inquit) Domini unum dæmonem eiicere non poterant apostoli: post resurrectionem autem eius non solum illi, sed & hi, qui ab illis istius virtutis semen acceperunt, eiiciunt." *T. I. Opp. p. 197.* S. Hilarius vero Divinitatis Verbi in Occidente, ut S. Athanasius in Oriente invictus assertor, tempora ante & post Christum comparans in illud Psal. LXIV. 8. *Qui conturbat fundum maris*, dæmonia fundum maris interpretatur: „In harum enim, inimicarum virtutum fiducia sæculum consistebat, & hæc in invisibilibus sæculi huius profundis latebant. Sonus autem fluctuum cum fundo maris perturbatur. Turbato enim diabolo, omnia terroris sui ministeria turbantur: & ipse, quo gentes pavebant, adversantium potestatum sonus trepidat. Recordamur vatum murmura, & inconditos bachantium fremitus, & nonnunquam confuso audientium sensu incertum, nescio quid, simulacrorum æra sonuisse, omnem denique profano cerimoniarum cantu mundum resultantem. Nunc vero Domino Christo prædicato, silere omnia confutata & trepida, cum hi templorum & gentium dii virtute fidelium subiiciuntur ad pœnam: cum credentium verbis torquentur, laniantur, uruntur, & invisibiles nobis, atque incomprehensibiles naturæ verbo continentur, puniuntur, abiguntur, cum vates silent, cum muta sunt templa." *p. 167.*

S. Ioannes *Chrysostomus* etiam argumento hoc corruptos atque excusso metu sensuque æternarum rebus præsentibus deditos Christianos stringit Hom. XIII. in Matthæum: „Si enim (ait) nulli alii credis, dæmonibus saltem adsta, dum verberantur, iis scilicet, qui in perniciem nostram nihil non dicunt & agunt. Neque enim hoc negaturus es, ipsos nempe nihil non agere, ut desidiam nostram augeant, gehennæ metum auferant, efficiantque, ut futuro iudicio fidem negemus. Attamen, qui hæc cupiunt, clamantes & ululantes sæpe tormenta illic adhibita prædicant. Unde igitur hæc dicunt, &, contra quam volunt, loquuntur? Non alia de causa, quam quod maiori cruciatu cogantur. Neque enim vellent sponte confiteri, vel se a mortuis hominibus torqueri, vel se omnino *T. VII. p. 175.*

nino grave quidpiam pati. Qua ergo de cauſa hæc a me dicta ſunt? Quia dæmones, qui nolunt credi gehennam, tamen gehennam confitentur: tu vero, qui tanto dignaris honore, quique ineffabilium conſors es myſteriorum, nec illos imitaris, ſed etiam illis deterior factus es. *Ecquis*, inquies, *ab inferno venit, & hæc nunciavit? Sed & de cœlis quis venit, dixitque Deum eſſe, qui omnia creavit?*"

Noſtro proh dolor! hoc ævo non unum eſt ſcepticorum incredulorumque genus, quos hæc S. CHRYSOSTOMI argumentatio petit: quique cum magno numero eorum, quorum retulimus in eandem rem teſtimonia, ætatem illam excedit, quam paſſim neoterici acatholicique donis illis extraordinariis, quæ *gratiæ gratis datæ* vocantur, ſtatuunt ſuo ex ingenio, definiuntque, modum divinæ ponentes largitati. Signa infidelibus data eſſe, non fidelibus aiunt, apoſtoli ad ſuam infidelitatem abuſi auctoritate contra conſenſum omnium veterum ſcriptorum ac hiſtoriam temporum, experientiamque innumeris documentis, teſtimoniisque aſſertam, atque in eccleſia & ab eccleſia comprobatam, ſemperque conſpicuam in hoc præſertim, quod tractamus, argumento, poteſtate, inquam, eccleſiæ in dæmones conſtanter exercita, hodieque non ſpernendo, ad revocandam, aut roborandam vacillantem fidem, effectu, quod certis mihi indiciis, ſpontaneaque confeſſione quorumdam conſtat: ut adeo non fruſtra benigniſſimum Numen hæc invicta veritatis Chriſtianæ argumenta, firmamentaque nobis reliquerit, noſtris fortaſſe temporibus, ſi unquam alias, a quo tempore orbis in Chriſtum credidit, ſalutaria. Inſcribit S. AUGUSTINUS lib. XXII. caput octavum *de miraculis, quæ, ut mundus in Chriſtum crederet, facta ſunt, & fieri mundo credente non deſinunt.* Inter ea vero, quæ cumulate recenſet, non pauca ſunt, quæ ad noſtrum hunc pertinent tractatum de poteſtate in dæmones, quæ in vera Dei eccleſia conſpicua eſt, ac ſemper erit, tam certo, quam indubitato ex divina promiſſione *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

T. VII. p. 663.

Neque enim falſo eam ſibi adſcribit, omnium tractu ſæculorum, ex quo illam apoſtoli acceperunt a Chriſto, præſcriptam confirmatamque poteſtatem. „Sancta eccleſia (inquit S. GREGORIUS M. cuius auctoritate toties iam ad dæmonurgiam demonſtrandam ſumus uſi, utemurque porro) quotidie ſpiritualiter facit, quod tunc per apoſtolos corporaliter faciebat. Nam ſacerdotes eius, cum per exorciſmi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos ſpiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, niſi dæmones eiiciunt?" Quam ſententiam poſtea Ven. BEDA lib. IV. in cap. 16. MARCI his verbis expreſſit: „An non habemus de his ſignis atque virtutibus, quæ adhuc ſubtilius conſiderare debea-

Hom. XXIX. in evang.

T. V. p. 173.

beamus? ſancta quippe eccleſia quotidie ſpiritualiter facit, quod bene per apoſtolos corporaliter faciebat. Nam ſacerdotes eius cum per exorciſmi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos ſpiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, niſi dæmonia eiiciunt?"

IV. Perſpicuum eſt, hic agi de exorciſmis aliis, quam quorum uſus eſt in obſeſſos a dæmone corporaliter, imo quoad utrumque hominem: ſiquidem GELASIUS P. in iam laudata epiſtola ad epiſcopos per *Lucaniam* conſtitutos c. 21. in energumenis proprie ſeu ſtricte ſic dictis mentis abreptionem ſpectat, dum eos a ſacris miniſteriis arcendos ſciſcit: „Poſtremo (inquit) ſi corpore fortaſſis aut debilem, nequaquam ſancta contingere lex divina permiſit; quanto magis doni cœleſtis diſpenſatores eſſe non convenit (quod eſt deterius) mente percuſſos." Sunt hi duo illi celeberrimi Pontifices *Romani* GELASIUS & GREGORIUS M. quorum nomine etiamnum extant liturgiæ, ex quibus compoſitæ ſunt noſtræ *Alemannicæ*. Continent vero diverſi generis exorciſmos ſeu adiurationes rerum etiam inanimatarum ſalis, aquæ, olei &c. hodieque uſitatas; quarum exordium quoddam (ſc. *Exorcizo te per Deum verum*) in antiquiſſimis ſcriptoribus *Latinis* notatur. Sic S. CYPRIANUS *de idolorum vanitate* dæmonia homines obſidentia perſtringens: *Hi tamen*, ait, *adiurati per Deum verum a nobis ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur.* Item iam laudatus MINUTIUS *Felix*: *Adiurati per Deum verum & ſolum inviti & miſeri corporibus inhorreſcunt.* Et LACTANTIUS lib. IV. *divin. inſtitut.* c. 27. *Iidem dæmones adiurati per nomen Dei veri protinus fugiunt.* Voce tamen *Græca* (iam IUSTINO aliisque, quos modo citavimus, *Græcis* auctoribus frequentata) his omnibus vetuſtior antiquiſſimus ſcriptorum *Latin.* TERTULLIANUS utitur in lib. *de Idol.* c. 11. „Quo ore (inquit) Chriſtianus thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat? Ille quidem, ſi excluſerit dæmonium, non ſibi placeat de fide."

Exorciſmi.

T. IV. Bibl. PP. p. 305.

Alio ſenſu occurrit ea vox apud OPTATUM *Milevitanum* lib. II. *de ſchiſmate Donatiſt. Exorcizaſtis*, ait, *& laviſtis ſine cauſa parietes: ut hoc nequitiæ genere ſubrueretis ſimpliciſſimorum hominum mentes.* Et paullo poſt: *Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum ſanctum? altaria frangere? Euchariſtiam animalibus proiicere?* Quibus verbis oſtendit, ut pluribus explicat abb. DUGUET, quam inique templa Catholicorum, ac perſonas ſacras violaverint ceu prophanatas, lavando parietes, capita ſacerdotum radendo, rebaptizando præſertim, ut lib. IV. n. 6. obiicit: „Vos re-

pag. 42.

pag. 53.

Diſſ. ſur les Exorciſmes p. 86. ſeq.

rebaptizando exorcizaſtis fidelem, & dicitis Deo habitanti: *Maledicte exi foras*; ut compleatur, quod a Deo dictum eſt per prophetam EZECHIELEM: *Et maledicebant mihi in populo meo.*" Verba illa etiamnum in exorciſmo catechumenorum habentur, de quo S. AUGUSTINUS in lib. I. *de peccat. merit. & remiſſ.* c. 34. & paſſim alibi contra *Pelagianos* argumentum petit: „Vellem (inquit) aliquis iſtorum, qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non eſt? Ipſe certe mihi fuerat reſponſurus pro eodem parvulo, quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet. Quomodo ergo dicturus erat, eum renunciare diabolo, cuius in eo nihil erat? In veritate itaque non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur in parvulis."

Exorciſtæ. V. Vox ἐξορκίζω paſſim in novo teſtamento adhibetur, eaque Pontifex maximus erga Chriſtum uſus *Adiuro te*, inquit, *per Deum vivum*: ſic & *Iudæi* exorciſtæ tentaverunt invocare ſuper eos, qui habebant *Act. 19,13.* ſpiritus malos dicentes: *Adiuro vos per IESUM, quem Paulus prædicat.* Exorciſtarum apud *Iudæos* originem & modum admodum fabuloſum deſcribit IOSEPHUS lib. VII. *belli Iudaici* & lib. VIII. antiq. *Iudaic.* c. 2. Extat S. HIPPOLYTI Epiſc. & Mart. poſt initia ſæc. III. *de Chariſmatibus. Traditio apoſtolica*, ut inſcribitur, relata in *Conſtitut. Apoſt.* lib. I. c. *T. II. Bibl. PP. p. 500.* 1. & 2. intelliguntur autem ſigna eos, qui crediderint, ſecutura: *In nomine meo dæmonia eiicient &c.* „Quæ chariſmata (ita ibi) ſeu dona prius quidem nobis apoſtolis tradita ſunt, qui omni creaturæ prædicaturi eramus evangelium; poſtea vero neceſſario iis, qui per nos crediderunt, præbentur; non ad utilitatem ea operantium, ſed ad infidelium aſſenſionem; ut quibus non perſuaſit ſermo, hos virtus ſignorum flectat ac pudore afficiat. Signa enim non nobis fidelibus eduntur, ſed infidelibus, cum *Iudæorum* tum *Græcorum.* Neque enim dæmones eiicere noſtrum emolumentum eſt, ſed eorum, qui per Domini operationem purgantur; ſicut ipſe Dominus nos erudiens oſtendit, dicendo: *Nolite gaudere; quia ſpiritus vobis obediunt; ſed gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo*: quando illud quidem ipſius virtute fit; hoc autem noſtro affectu & ſtudio, nobis videlicet ab eo adiutis. Non ergo neceſſe eſt, ut omnis fidelis dæmones expellat, aut ſuſcitet mortuos, aut linguis loquatur; ſed is, qui chariſmate dignatus eſt propter aliquam cauſam utilem ad ſalutem infidelium, qui ſæpe non ſermonum demonſtratione, ſed ſignorum operatione commoventur, quippe digni ſunt ſalute; non enim omnes impii miraculis convertuntur."

De

De exorciſtis eadem omnino leguntur in *Conſtitutionibus Apoſtol.* lib. VIII. c. 25. item: „Exorciſta non fit ordinatione. Animi enim plane voluntarii certamen eſt, ac gratiæ Dei per Chriſtum ex adventu Spiritus ſancti. Qui enim accipit donum ſanationum per revelationem declaratur a Deo; omnibus ſiquidem manifeſta eſt gratia huiusmodi. Si autem opus eo fuerit, epiſcopus aut presbyter aut diaconus ordinetur.“ Unde ad hodiernum uſque diem eccleſia *Græca* caruit peculiari hoc ordine. Qui apud EUSEBIUM in libello *de martyribus Palæſtinis* memoratur *Cæſareenſis* in *Palæſtina* eccleſiæ exorciſta ROMANUS, ſimul diaconus dicitur. PROCOPIUS autem, qui primus inter martyres *Palæſtinos* notatur, tria in eccleſia *Scythopolitana* miniſteria præbuiſſe perhibetur in eius paſſione inter acta ſincera apud RUINARTUM, unum in legendi officio, alterum in *Syri* interpretatione ſermonis, & tertium adverſus dæmones manus impoſitione comſummans. Acta hæc ad annum 303. referuntur: dum circa medium iam ſæc. III. CORNELIUS P. in epiſtola ad FABIUM *Antiochenum* exorciſtas cum reliquo *Romano* clero connumerat apud EUSEBIUM: *exorciſtas & lectores cum oſtiariis quinquaginta duos.* Eodem tempore S. CYPRIANUS ad MAGNUM ſcribens: „Quod hodie (ait) etiam geritur, ut per exorciſtas voce humana & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus, & cum exire ſe & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallat.“

Cap. 2. n. 5. apud Ruinart. p. 318.

pag. 353.

Hiſt. eccl. lib. VI. c. 43.

Ad eundem vero S. CYPRIANUM FIRMILIANUS perſcribens de ſupra memorata pſeudoprophetiſſa a dæmone incantata inter epiſtolas eius 75. „Subito (pergit) apparuit illi unus de exorciſtis vir probatus & circa religioſam diſciplinam bene ſemper converſatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit ſe contra illum ſpiritum nequam revincendum, qui ſubtili fallacia etiam hoc paullo ante prædixerat, venturum quendam adverſum & tentatorem infidelem. Tamen ille exorciſta inſpiratus Dei gratia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui prius ſanctus putabatur, oſtendit.“ Occurrit exorciſtæ nomen in vulgata *Brixienſi* inſcriptione FL. LATINO epiſcopo, qui fuerit prius presbyter annis XV. & exorciſta annis XII. S. MARTINUS, qua ratione exorciſta primum eccleſiæ *Pictavienſis* a S. HILARIO fuerit factus, in eius vita *Sulpitius* SEVERUS his enarrat verbis: „Tentavit autem idem HILARIUS, impoſito diaconi officio, ſibi eum arctius implicare, & miniſterio vincire divino; ſed cum ſæpiſſime reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans, intellexit vir altioris ingenii, hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officii imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque exorciſtam eum eſſe præcepit.

pag. 323.

Cap. 5.

Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiavit."

Hoc tamen non obstante in isto ordine ob officii genus & charisma spectanda imprimis virtus & probitas fuit. Quemadmodum S. PAULINUS epist. V. ad AMANDUM, *prorsus*, scribit, *per omnia* CARDAMUS *nobis tam bellus apparuit, ut clericum probabilem hominibus, & exorcistam dæmoniis terribilem videremus.* S. AMBROSIUS, *alius*, inquit, *distinguendæ lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu, sollicitior.* Faciunt huc preces, quas in eorum ordinatione fundit ecclesia, brevissimæ quidem in sacramentario *Gelasiano*, eædem ac in missali *Francorum, ut sit spiritalis imperator ad abiiciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi.* Et mox: *ut per impositionis manuum & oris officium eum eligere digneris: & imperium habeat spirituum immundorum coercendorum, & probabilis sit medicus ecclesiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmatus.* In antiquissimis sacramentariis *Gelasiano* & aliis eadem ordinationis forma, quæ hodieque obtinet, præscribitur, qualis iam in concilio *Carthaginensi* IV. Can. 7. habetur: „Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: *Accipe & commenda memoriæ & habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.* can. 90. „Omni die exorcistæ energumenis manus imponant. can. 92. Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministretur."

L. I. de Off. cap. 44.

Lib. I. n. 95.

T. II. Conc. p. 1200.

Promiscuus a primis sæculis exorcizandi usus fidelium.

VI. Ex allatis paullo ante testimoniis SS. IUSTINI, IRENÆI & aliorum antiquissimorum doctorum eluceſcit, quando de potestate excludendi dæmones, ut passim loquebantur, erat sermo, indiscriminatim fere eos loqui: tum quod necdum statim ab ecclesia certis personis in clerum assumtis id muneris assignaretur, cum etiam quod ex Christi promissione ac gratia communis in devictum iam diabolum virtus fide pollentibus super omnem virtutem inimici, tunc præcipua esset, ac promiscuum charisma. Sic S. IUSTINUS M. quem ipsum non constat sacri ministerii quodam gradu fuisse insignitum, generaliter loquitur in dialogo cum TRYPHONE n. 76. *Et nunc, qui in crucifixum sub Pontio Pilato* IESUM *Dominum nostrum credimus, dæmonia omnia & malos spiritus adiurando potestati nostræ subiicimus.* TERTULLIANUS provocat gentiles in apologetico c. 27. „Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet. Iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso." Passim alibi hinc petito argumento

pag. 173.

gumento inceſſit eos ex Chriſtianis, qui ſe, ut tunc proclive erat, ſuperſtitionibus quibusdam abripi ſinerent. „Quo ore Chriſtianus, (ſcribit in libro *de idololatria*) thurarius, ſi per templa tranſibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit? Qua conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat?“ Et in libro *de corona militis*: „Et quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit.“

Quæ alibi iam relata ſtudioſe hic repeto, ſuntque probe obſervanda ad exſtimulandum fidelium ſtudium contra quotidianos etiam dæmonum inſultus in utrumque hominem, inſidiasque inimici occultas & manifeſtas in anima & corpore: cum adverſus ea omnia, ut mox videbimus, invicta nobis ſint arma, ac divina virtus cuique perinde contra dæmones ac alios ſalutis noſtræ hoſtes neceſſaria. „Perſuaſum enim nobis eſt (ſunt ORIGENIS verba) facta corporis, & ortas a prudentia carnis cum Deo inimicitias divino ſpiritu mortificari. Si autem extra ſe rapitur, ſi ſui compos non eſt Pythia, dum vaticinia edit, cuiusnam alius generis cenſeri oportet ſpiritum illum, qui menti & rationi tenebras offundit, præterquam illorum dæmonum, quos ex obſeſſis profligant e Chriſtianis multi, idque ſine ullo inutili magiæ aut incantationis auxilio, ſed ſolis precibus, ſimplicibusque adiurationibus, & quales vel ſimplicior homo poſſit adhibere? Hoc enim plerumque faciunt idiotæ. Quo quidem ea, quæ doctrinæ noſtræ ineſt gratia Chriſti, manifeſte prodit, cum, ut vincantur, cedant, & ex animo corporeque hominis fugentur, non opus ſit ſapiente & in probandis fidei rebus verſato.“ *Lib. VII. contra Celſ. n. 4. p. 696.*

Diſtinctione hic multiplici opus eſt quoad circumſtantias rerum, locorum, atque adeo etiam perſonarum; exorcizandi item uſum publicum in eccleſia aut privatum: prout exempli cauſa a TERTULLIANO notantur *de præſcriptionibus hæreticorum c. 41. ipſæ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere.* Ubi manifeſtum eſt, de ſtatis ſolemnibus ante baptiſmum in eccleſia agi exorciſmis, qui a miniſtris utique ad id ordinatis debet fieri; cum econtra chariſma expellendi dæmones uſu privato potuerit eſſe aliis etiam conceſſum, quam clericatui addictis, ſicut S. GREGORIUS *Taumaturgus* teſte SOCRATE, dum adhuc laicus eſſet, *multa fecit miracula nunc ægrotos ſanans, nunc dæmonas per epiſtolam fugans.* *Hiſt. eccl. lib. IV. c. 27.*

VII. Cum primum vero ſuus eſſe cœpit in cœtibus Chriſtianorum peculiaris energumenorum locus, ac ſtatio, ſtatique circa eos ritus, opus etiam fuit certis formulis ſeu orationibus pro energumenis, qualem iam *Statæ exorciſmorum formulæ.*

Lib. VIII. c. 7. ſuo loco ex conſtitutionibus apoſtolicis, aliisque monumentis eccleſiaſticis notavimus. In paullo ante citato Conc. *Carthaginenſi* can. 91. ſtatuitur: ut *omni die exorciſtæ energumenis manus imponant:* fit autem canone mox antecedenti mentio libelli, in quo ſcripti ſunt exorciſmi. Invenimus nonnunquam eiusmodi libellos peculiares Mſſ. præterquam quos ex ipſis ſacramentariis antiquis iam notavimus.

Lib. VIII. antiq. Iudaic. c. 2. Diſcimus autem ex ORIGENE impoſturam tunc temporis a *Iudæis* Chriſtianis factam, formulis illis incantationum, quas IOSEPHUS *Iudæus* a SALOMONE compoſitas tradit, de quibus ORIGENES: „Quæret aliquis (ait) ſi convenit vel dæmones adiurare: & qui reſpicit ad multos, qui talia facere auſi ſunt, dicet, non ſine ratione fieri hoc. Qui autem aſpicit IESUM imperantem dæmonibus, ſed etiam poteſtatem dantem ſuis diſcipulis ſuper omnia dæmonia, & quod infirmitates ſanarent, dicet, quoniam non eſt ſecundum poteſtatem datam a ſalvatore adiurare dæmonia, *Iudaicum* eſt enim. Hoc etſi aliquando a noſtris tale aliquid fiat, ſimile fit ei, quod a SALOMONE ſcriptis adiurationibus ſolent dæmones adiurari. Sed ipſi qui utuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis conſtitutis libris utuntur: quibusdam autem & de *Hebræo* acceptis adiurant dæmonia.“

Serm. 35. in Matth.

T. VII. pag. 699. S. IOANNES *Chryſoſtomus* Hom. LXXI. in MATTHÆUM n. 4. varias, quæ in liturgia præmitti ſolent, orationes notans, *Et prima*, inquit, *precatio, quam pro energumenis adhibemus, miſericordiæ commemoratione plena eſt.* Alibi rationem reddens: „Qua de cauſa hæc oratio cætera præcedat, & cur dæmoniacos ac mente captos tunc diaconus induci, & capita inclinare iubeat: Mala (ait) gravisque catena eſt agitatio dæmonum; catena, inquam, ferro validior. Quemadmodum igitur iudice proditurο, ut in excelſo tribunali ſedeat, carceris cuſtodes, detentos omnes eductos domicilio, ante cancellos & tribunalis vela collocant, ſquallidos, ſordentes, paſſis capillis, ſciſſis pannis indutos; ita Patres faciendum ſtatuerunt, quando futurum eſt, ut Chriſtus ceu in excelſo tribunali ſedeat, in ipſisque myſteriis appareat, ut ſcilicet dæmoniaci, quaſi vincti quidam inducantur; non ut pœna ſupplicioque afficiantur; ſed ut populo urbeque tota intus præſente communes ſupplicationes fierent, omnes animo uno communem Dominum illorum gratia precantibus, magnaque voce miſericordiam poſcentibus.“

Hom. IV. de incompreh. Dei natura. T. I. p. 477.

Pro brevi quadam formula haberi poteſt apoſtoli *Rom.* XVI. 20. votum ac pro fidelibus oratio: *Deus autem pacis conterat ſatanam ſub pedibus veſtris velociter*, ſiquidem continuas illas tentationes, ac infeſtationes diabolicas, quibus obnoxii ſumus, pie conſideremus, affertque ſpe-

ſpecimen illud inter alia abbas DUGUET in ſæpe citata diſſertatione, qua probandum ſuſcepit, quam recte & ſalubriter exorciſmi etiam adhibeantur poſt baptiſmum, ſi forte antea omiſſi fuiſſent; tum vero parte quarta effectus exorciſmorum poſt baptiſmum explicans, optat, ut ſæpius etiam promiſcue inter fideles repeterentur. a) Olim, quando in quotidiano ſacro publice orationes ſuper energumenos fundebantur, poterant fideles ſua etiam coniungere vota ac ſuſpiria, *ut quidquid communis hoſtis ac inſidiator adhuc reſidui habet tyrannidis, deiiciatur: tentationes omnes infeſtationesque diſcedant, ac latentes inſidiæ inimici: increpetque malos ſpiritus Deus ac liberet opera manuum ſuarum ab alieni ſpiritus vexatione,* ut habet formula conſtitut. apoſtol. *Gabriel.* ALBASPINÆUS perinde ac catechumenos, & energumenos ita etiam pœnitentes in tertio gradu exorciſmis purgatos fuiſſe probat. b)

pag. 132.

a

*De l'Euchariſtie lib. I. c.*15. *p.*220.

b

VIII. Probandum equidem ibi ſuſcipit, energumenos ab ipſo etiam aſpectu ſacræ Euchariſtiæ fuiſſe remotos, quod porro explicat initio capitis ſequentis nempe 16. eiusdem libri; mutatam vero poſtea eam ſeveriorem diſciplinam, conceſſamque communionem & euchariſtiam, de energumenis, *qui non perpetuo vexarentur*, intelligi vult not. ad Can. 14. Concilii *Arauſicani* I. huiuscemodi: „Energumeni iam baptizati, ſi de purgatione „ ſua curent, & ſe ſollicitudini Clericorum tradant, monitisque obtemperent, „ omnimode communicent, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum oſtenditur iam vita purgatior.“

Varia diſciplina circa SS. Euchariſtiam contra dæmonurgiam.

Apud

a) „Les plus Saints & les plus juſtes, ſeroient ceux qui les recevroient avec plus de foi & plus de ſentiment de leur miſere. Car ils ſavent bien qu'ils ne ſont remplis de l'Eſprit de J. C. qu'imparfaitement; que ſon ennemi retient encore en eux pluſieurs choſes uſurpées; & qu'il n'appartient qu'a celui qui l'a vaincu de dire ces paroles: *Le prince de ce monde va venir. Mais il n'a aucun droit ſur moi.* Tous les autres ont quelque choſe, qui eſt au prince du monde; & par conſequent le prince du monde a quelque choſe dans leur perſonne qui eſt a luy.“

b) „Car combien qu'ils ne fuſſent demoniaques ils etoient toutefois exorciſez & purgez, comme etants en quelque façon en la poſſeſſion du diable, comme les catechumens. Les preuves s'en trouvent dans les canons de SIRICIUS, COELESTINUS, LEON, FELIX, au Concile de *Vaiſon*, d'*Ilerde* & autres, qui tous uſent de ce mot de purger ou de purgation & ordonnent, que les Penitens ſeront purgez par l'impoſition des mains, qui eſt a dire, qu'ils ſeront exorciſez par les oraiſons. Car purger a la meme ſignification dans les auteurs *Latins*, que exorciſer dans les *Grecs* comme nous avons montré cy deſſus par le Concile de *Carthage*. Un paſſage de Saint LEON ſuffira pour tous les autres. Il écrit a l'Eveque de *Narbonne* ces paroles: Ceux qui ont uſé de viandes immolées peuvent etre purgez par les Jeunes & par les impoſitions des mains. Cette coutume qu'ils avoient des faire des exorciſmes particulieres, & des inſufflations, quand ils ſe ſentoient tentez, montre bien, qu'ils tenoient les pecheurs en la puiſſance du diable, puisqu'ils le tenoient actuellement preſent aux tentations, & qu'ils les chaſſoient par les ſufflemens.“

Apud CASSIANUM Collat. VII. c. 29. *de his, qui ſpiritibus vexantur immundis*, hanc GERMANUS inſtituit quæſtionem: „Quomodo non ſolum „eos deſpici ab hominibus vel horreri, ſed etiam a communione dominica „in noſtris provinciis perpetuo videmus abſtinere ſecundum illam evangelii „ſententiam: *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas ve-„ſtras ante porcos*, cum de illis, quemadmodum dicis, ita credendum ſit, „quod eis purgationis vel utilitatis obtentu huius tentationis humiliatio „tribuatur?“ Reſpondet vero SERENUS, communionem eis ſacroſanctam a ſenioribus noſtris nunquam ſe meminiſſe interdictam „quin imo ſi poſſi-„bile eſſet (addit) etiam quotidie eis impertiri eam debere cenſebant. Nec „enim ſecundum evangelii ſententiam, quam incongrue huic ſenſui coapta-„ſtis, *Nolite Sanctum dare canibus*, ad dæmonis eſcam ſacroſancta commu-„nio, & non potius ad purgationem ac tutelam corporis animæque per-„venire credenda eſt: quæ ab homine percepta, eum, qui in membris „eius inſidet, ſpiritum, ſeu in ipſis latitare cognoſcitur, velut quoddam „exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum & abbatem AN-„DRONICUM nuper aſpeximus, aliosque quamplures. Magis namque ac „magis inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cœleſti medicina viderit „ſegregatum, tantoque dirius ac frequentius attentabit, quanto eum a ſpi-„ritali remedio longius ſenſerit abdicatum.“

C. 6. Opp. S. Proſperi Appendic. pag. 125.

Circa CASSIANI tempora accidit, quod ſupra ex auctore *de promiſſionibus & prædictionibus Dei* de iuvencula *Araba* ancillæ Dei habitum geſtante in balneo a dæmone obſeſſa narravimus, nunc opportune perſecuturi, quomodo liberata ſit. „Accidit autem (ſcribit) ut quintus decimus dominicus illuceſceret dies. Aſcendente nobiscum ſacerdote, ut matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur; puellam præpoſitus ad altare perduxit, eo inceſſu & habitu, quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis poculisque mulieres advenire. Sed ut ſe illa proſtravit altari, clamore fletus ſui cunctis adſtantibus gemitus lacrymasque induxit, quibus tantum malum auferendum præſens plebs Dominum exorabat. Erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto itaque ſacrificio, cum eadem inter ceteras brevem particulam Corporis Domini tinctam a ſacerdote perciperet, ſemihora mandens traiicere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit apoſtolus: *Quæ conſonantia Chriſti ad Belial?* Et iterum: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum.* Manu igitur faciem eius ſuſtentante ſacerdote, ne Sanctum proiiceret, a quodam diacono ſuggeſtum eſt, ut calicem ſalutarem gutturi eius pontifex applicaret. Quod ut factum eſt, ſtatim ut locum illum, quem diabolus obſederat, Salvatoris im-

imperio reliquit, ſacramentum, quod ore geſtabat cum laude redemtoris transglutiſſe puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod poſt octoginta & quinque dies, diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici, oblatio itaque rurſum gratiarum actionis pro ea fit, Sacrificiique percipiens certam partem, priſco eſt reddita uſui. Tunc etiam, dum hæc aguntur, ſpiritu divino actus diaconus eiusdem tituli ſtatuam illam (*Veneris*) ſublatam confregit in pulverem, omnemque inſidiantis aſtutiam ſuperavit divina maieſtas."

De S. Bernardo Ernaldus in eius vita lib. II. c. 2. narrat, cum ex concilio *Piſano* redux *Mediolani* ad eccleſiam S. Ambrosii divina celebraturus proceſſiſſet, exſpectante innumera populi multitudine inter ipſa miſſarum ſolemnia, dum clericis canentibus ipſe ſecus altare ſederet, puellam ei parvulam eſſe oblatam, quam vehementi impetu vexabat diabolus, cuius compaſſus ætati & vehementiæ anxietatis, „patenam calicis, in quo divina celebraturus erat myſteria, accipit: & digitis latice ſuperfuſo, orans intra ſe, & Domini virtute confidens ori puellæ ſalubrem potum applicat, & corpori eius ſtillam medicinalem infundit. Nec mora, quaſi ureretur ſatanas, infuſionis illius virtutem ferre non potuit, ſed urgente intrinſecus crucis antidoto, feſtinanter egrediens, vomitu ſordidiſſimo tremebundus erupit. Sic purgata perſona, diabolo profugo & confuſo, laudes debitas Deo canit eccleſia." *T. II. pag.* 1092.

Mox ſequenti capite refertur, quomodo *Mediolani* item dæmonem in obſeſſa muliere ipſum pede percutientem ſit aggreſſus ſub ipſa immolatione hoſtiæ ſalutaris: „Quoties eandem ſacram hoſtiam ſignat, toties ad mulierem quoque converſus, eodem ſigno crucis edito ſpiritum nequam athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus, quoties adverſus eum ſignum crucis intenditur, percuſſum ſe indicans, acriùs ſævit, & recalcitrans contra ſtimulum, quidnam toleret, prodit invitus. Expleta autem oratione dominica, efficacius hoſtem aggreditur vir beatus. Patenæ ſiquidem calicis ſacrum Domini corpus imponens & mulieris capiti ſuperponens, talia loquebatur: *Adeſt, inique ſpiritus, iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas. Iam reſiſte ſi potes. Adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus*, Nunc, *inquit*, princeps huius mundi eiicietur foras. *Hoc illud corpus, quod de corpore Virginis ſumtum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod videntibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergo maieſtatis terribili poteſtate tibi, ſpiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla eius egrediens contingere eam deinceps non præſumas.* Cumque eam invitus deſerens, & manere ultra non valens atrocius afflictaret, tam magnam iram, quam modicum tempus habens, *pag.* 1097.

bens, rediens Pater ſanctus ad altare, fractionem hoſtiæ ſalutaris rite complevit, diffundendamque in populum pacem miniſtro dedit, & confeſtim pax & ſalus integra reddita eſt mulieri."

T. VII. pag. 666. Quomodo S. UDALRICUS *Cluniacenſis* monachus arreptitium Corpore dominico vi refecerit, legitur in eius vita apud MABILLONIUM *Act. O. S. B.* ſæc. VI. T. II. n. 23. Teſte S. AUGUSTINO lib. XXII. *de Civit. Dei* c. 8. n. 6. „Vir tribunitius HESPERIUS, qui apud nos (inquit) eſt, habet in territorio *Fuſalenſi* fundum, *Cubadi* appellatum: ubi cum afflictione animalium & ſervorum ſuorum, domum ſpirituum malignorum vim noxiam perpeti comperiſſet, rogavit noſtros, me abſente, presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus: obtulit ibi ſacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio: Deoque protinus miſerante ceſſavit." Sed hæc ſingularia ſunt & extraordinaria, nec facile in exemplum trahenda, niſi altiore quodam afflatu ſeu auctoritate.

Exorciſmus in nomine Dei,

IX. Id vero in eccleſia Chriſti ſemper & ubique obtinuit, ut ſancto & terribili nomine eius maligni ſpiritus cum eorum infeſtationibus revincerentur per veros Dei cultores; quos veritate victi dæmones confiteri coguntur, veluti in Actis Apoſt. XVI. 17. legimus ſpiritum pythonem clamantem: *Iſti homines ſervi Dei ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Hoc tamen nihil morante exire iuſſus in nomine IESU Chriſti a PAULO, confeſtim obtemperavit. Sicque ſemper in eccleſia Dei, eiusque nomine ad confeſſionem veritatis, & obediendum ſunt compulſi dæmones, qui & quales ipſi ſint haud diffeſſi, quod olim ad abolendam idololatriam plurimum iuvit. *Lib. II. Inſtitut. div. c. 15.* „Iuſtos autem (inquit LACTANTIUS) id eſt cultores Dei metuunt: cuius nomine adiurati de corporibus excedunt, quorum verbis tanquam flagris verberati, non modo dæmonas ſe eſſe confitentur; ſed etiam nomina ſua edunt, illa, quæ in templis adorantur, & quod plerumque coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui: quia nec Deo, per quem adiurantur; nec iuſtis, quorum voce torquentur, mentiri poſſunt. Itaque maximis ſæpe ululatibus editis, verberari ſe & ardere, & iam iamque exire proclamant, tantum habet Dei cognitio ac iuſtitia poteſtatis. *Poſt opera S. Iuſtini p. 354.* S. THEOPHILUS lib. II. ad AUTOLYCUM ut demonſtret HOMERUM & HESIODUM vero Numine non fuiſſe afflatos, quod ſuis in carminibus venditant poetæ illi, inde argumentum petit: *Quod qui a dæmonibus interdum corripiuntur, ii etiamnum adiurentur per nomen veri Dei, tuncque fallaces illi ſpiritus dæmones ſe eſſe fateantur, qui etiam olim in iſtis ſcriptoribus operabantur.* Paullo ante alia SS. Patrum

loca

loca citavimus, in quibus formula adiurationis *per Deum verum*, ut hodieque ſolemne eſt, exprimitur. S. IRENÆUS lib. II. *contra hæreſes* c. 6. quo contra *Valentinianorum* deliria demonſtrat, ab angelis, aut a demiurgo, ſeu mundi fabricatore, quem illi fingebant; ſupremum Deum ignorari nunquam potuiſſe: „Et propter hoc (inquit) Altiſſimi & Omnipotentis appellationi omnia ſubiecta ſunt: & huius nominis invocatione etiam ante adventum Domini noſtri ſalvabantur homines, & a ſpiritibus nequiſſimis, & a dæmoniis univerſis. . . . Et propter hoc *Iudæi* uſque nunc hac ipſa adfatione (*advocatione*) dæmones effugant, quando omnia timeant invocationem eius, qui fecit ea.“ pag. 127.

Clarius hanc rem explicat S. IUSTINUS M. in Dialogo cum TRYPHONE *Iudæo*: *Sin vos*, ait, *per nomen quodvis, qui vobis fuere, regum, aut virorum iuſtorum, aut prophetarum, aut patriarcharum adiuratis, non ſubiicietur vobis dæmonium aliquod: Cæterum ſiquis veſtrum adiuret per Deum Abrahæ, & Deum Iſaac, & Deum Iacob, forte ſubiicietur.* De hoc adiurationis ſeu exorciſmi genere, quo Deus ABRAHAM, Deus ISAAC, & Deus IACOB etiamnum in variis exorciſmis, quorum uſus eſt quotidianus in eccleſia, invocatur, non ſemel mentionem facit ORIGENES in libris contra CELSUM, ac ſi etiam ab aliis gentibus adhiberetur. „Multis etiam eorum (ſcribit lib. I. num. 22.) qui incantant dæmonia, uſurpatur illud: *Deus Abrahami;* hincque indicant, qua cum Deo vir ille iuſtus fuerit familiaritate coniunctus. Quocirca Deum ABRAHAMI invocant, etiamſi neſciant, quis ille fuerit ABRAHAMUS. Quod idem de ISAAC, de IACOB, de ISRAEL dicendum: quæ nomina, licet, ut in confeſſo eſt, *Hebraica* ſint, in ſuis tamen ritibus adhibent *Ægyptii*, cum aliquid mirabile pollicentur.“ Et libro IV. n. 33. „Manifeſtum eſt *Iudæos* ortos eſſe a tribus illis patribus ABRAHAM, ISAAC, & IACOB: quorum nomina, ſi cum Dei nomine coniunguntur, tantam vim habent, ut non ſolum *Iudaica* gens in ſuis ad Deum precibus, & in excantandis dæmoniis uſurpet iſtud: *Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob;* ſed etiam quotquot fere incantationibus & magicis artibus operantur. Sæpe enim in libris magicis invenitur hæc Dei appellatio, & Dei nominis uſurpatio, ut quæ arctam habeat cum illis hominibus neceſſitudinem contra dæmones. Arbitror igitur hæc, quæ *Iudæi* & Chriſtiani adhibent ad probandum ABRAHAM, ISAAC, & IACOB *Iudaicæ* gentis patres fuiſſe viros ſanctitate inſignes, CELSO non fuiſſe incomperta: & quod illa non perſpicue propoſuit cauſam fuiſſe vim eorum, quam frangere poſſe deſperabat.“ Ubi vides ORIGENEM uſum horum nominum in exorcizando etiam apud Chriſtianos agnoſcere. ABRAHAM, ISAAC, & IACOB, ISRAEL, SABBAOTH, ADONAI. T. I. p. 339. pag. 526.

pag. 612.

At vero ſuperſtitioſa ſunt, quæ idem lib. V. n. 45. 46. de his aliisque nominibus *Hebraicis* in exorciſmis adhiberi ſolitis differit: „Nomina ABRAHAM (ait) ISAAC, & IACOB in *Græcum* converſa aliquid ſignificant: & qui aut in cantando aut in iurando nominaverit Deum ABRAHAM, & Deum ISAAC, & Deum IACOB, quædam per naturam vel poteſtatem illorum nominum efficiet, adeo ut etiam dæmones victi ipſius iuſſis obtemperent. Sin autem dixeris: Deus *patris electi ſoni*, & Deus *riſus*, & Deus *ſupplantatoris*, nihilo magis efficies his nominibus, ac ſi illa pronunciares, quæ nulla poteſtate ſunt. Item nomen ISRAEL ſi in *Græcam* aliamque linguam convertatur, nullius roboris erit: ſervatum vero & coniunctum cum iis, quibuscum periti coniungere ſolent, efficiet: id incantatores ex quarumdam vocum pronuntiatione ſperandum eſſe prædicant. Idem dicendum & de voce *Sabbaoth* in incantationibus frequenter uſurpata. Nam ſi pro ea dicatur, Dominus virtutum, aut Dominus exercituum aut omnipotens (diverſe enim illam interpretes explicant) nihil proficitur, quod ſecus accidet, ut affirmant harum rerum artium conſulti, ſi propria ſua lingua pronuncietur. De ADONAI idem quoque dicere licet.“ Uti vero legitimus fuit ſemper horum aliorumque Dei in S. ſcripturis notatorum nominum uſus, ita etiamnum ſuperſtitionibus variis inſervit more a *Iudæis* tracto.

In nomine Chriſti Domini

X. Nobis autem præ omnibus aliis adeſt Chriſti nomen, ac virtus verbi divini, per quam omnis diaboli poteſtas, & ſuperſtitio, qua mundum & in eo homines obſidebat in cultu idolorum, diſſoluta eſt. „Sic (ut cum IULIO *Firmico* loquar) apud nos Deos veſtros, cum hominibus nocere cœperint, religioſi ſermonis flagella caſtigant. Sic in corpore hominum conſtituti Dei veſtri, verbo Dei ſpiritualium flammarum igne torquentur.“ Et S. PETRUS *Chryſologus* in illud *Matth.* VIII. 16. *& eiiciebat ſpiritus verbo*: „Quia ad nos Chriſtus (inquit) carne non venit, venit verbo: ubi ergo venit fides ex auditu, auditus per verbum, nos fecit liberos dæmoniaca ſervitute: dæmones reddidit ex impia dominatione captivos. Hinc eſt, quod dæmones ſub manibus noſtris torquentur imperantibus nobis, qui nos ſubiiciebant, & vacuas quotidie per figuras inani timore vexabant.“

De errore & falſitate profan. relig. c. 14.

Ser. XVIII. pag. 33.

Opus illud Chriſtus in terris exiſtens aggreſſus eſt per ſe ac ſuos diſcipulos dæmonia ex obſeſſis eiiciendo corporibus. *Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. X. 17. Perſpicua eſt Chriſti Domini promiſſio, dum ſuos ad prædicandum in univerſum mundum miſit *Marci* ultimo v. 17. *In*

nomine

nomine meo dæmonia eiicient. Palam ſemper de hac facultate gloriatus eſt Chriſtianorum cœtus, atque per continuam ſucceſſionem inde ab apoſtolicis temporibus poſteritati tranſmiſit hanc poteſtatem ex virtute nominis Chriſti verbi incarnati. „Per nomen ipſius Dei (S. IUSTINUS TRYPHONEM *Iudæum* alloquitur) & primogeniti creaturæ omnis, dæmonium omne adiura, tum vincitur, & in ditionem redigitur.“ Et TERTULLIANUS gentiles in Apolog. c. 23. „Atqui omnis hæc noſtra in illos dominatio, & poteſtas de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum, quæ ſibi a Deo per arbitrum Chriſtum imminentia exſpectant. Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubiiciuntur ſervis Dei & Chriſti.“ *pag. 23.*

Modo laudatus IULIUS *Firmicus* non ita multo poſtquam a gentiliſmo ad Chriſtianam religionem tranſivit ſub CONSTANTIO & CONSTANTE, cum iam totus pæne orbis eſſet Chriſtianus: „Ecce (inquit) dæmon eſt, quem colis, cum Dei & Chriſti eius nomen audierit, contremiſcit: & ut interrogantibus nobis reſpondeat verba trepidantia, vix ſe colligit: adhærens homini laceratur, uritur, vapulat, & ſtatim de commiſſis ſceleribus confitetur.“ *L. cit. c. 25.* S. ATHANASII *de incarnatione Verbi* opus inſigne cumprimis in hoc verſatur argumento, ut per Chriſtum artes magicas, præſtigiasque dæmonum in nihilum redactas declaret, ut iam ſupra eum loquentem induximus, demum *Quis igitur*, concludit, *& quantus eſt hic Chriſtus, qui ſolo ſui nominis vocabulo præſentia omnia adobruit & otioſa reddit*, S. GREGORIUS *Nazianzenus* in carm. ad NEMESIUM ethnicum ad propriam provocat experientiam de virtute nominis Chriſti contra cacodæmones: „Ipſe (inquit) qui Chriſto nomen dedi, auguſtum illud nomen vix plerumque pronuntiavi, cum ſtatim dæmon non ſine ſtridore graviſſimoque dolore longiſſime ſe proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.“ Add. Carm. iamb. 18. ad DEM. Sic in orat. I. Apologetica n. 144. „Ac dæmones quidem (ait) etiamnum vocato Chriſto contremiſcunt, nec ob noſtram improbitatem huius nominis vis imminuta & extincta eſt: nos vero rem nomenque adeo venerandum contumelia afficere non veremur: idque, cum aperte propemodum, ac ſingulis diebus clamantem eum audiamus: *Nomen meum propter vos inter gentes blaſphematur.*“ *T. I. p. 321*

S. GAUDENTIUS *Brixienſis* ſerm. XVIII. *de villico iniquitatis*, hunc diabolum interpretatus: „Qui (inquit) idcirco ob correptionem generis humani ſæculo iſto dimiſſus eſt, ut immanitatem crudeliſſimi huius villici fugientes, ad pietatem Dei ſuppliciter concurramus, cuius miſericordia atque virtute contra omnes infeſtationes eius defenſi eſſe poſſimus: quando-

quidem & ipſe villicus ſub poteſtate conſtitutus eſt Domini Dei, illius vere divitis, qui, ſicut docet apoſtolus, *dives eſt in omnes, & ſuper omnes, qui invocant eum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Diſſipat autem diabolus facultatem Domini ſui, quando in perniciem generis humani graſſatur, id eſt in noſtram necem, qui poſſeſſio Dei ſumus."

T. III. P. II. pag. 344. Huc vero cumprimis facit, quod S. AUGUSTINUS Tract. VII. in Cap. I. IOANNIS n. 6. vehementer dolet, ipſum Chriſti nomen ad ſuperſtitiones dæmonicas a Chriſtianis adhiberi: „Fingunt enim (inquit) ſpiritus mali umbras quasdam honoris ſibimetipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum. Uſque adeo, fratres mei, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti: quia iam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id, quod dulce eſt, lateat, quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem. Uſque adeo, ut ego noverim aliquo tempore illius PILLEATI ſacerdotem ſolere dicere: *Et ipſe* PILLEATUS *Chriſtianus eſt.* Ut quid hoc fratres, niſi quia aliter non poſſunt ſeduci Chriſtiani?"

Poſt opera S. Leonis pag. 166. S. MAXIMUS *Taurinenſis* epiſcopus in ſermone 67. *de defectione lunæ*, eccleſiam lunæ comparans: „Quoties eam (inquit) ſicut lunam putatis magorum carminibus laboraſſe? quoties eam malæ artes de cœli regno, deducere voluerunt? Nam primum utique IANNES & MAMBRES magi cum MOYSE ſignis prodigiisque reſiſterent, eccleſiam ſubvertere cupiebant; ſed ſacris vocibus veneficorum carmen nocere non potuit. Nihil enim incantationes valent, ubi Chriſti canticum decantatur &c." Et infra Homil. II. *de ieiunio quadrageſ.* explicata Chriſti per ſatanam tentatione. „Triumphus ille (inquit) quantæ ſit gloriæ, obſequia nos docent angelorum. Nec mirum ſane, ſi eius angeli miniſteriis occurrerunt, cuius victoriam mirabantur. Et ideo, fratres, ſi nolumus a diabolo ſuperari, inhæreamus ei, qui diabolum triumphavit. Adhærere autem eſt Chriſto credere, & paternæ illi Deitatis eſſe naturam, & materni corporis veritatem. Vincere autem diabolum ipſo ſuffragante Domino poterit, quicunque ſalutaria Dei præcepta ſuſpirans, ſtuduerit exoſam cunctis tumidæ mentis ſuæ inclinare ſuperbiam &c." Et ſic per ſingula it, quorum in nobis inimicus homo ſemina ſparſit eradicanda omni ſtudio a veris Chriſti cultoribus, diaboli in eius nomine & virtute triumphatoribus.

pag. 185.

Et Salvatoris IESU. XI. Sanctum hoc nomen quam ipſis terribile eſſet, ſtatim ſenſiſſe viſi ſunt dæmones. Siquidem animadverſum eſt, primum apud Evangeliſtas

ſtas pronuntiatum legi illis clamantibus, ex homine qui dæmonium habebat immundum, voce magna: *Sine, quid nobis & tibi IESU Nazarene? Veniſti perdere nos? Scio te, quis ſis, ſanctus Dei.* Inceperat tunc primum vocatis apoſtolis, prædicandi officium, itaque innoteſcebat tum primum nomen Iesu, *quod vocatum eſt ab angelo, priusquam in utero conciperetur:* iuſſo nimirum per angelum Ioseph *Math.* I. 21. vocare *nomen eius IESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*: quod nimirum ipſum etymon nominis eſt conveniens cum re, ut Petrus ſignificat principibus ſacerdotum & populo, poſtquam in nomine Iesu primum miraculum in claudi curatione fecerat: *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael: quia in nomine Domini noſtri IESU Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis: quem Deus ſuſcitavit a mortuis, in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Et non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Sic Paulo poſtea præcipiente pythoni ſeu cacodæmoni puellam obſidenti, *In nomine IESU Chriſti exire ab ea: exiit eadem hora.* Factum hinc, ut tentarent & quidam ex *Iudæis* exorciſtis adiurare ſpiritus malos *per IESUM, quem Paulus prædicat.*

Marc. 1, 23. *Luc.* 4, 34. *Act.* 4, 10. *ſeq.* *Act.* 16, 8. *Act.* 19.

Hanc vim nominis Iesu S. Iustinus M. in Apologia ſua pro Chriſtianis ad ſenatum *Romanum* opportune exponens: „Iesus autem (ait) & hominis & Salvatoris nomen & ſignificationem habet. Nam & homo factus eſt, ut antea diximus, de Dei & Patris voluntate partu editus pro credentibus hominibus, & ad dæmonum everſionem. Id profecto ex his, quæ in omnium oculis geruntur, perſpicere poteſtis. Plurimos enim dæmoniis agitatos in toto orbe & in urbe veſtra, multi ex noſtris Chriſtianis, cum per nomen Iesu Chriſti ſub Pontio Pilato crucifixi adiurarent, ab aliis adiuratoribus, incantatoribus & veneficis non ſanatos ſanaverunt, atque etiamnum ſanant, fractis & eiectis dæmonibus homines detinentibus.“ Neque abludunt plerique ex *Græcis* doctoribus, qui originationem *Græcam* etiam conſectati, ab ἰάσασθαι, *Ionice* ἰήσασθαι *ſanare, curare* derivant, anteſignano S. Ignatio *Martyre*, quoad rem ipſam recte quidem; melius tamen ad linguam originalem inter alios poſt Iustinum S. Hilarius in illud Pſalmi: *Et exſpectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum*, commentatus, „Huius ergo (inquit) nomen exſpectat Iesum ſcilicet videre, id eſt, ſalvatorem ſuum noſſe, Angelo dicente: *Et cognominabis nomen eius IESUM: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis.* Chriſtum conſpicere ut per profeſſionem generoſæ familiæ ſit Chriſtianus, exſpectat. Bonum autem

n. 6. *p.* 93. *Apol. I. n.* 23. & 33. *Tract. in pſal. LI. p.* 82.

hoc

hoc nomen eſt, quod angeli atque archangeli adorant, quod dæmones tremunt, & ferre non poſſunt, quod ad ſalutem homines aſſumunt: quia ſcriptum eſt: *Et omnis qui invocaverit nomen eius, ſalvus erit.*“ S. Cyrillus *Hieroſ.* Catech. X. *de uno Domino IESU Chriſto* n. 13. „Iesus itaque (ait) iuxta *Hebræos* ſalvatorem ſonat, in lingua vero *græca* eum, qui ſanat. Quandoquidem animarum eſt & corporum medicus, & ſpirituum curator: eos quidem, qui ſenſibilibus oculis cæci ſunt, ſanans, mentibus vero etiam lumen inducens: claudorum viſibilium medicus, peccatorumque pedes ad pœnitentiam dirigens, qui dicit paralytico: *Ne amplius pecces.* &: *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Quoniam enim propter animæ peccatum paralyſi traditum corpus fuerat; prius curavit animam, ut deinde corpori quoque adferret medicinam. Si cuius igitur mens peccatorum ægritudine teneatur, medicum habet, ſi quis hic eſt modicæ fidei, dicat illi: *Adiuva incredulitatem meam.* Si quis etiam corporeis occupatus eſt morbis, ne diffidat, ſed accedat (his enim etiam medetur) & noverit, quod Iesus eſt Chriſtus.“ Quæ hic citat *Marc.* IX. 23. verba ſunt patris, qui filium diriſſime a dæmone habitum ad Chriſtum attulit liberandum. S. Ambrosius in expoſitione Evangelii ſecundum Lucam lib. IV. in illum, quem modo attulimus locum Luc. IV. quo expulſus dæmon nomen Iesu acclamans narratur, ceu primum hoc ex operibus Chriſti id notans: „A minoribus (ait) incipit, ut ad maiora perveniat. Liberare a dæmone & homines, ſed in verbo Dei poſſunt, reſurrectionem mortuis imperare divinæ ſolius eſt poteſtatis. Nec quemquam movere debet, quod Iesu *Nazareni nomen* in hoc libro diabolus dixiſſe primus inducitur. Nec enim ab eo Chriſtus nomen accepit, quod de cœlo angelus ad Virginem detulit.“ Idem lib. I. de pœnitentia c. 13. expendens, quod S. Paulus *Corinthium* iuſſerit tradere ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit, Iobumque in exemplum adducens: „Manducet ergo (inclamat) terram meam ſerpens, dentem carni infigat, conterat corpus, dicat Dominus & de me: *Trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi.* Quanta vis Chriſti, ut cuſtodia hominis imperetur etiam ipſi diabolo, qui ſemper vult nocere. Dominum ergo Iesum nobis propitiemus: imperante Chriſto & diabolus ipſe ſit prædæ ſuæ cuſtos, vel invitus mandatis obſecundat cœleſtibus: & quamvis immitis, tamen manſuetis ſequitur imperiis. Sed quid ego commendo obſequium eius! Sit ille ſemper malus, ut ſit bonus Deus ſemper, qui malitiam eius in gratiam convertit. Vult nocere ille, ſed non poteſt, ſi Chriſtus obſiſtat: carnem ulcerat, ſed cuſtodit animam; terram devorat, ſed reſervat ſpiritum.“

pag. 143.

T. II. p. 844. *n.* 59. *ſeq.*

T. III. pag. 515.

Iob 2, 6.

Egregie

Egregie hoc facit ad id, quod ſuperiore capite diximus de malis corporeis a dæmone advenientibus: quod S. Doctor ſequenti capite porro explicat de inſidiis, quas idem immundus ſpiritus puritati corporis ſtruit, Iesu Chriſti virtute pariter in nihilum redigendis, ſic auſpicatus: *Hanc terram ſerpens manducat, ſi propitius eſt Dominus IESUS, ut non compatiatur anima carnis debilitati, non accendatur vapore carnis, & calore membrorum.* pag. 516.

Sic Origenes intelligi poteſt, dum lib. I. contra Celsum virtutem nominis Iesu explicat: „Quod innumeros ex animis corporibusque dæmones palam omnibus fugavit, vim exerens ſuam in eos, e quibus eiecti ſunt illi dæmones.“ Sic poſtea: „Et hodieque Iesu nomen perturbatos animos componit, exigit dæmones, medetur morbis: miram quoque manſuetudinem inſerit, mores in officio continet, humanitatem, comitatem, ſuavitatem inſpirat iis, qui non propter vitæ commoda, humanasque neceſſitates ſe Chriſtianos ſimulant, ſed, quo par eſt, animo traditam de Deo, Chriſto, futuroque iudicio doctrinam amplexantur.“ Inceſſit ibidem Celsi calumniam blaſphemiamque, qua Chriſti opera cum præſtigiis magorum confert. Arnobius lib. I. contra gentiles eorum exceptionem prævertens: „Iesu nomen auditum (inquit) fugat noxios ſpiritus, imponit ſilentium vatibus, haruſpices inconſultos reddit, arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, ſed maioris licentia poteſtatis.“ Laudatus modo Origenes eodem lib. I. contra Celsum tantam vim nomini Iesu contra dæmones ineſſe profitetur, *ut nonnunquam etiam a malis nominatum ſit efficax;* toto autem fere libro III. virtutem potiſſimum nominis Iesu extollit, atque contra exempla eiusmodi ex fabulis & hiſtoria Paganiſmi tuetur a conditore omnium rerum Iesum dignum declaratum, afferens alicubi, „qui coleretur non ab iis modo, qui vitam emendare ſuam vellent: ſed etiam a dæmonibus, aliisque poteſtatibus, quæ ſub ſenſus non cadunt. Quo fit, ut illæ adhuc videantur aut formidare Iesu nomen tanquam ſe potentioris, aut legibus eius tanquam Domini reverenter obtemperare. Niſi enim ſic a Deo conſtitutus fuiſſet, dæmones, ſolo eius pronunciato nomine non exirent e corporibus, quæ obſidebant.“ T. I. p. 343. n. 25. Ib. n. 67. pag. 382. Ib. n. 36. p. 471.

Sic teſte S. Athanasio in vita S. Antonii ab eo *increpatus dæmon in nomine Domini IESU Chriſti exiit: ſanusque fuit homo.* S. Hieronymus vero narrat, quomodo S. Hilarion integram etiam legionem ex Orione viro primario, & ditiſſimo urbis *Ailæ*, invocato nomine Iesu, expulerit: *Domine*, inquit, *IESU ſolve miſerum, ſolve captivum. Ut unum, ita & plures vincere tuum eſt.* „Rem loquor inauditam (pergit S. Hieronimus) T. I. P. II. n. 63. pag. 843. Vita S. Hilar. T. IV. p. 79.

ex uno hominis ore diverſæ voces, & quaſi confuſus populi clamor audiebatur. Curatus itaque & hic, non poſt multum temporis cum uxore & liberis venit ad monaſterium plurima, quaſi gratiam redditurus, dona afferens. Cui Sanctus: *Non legiſti*, inquit, *quid* GIEZI, *quid* SIMON *paſſi ſint, quorum alter accepit pretium, alter obtulit: ut ille venderet gratiam ſpiritus ſancti, hic mercaretur?* Quumque ORION flens diceret: *Accipe, & da pauperibus*, reſpondit: *Tu melius potes tua diſtribuere, qui per urbes ambulas, & noſti pauperes. Ego qui mea reliqui, cur aliena appetam! Multis nomen pauperum occaſio avaritiæ eſt: miſericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat, quam qui ſibi nihil reſervat.* Triſti autem & in terra iacenti: *Noli*, inquit, *contriſtari fili: quod facio pro me, & pro te facio. Si enim hæc accepero, & ego offendam Deum, & ad te legio revertetur.*" Breviter expedivit dæmoniacum, qui ex *Francia* in *Palæſtinam* ad S. Virum opis cauſa advenerat, dæmone „multas incantationum occaſiones & neceſſitates magicarum artium obtendente, *non curo*, ait, *quomodo intraveris, ſed ut exeas in nomine Domini noſtri IESU Chriſti, impero.* Quumque curatus eſſet, ſimplicitate ruſtica decem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit: audiens, quod qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent."

Iam ſupra memoravimus, quæ ei obiecerint dæmones ſpectra: cuiusmodi ut ſemel clamores tantum audivit, „Intellexit (narrante S. HIERONYMO) dæmonum ludibria, & provolutus genibus Chriſti crucem ſignavit in fronte: talique armatus caſſide & lorica fidei circumdatus iacens fortius præliabatur, quodammodo videre deſiderans, quos horrebat audire, & ſollicitis oculis huc illucque circumſpiciens. Quum interim ex improviſo ſplendente luna cernit rhedam ferventibus equis ſuper ſe irruere: quumque inclamaſſet IESUM, ante oculos eius repentino terræ hiatu, pompa omnis abſorbta eſt. Tunc ille ait: *Equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Et: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur.*"

pag. 76.

Crucifixi, *T. I. PP. Apoſt. p. 28. ſeq.*

XII. Intime cum nomine IESU coniunctum eſt crucis myſterium, quod S. BARNABAS in ſua epiſtola explicat, combinatque utrumque ex decem & octo & trecentis viris, quos ABRAHAM circumcidit: „In ſpiritu (inquit) proſpiciens in filium. Quæ ergo (pergit) illi in hoc data eſt cognitio? Diſcite: primo decem & octo; dein trecentos: decem autem & octo exprimuntur per *Iota* decem, *Eta* octo: habes initium nominis Ιησῦς: quia vero crux in figura T quæ deſignat numerum CCC. habitura erat gratiam; ideo ait & trecentos. Oſtendit itaque IESUM in duabus litteris;

litteris; & crucem in tertia. Scit hoc, qui inſitum donum doctrinæ ſuæ poſuit in nobis.“ S. Iustinus vero earundem rerum myſteria conſectatur in Moyse & Iosue in dialogo cum Tryphone. „Alter enim (inquit) expanſis manibus in colle ad veſperam uſque permanſit, cum manus eius ſuſtentarentur, quod ſane nullam aliam, niſi crucis figuram exhibet, Alter autem Iesu nomine cognominatus, dux erat pugnæ, & *Iſrael* vincebat, Illud etiam in ambobus illis ſanctis viris & Dei prophetis factum intelligere eſt, nempe duo illa myſteria neutrum illorum portare ſolum potuiſſe, id eſt, crucis, & cognominis impoſiti ſignum. Eſt enim, & erat, & erit unius ac ſolius iſta vis, cuius vel nomen principatus omnis reformidat, tabeſcens, quod per illum evertendus ſit.“ Et poſtea idem myſterium ſeu revelationem *in nos factam* (gentiles intelligit) quoque explicat: „Qui (inquit) in Chriſtum ſummum ſacerdotem, hunc crucifixum, credimus: qui cum in ſtupris ac omni prorſus ſordida actione verſaremur, per gratiam a noſtro Iesu, ſecundum voluntatem ipſius Patris conceſſam ſordida omnia, quibus induti eramus, mala exuimus: quibus diabolus inſtat ſemper adverſans, ac omnes ad ſe trahere volens; ſed angelus Dei, id eſt, virtus Dei nobis per Iesum Chriſtum immiſſa, increpat eum, & a nobis diſcedit. Ac tanquam ex igne extracti ſumus, cum in prioribus peccatis expurgati, tum ex tribulatione eruendi, & ex incendio nobis a diabolo eiusque omnibus miniſtris admoto; ex quibus nos etiam rurſus ſe extracturum Iesus Dei filius, ac præparatis veſtibus nos induturum, ſi mandata eius obſervamus, & regnum æternum proviſurum, promiſit.“ Demum poſt multa in eandem ſententiam ac allegoriam „Porro (inquit) Amalechi memoriam etiam poſt filium Nave manere liquet; at futurum, ut per Iesum crucifixum, cuius etiam res omnes his ſymbolis præſignificabantur, dæmones exterminarentur, eiusque nomen formidarent, eumque pariter omnes principatus & regna metuerent, & ex omni hominum genere pii & pacifici oſtenderentur, qui in illum credunt, ſcriptura declarat, idque etiam demonſtrant, quæ iam a me, Trypho, commemorata ſunt.“

pag. 204. N. 116. pag. 209. N. 131. pag. 224.

Iſtis vero, quæ nos breviter ſelegimus ex S. Martyris ſermone, explicatur totum illud, qua late patuit, diaboli imperium, quo genus humanum devictum tenuit ſub peccato, ſuaque poteſtate ante Chriſtum ſalvatorem, qui per crucem inimicum deiecit, nobisque ſalutare nomen ſuum & crucis trophæum reliquit: quæ non dubitat S. Chrysostomus *divinas* appellare *incantationes*: „ſi & in diabolum (inquit) divinas incantationes canere noveris, ſtatim vulnerabitur. Sunt enim nobis, ſunt inquam nobis incantationes ſpirituales ipſum nomen Domini noſtri Iesu Chriſti,

Hom. VIII. in cap. 4. ad Rom. n. 6. T. IX. pag. 507.

tum ipſius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non ſolum draconem a latibulo eiicit, & in ignem coniicit, ſed & vulneribus quoque medetur. Quodſi multi hoc dicentes ſanati minime fuerint, accuſent illi modicam ſuam fidem, non dicti infirmitatem. Nam ipſum IESUM multi pellebant, & premebant, nec quidpiam lucrabantur. At quæ ſanguinis fluxu laborabat, nec tacto quidem corpore, ſed tantum fimbria, diuturnos ſanguinis fontes cohibuit. Hoc nomen & dæmonibus terribile eſt, & perturbationibus, & ægritudinibus ſalutare. Hoc igitur ornemur ipſi, hoc tanquam muro nos muniamus.“ Concordat S. ANTONIUS apud S. ATHANASIUM, a quo invocato nomine IESU, cum vitale ſignum in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis preſſiſſet in frontibus philoſophorum, cum expulſis dæmonibus præſentium ſimul philoſophorum confutata eſt ſapientia. *Nos*, inquit, *Chriſtum crucifixum nominantes omnes fugamus dæmones, quos ut deos timetis, & ubi ſignum crucis formatur, magica ars vires amittit, atque veneficia nihil virtutis habent.* Sic diaconus S. GREGORII *Taumaturgi* teſte S. GREGORIO *Niſſæno* in eius vita n. 26. balnei locum, in quo *dominabatur dæmon quidam homicida* intrepride eſt ingreſſus, *ſe ſigno crucis muniens, & Chriſti nomen invocans:* ulteriusque ad interiora progreſſo eadem *arma fuere ſignaculum crucis & Chriſti nomen, & quod per magiſtri preces adferebatur auxilium.* Experimento ſuo id didicit IOSEPHUS ille ſub CONSTANTINO ex *Iudæo* Chriſtianus, de quo S. EPIPHANIUS, oſtenditque „quod prius in viſione perceperat, in inſano quodam homine, qui nudus per urbem circuibat, & cum ſæpe veſtis ei indueretur, eam dilaniabat, ut tales facere ſolent. IOSEPHUS igitur volens experiri viſionem, dubitans autem adhuc, verecundia detinebatur. Aſſumit itaque hunc intro, & præcluſis foribus, acceptaque aqua in manu, eaque crucis ſignaculo ſignata inſanum hominem aſperſit ac dixit: *In nomine IESU Nazareni crucifixi egredere dæmonium ab iſto, & ſanus fiat.* Homo vero magno clamore edito, humi prolapſus, & multa ſpuma ab ore emiſſa, lancinatus ad multum tempus, immotus permanſit; poſtea autem ſanus, & a dæmone liber ſurgens, domum abiit, multis gratiis IOSEPHO actis.“ Necdum tamen hoc miraculo fractum eſt IOSEPHI obduratum pectus, donec novo iterum contra incantationes ſuorum contribulium *Iudæorum* igni vim ſuam reſtituit ad lateres coquendos pro ædificanda in *Tiberiade* eccleſia. Nempe vaſi aquæ „magna voce crucis ſignaculum proprio digito impoſuit, & invocato nomine IESU ſic dixit: *In nomine IESU Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium circumſtantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis & magiæ &c.*“

pag. 854.

Hæreſ. 30.

Exper-

Expertus id etiam, quem ſupra commemoravi, S. GREGORIUS *Nazianzenus*, id de nominis Chriſti IESU virtute teſtatur, additque: *quod etiam mihi ſæpe uſuvenit, cum crucem ne in tabula quidem, ſed in medio tantum aere deſcripſiſſem.* Sic S. MARTINUS *In nomine*, ait, *Domini IESU, ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus:* militem vero Chriſti indutus militiam ſub IULIANO apoſtata detrectavit, ut perhibet SULPICIUS *Severus* de vita S. MARTINI c. 4. In hoc ergo divinam adoramus providentiam, & grato agnoſcimus animo, quomodo Chriſtus iuxta apoſtolum *Phil. II.* 8. &c. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine IESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

XIII. Quid vero dignius divina ſapientia, quid providentia illa mirabilius, quam dum nos cum eodem apoſtolo *prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, patibulum crucis terrorem eſſe infernorum, maſtigiam dæmonum, in quo eorum illuſa eſt ſuperbia, deiecta potentia. *Quid timent dæmones? Quid tremunt? Sine dubio crucem Chriſti, in qua triumphati ſunt; in qua exuti ſunt principatus eorum, & poteſtates. Timor ergo, & tremor cadent ſuper eos, cum ſignum in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachii illius, quod Dominus expandit in cruce.... Non te ergo aliter timebunt, nec aliter tremor tuus veniet ſuper eos, niſi videant in te crucem Chriſti.* Crucis ſigno pelluntur dæmones. *1. Cor. 1, 23.* *Origenes hom. VI. in Exod.*

LACTANTIUS lib. IV. Inſtitut. divin. caput 27. inſcriptum *de mirandis per crucis virtutem effectis, ac de dæmonibus*, ſic orditur: „Nunc ſatis eſt, huius ſigni potentia quantum valeat, exponere. Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum de corporibus, quæ obſederunt, fugiant. Nam ſicut ipſe cum inter homines ageret, univerſos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas, & malis incurſibus furiatas in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius eosdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſſionis excludunt.“ EUSEBIUS *Cæſareenſis* „ſi non (ait) increpantur nomine crucis eorum dii & dæmones, non reſurrexit, qui his, qui non ſunt, terribilis habetur. Confitentur enim & dæmones reſurrectionem Chriſti. Qui enim exorciſant, crucem Domini nominant, & reſurrectionem; & nomine eius, qui mortuus eſt & reſurrexit, increpantes, non ut inobedientes aut contradicentes habent dæmones, ſed obedientes & conſentientes reſurrectionem.“ Appoſita ſi- *Apud Sirmondum T. I. p. 62.*

Hom. LV. in Matth. militudine S. Io. *Chryſoſtomus* utitur, *ſi*, inquit, *ingenti horrore concutimur, cum ſolummodo videmus loca, in quibus capite damnati pœnas perſolvunt, quid paſſurum putas diabolum, cum haſtam viderit, qua lethale vulnus accepit?* Quis vero omnia enumeret eiuſcemodi teſtimonia, aut etiam exempla fugatorum per ſignum ſanctæ crucis dæmonum; præſertim ex corporibus obſeſſorum, & quidem, quod de S. Gregorio *Lingonenſi* ſpecialiter Gregorius *Turonenſis* notat, *ſine ullo tactu, facto tantum ſigno crucis.*

De Vit. SS. PP. c. 7. In eum finem idem etiam ſignum in catechumenis adhibetur, eosque S. Bonifacius *Germanorum* apoſtolus tanquam eccleſiæ hoſtes apud Zachariam P. detulit: *qui nec quærunt ab eis, quos baptizare ſtudent, abrenuntiationes ſatanæ, ſed neque ſignaculo crucis Chriſti eos muniunt,* ut legitur in epiſt. Zachariæ ad S. Bonifacium. Solemnes id loquuntur eccleſiaſticæ formulæ, quæ dæmonibus imperant, ne unquam audeant violare ſignum hoc, *quod nos fronti eorum*, quos baptizamus, *damus*: tum etiam erga baptizatos energumenos hoc cum impreſſione ſigni S. Crucis præceptum iuxta ſacramentarium *Gregorianum: Triumphatus recede in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: & da locum Spiritui ſancto per hoc ſignum crucis IESU Chriſti.* Iterum: *Imperat tibi ſacramentum crucis.*

Phantaſmata fugantur. XIV. Paullo ante retulimus de diacono S. Gregorii *Taumaturgi*, quomodo in balneo dæmonibus infeſtato ſe invocato Chriſti nomine ſigno crucis munierit, atque incolumis evaſerit: de ipſo porro S. Gregorio *Taumaturgo* perhibetur, quemadmodum ex templo quodam idolorum crucis ſigno dæmones fugaverit ibi pernoctans. „Erat illud templum *T. III. Bibl. PP. p. 449.* inſigne, in quo, qui colebantur dæmones, ad ædituos aperte ventitabant, ut qui illic divinarent, & reſponſa dabant. Cum igitur templum unacum ſociis ſubiiſſet, dæmones quidem confeſtim exterruit Chriſti nominis invocatione; figura autem crucis aere expiato, qui nidoribus inquinatus erat, ibi manſit totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans... diluculo autem rurſus iter ſuum cœpit progredi. Cum autem ædituus mane conſuetum dæmonibus cultum exhibuiſſet, apparentes ei dæmones dicunt, clamantes non licere eis templum ingredi propter eum, qui illuc manſerat.“ Eſt hic ipſe ædituus, qui poſtea diaconus, de quo ſupra, ad fidem, & quidem tantam, quam in eo vidimus, converſus, cum cerneret permiſſu S. Gregorii iterum reverti dæmones his ſchedulæ inſcriptis verbis: Gregorius *ſatanæ, ingredere:* iterumque pro arbitratu expelli.

In vita S. Pauli primi eremitæ narrat S. Hieronymus, quomodo oculis S. Antonii, eum inviſuri, in itinere obiectus eſt homo equo mixtus, cui opinio poetarum *Hippocentauro* vocabulum indidit, quo viſo ſalutaris impreſſione ſigni armarit frontem. Idem de S. Hilarione perhibentem paullo ſupra audivimus. Plura autem horribilia ſpectra dæmonum faſcinationibus S. Antonio exhibita S. Athanasius in eius vita deſcribit, quos ille intrepidus ſic aliquando eſt allocutus: *Siquid valetis, ſi vobis in me poteſtatem Dominus dedit, ecce præſto ſum, devorate conceſſum; ſi vero non poteſtis, cur fruſtra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus eſt.* „Multa (pergit S. Athanasius) contra S. Antonium minantes fremebant dentibus ſuis, quod nullus eorum tentamenta ſequeretur effectus, ſed maxime e contrario gigneretur illuſſus.“ Ea propter poſtquam S. Antonius ipſe in ſæpe laudata oratione apud eundem S. Athanasium multa eiuscemodi adumbraſſet phantaſmata, ac formas varias enumeraſſet mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum, „Sed (ſubdit) neque hæ illorum phantaſiæ nobis ſunt pertimeſcendæ: nihil enim cum ſint, ſubito evaneſcunt, ſi maxime fide & ſigno crucis ſe quis munierit.“ Et poſtea: „Cum ergo noctu vos adibunt, volentque futura loqui, ac dicent: *ſumus angeli;* ne fidem habeatis, mentiuntur quippe. Si aſceticum veſtrum laudent inſtitutum, vosque beatos prædicaverint; ne audiatis eos, nec advertere quidem videamini, ſed potius obſignate vos domumque & precemini, videbitisque eos evaneſcere: timidi quippe ſunt, & ſignum dominicæ crucis admodum pertimeſcunt: illo quippe ipſos Salvator ſpoliatos palam traduxit.“ His porro conformiter ipſe S. Athanasius: „Olim dæmones variis ſpectris hominum mentes decipiebant (inquit) iam vero poſt divinum Verbi adventum evanuerunt huiusmodi fallaciæ. Siquidem ſolo crucis ſigno adhibito omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur.“

T. IV. p. 70.

De Incarnat. Verbi T. I. p. 88.

In vita S. Martini, eadem Paulinus, & Sulpitius *Severus* paſſim narrant, frequenter diabolum, dum mille nocendi artibus ſanctum virum conabatur illudere, viſibilem ſe ei formis diverſiſſimis ingeſſiſſe. „Nam interdum in *Iovis* perſonam plerumque etiam *Mercurii*, perſæpe etiam ſe *Veneris* & *Minervæ* transfiguratum vultibus offerebat. Adverſus quem ſemper interritus ſigno crucis, & orationis auxilio ſe protegebat.“ Sancti Martini nomen in memoriam revocat, quod Gregorius *Turonenſis* narrat, quomodo dæmon Landulphum quemdam, epilepticum, qui diabolicas inſidias iam ſæpe crucis ſigno diſpulerat, in fraudem inducere tentarit, nempe „componens ſe in ſpecie veterani venit ad eum dicens:

De Gloria Confeſſ. c. 24.

Ego

Ego ſum Martinus, quem invocas: Surge & adora coram me, ſi vis recipere ſanitatem. Cui ille ait, *Si tu es Martinus, fac ſuper me ſignum crucis, & credam.* At ille, audito nomine ſigni ſibi ſemper contrarii, tanquam fumus evanuit. Poſt hæc autem ſtans ad pedes glorioſi Domini, factus eſt in ſtupore mentis, & vidit beatam baſilicam novo lumine effulgere: ex qua egrediens Sanctus, dixit ad eum: *Exaudita eſt oratio tua, & ecce eris ſanus ab infirmitate, quam pateris.* Poſtea beatæ crucis ſignaculum ſuper caput eius faciens abſceſſit. Ille vero ad ſe reverſus amotis omnibus inſidiis ſalutem ſe ſenſit integram recepiſſe.“ Formidandum eſt, quod THEODORUS lector & NICEPHORUS GENNADIO patriarchæ *Cpolitano* accidiſſe narrant; nempe cum noctu ad altare ſacrificii orans ſtaret, ſpectrum quoddam dæmoniacum ei apparuiſſe, quod ille protinus ſigno crucis, velut immiſſo telo fugavit, cumque recederet, hæc eſt humana voce locutum: *Abeo & te vivente quieſcam, reverſurus poſt obitum tuum, & modis omnibus everſurus eccleſiam.* Tragicum imprimis eſt, quod S. GREGORIUS M. narrat de THEODORO puero in monaſterio non ſatis religioſe ad regulam monaſticam vivente, cui, cum extremum ſpiritum ageret, horribilis draco veluti devoraturus apparuit. „*Caput meum*, aiebat, *iam ore ſuo abſorbuit: date locum, ut non me amplius cruciet, ſed faciat, quod facturus eſt. Si ei ad devorandum datus ſum, quare propter vos moras patior?* Tunc fratres cœperunt ei dicere: *Quid eſt, quod loqueris frater? ſignum tibi S. Crucis imprime.* Reſpondit ille dicens: *Volo me ſignare, ſed non poſſum, quia ſquamis huius draconis premor.* Cumque hoc fratres audirent, proſtrati in terram cum lacrymis cœperunt pro ereptione illius vehementius orare. Et ecce ſubito cœpit æger clamare dicens: *Gratias Deo. Ecce draco, qui me ad devorandum acceperat, fugit, orationibus veſtris expulſus ſtare non potuit.*“ De S. MARTINO monacho, cui tribus annis dæmon in forma draconis adhæſerit, alia occaſione fecimus mentionem ex eodem S. GREGORIO lib. III. Dial. cap. 16. Prætereo alia exempla crucis ſigno interemptorum draconum apud eundem S. GREGORIUM, & THEODORETUM in hiſtoria religioſa, quæ aliaque multa collegit *Iac.* GRETSERUS lib. IV. *de Cruce.*

Theodor. lib. I. coll. Niceph. lib. XV. c. 24.

Lib. II. dial. c. 57.

Nihil his addam, qui ægre hæc modo attuli, facile in animum mihi inducens, fore, ut multi narrata ſubſannent, non obſtante gravitate, ſanctitateque auctorum, qui hæc litteris mandarunt: quibus ſi imponi potuiſſe in iis, quæ ex aliorum fide ſibi imparium relatione acceperunt, concedatur, tam facile tamen nimia credulitate ſe decipi ſiviſſe haud magis cenſendi ſunt, quam fallere in animo habuiſſe. Quæ cum ita ſint, nemo in dubium ea vocet, quorum viri ſanctiſſimi de ſeipſis ſuisque fidem faciunt, veluti

veluti S. ANTONIUS luculentus nobis teſtis eſt in ſæpe citata oratione, quam S. ATHANASIUS nobis in eius vita deſcriptam reliquit, atque alia præterea de eo nobis expoſuit cum illo converſatus, uti etiam SULPITIUS *Severus* cum S MARTINO; S. HIERONYMUS autem nec loco nec tempore remotus etſi ſugillatus de iis, quæ in vita S. PAULI primi eremitæ ſcripſit, in vita nihilominus S. HILARIONIS plura adhuc nobis deſcripſit monſtra diabolica.

Quæ quod ſanctiſſimis illis viris obiecta ſint, non inde vulgi fabulæ de ſpectris confirmantur, anilesque phantaſiæ illuſiones. Rationem ſupra attulimus ex S. ANTONIO, cur ſui ſimiles potius ſtrenuos athletas, qui monaſterii probatione diuturna, ut verbis S BENEDICTI utar, didicerunt contra diabolum pugnare, ſic quaſi eminus aggrediatur ſpectris evanidis & phantaſiis, non iam auſus propius appropinguare longius propulſatus, talesque nactus adverſarios, qui veluti levi brachio, unoque crucis ſignaculo dæmonum præſtigias procul abigant ac eludant, veluti muſcas, aut parvas aviculas, ut de S BENEDICTO S. GREGORIUS perhibet lib. II. Dial. c. 2. *S. Reg. c. 1.*

XV. Neque vero hic ſe continuit ſalvificæ crucis virtus, tum maxime reſplendens, cum adhuc operam ſuam abominationibus idololatrici cultus præſtabant dæmones. „Nam (ut teſtatur LACTANTIUS ſcriptor ſuppar) cum diis ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant,

Nec reſponſa poteſt conſultus reddere vates.

Et hæc ſæpe cauſa præcipua iuſtitiam perſequendi malis regibus fuit. Cum enim quidam miniſtrorum noſtrorum ſacrificantibus dominis aſſiſterent, impoſito frontibus ſigno, deos illorum fugaverunt, ne poſſent in viſceribus hoſtiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruſpices inſtigantibus iſtis dæmonibus, quibus proſecant, conquerentes profanos ſacris intereſſe, egerunt principes ſuos in furorem, ut expugnarent Dei templum, ſeque ſacrilegio contaminarent, quod graviſſimis perſequentium pœnis expiaretur.“ Exemplum profert in libro de mortibus perſecutorum c. 10. ipſum DIOCLETIANUM ad finem ſæc. III. „Cum ageret (inquit) in partibus Orientis, ut erat pro timore ſcrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in pectoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam miniſtrorum ſcientes Dominum, cum aſſiſterent immolanti, impoſuerunt frontibus ſuis immortale ſignum. Quo facto, fugatis dæmonibus, ſacra turbata ſunt. Trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant, & quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant; verum identidem mactatæ hoſtiæ nihil oſtendebant, donec magiſter ille aruſpicum TAGIS, ſeu ſuſpicione, ſeu viſu, ait, idcirco non reſpondere ſacra, quod

Exploſæ magicæ præſtigiæ. *Lib. IV. Divinar. inſtitut. c. 27.*

rebus divinis profani homines intereſſent.“ Geminum eſt, quod de Iu-
Lib.V. c. 2. LIANO apoſtata in *hiſtor. eccleſ.* SOZOMENUS, & THEODORETUS narrant,
Lib.III.c.3. fuſiusque ante hos coævus GREGORIUS *Nazianzenus* oratione III. invecti-
va in IULIANUM: eum magicis ſacris operam dantem ſubito terrore con-
ſternatum ad crucem confugiſſe, eaque ſe adverſus terrores conſignaſſe,
& quem perſequebatur, in auxilium adſciviſſe. „Valuit ſignaculum (ad-
dit) cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deinde? reviviſcit ma-
lum, rurſus ad audaciam redit, rurſus aggreditur, rurſus iidem terrores
urgent, rurſus obiecto ſignaculo dæmones conquieſcunt, perplexusque hor-
ret diſcipulus.“ PRUDENTIUS in *apotheoſi* eandem rem latius circumſcri-
bit.

Orat. 18. In vulgus apud nos notum, quod S. GREGORIUS *Nazianzenus*, &
PHOTIUS in bibliotheca cod. 183. recenſent ex EUDOXIÆ, THEODOSII
iunioris uxoris poematibus de SS. CYPRIANO, & IUSTINA, CYPRIANUM
nempe *Antiochenum* (quem *Nazianzenus* perperam cum celebri *Carthagi-
nenſi* confundit) omnes magicæ artis rationes incaſſum tentantem, vio-
lentiſſimos quosque ac perniciosiſſimos dæmones oppugnandæ virginis
caſtitati immiſiſſe; hos vero pudore ſuffuſos, victosque ſacro-ſanctæ cru-
cis ſigno reiectos fuiſſe; uti etiam in confeſſione S. CYPRIANI habetur,
quæ ad calcem quarundam editionum S. CYPRIANI *Carthaginenſis* legitur.
Ipſeque poſtea CYPRIANUS a dæmone correptus Deo IUSTINÆ invocato,
crucis ſigno immundum a ſe ſpiritum excluſit. Eiusdem argumenti eſt,
quod S. EPIPHANIUS hær. 30. narrat ex ore IOSEPHI comitis, cuius iam
meminimus, de iuvene quodam, qui ad labefactandam Chriſtianæ feminæ
pudicitiam, cum nihil proficerent ſua allicimenta, illa ſignante ſe in no-
mine Chriſti, veneficorum operam fruſtra adhibuit, incantationes nempe
& eiurationes in monumento quodam ſeu ſepulchro. „Poſt exitum igi-
tur (ſunt verba EPIPHANII) ſceleratiſſimorum ex monumento ingreſſus
eſt IOSEPHUS, ac deprehendit etiam alia quædam curioſitatis ſtudia humi
proſtrata. Cognovit autem inſidias, ob qualem fœminam hæc ab ipſis
malefice perpetrata eſſent, & obſervabat, an prævalerent. Ubi igitur
non prævaluerunt præſtigiatores (nam per ſignaculum Chriſti & fidem,
mulier auxilium percepit) cognovit per tres noctes tolerare ac exſpectare
fœminæ acceſſum. Deinde vero pugnare adverſus eos, qui hanc curio-
ſitatem fecerant, quod aſſecutus illam non eſſet. Hoc tertium inſtructio-
nis ad fidem opus IOSEPHO contigit, quod non valuit incantationis vis,
ubi erat nomen Chriſti, & ſignaculum crucis; non tamen perſuaſus eſt,
ut Chriſtianus fieret.“

CASSIANUS Collat. VIII. c. 18. SERENI abbatis narrationem de S. AN-

TONIO

TONIO refert, nempe eum a gentilibus quibusdam magicis incantationibus aliquando vexatum fuisse immissis illi nequissimis sæpe dæmonibus: „Cumque illo (verba SERENI recito) nunc quidem imprimente pectori suo frontique signaculum crucis, nunc vero orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atque ad eos, qui illos direxerant, absque ullo reverterentur effectu, & alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, itidemque ipsis incassum suarum nequitiarum expendentibus vires, atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus adversus militem Christi victorem iterum destinati nihil penitus prævalerent &c." Addit tandem ad S. ANTONIUM venientes Christianos fieri popposcisse. Nec illud prætereundum, quod venientibus ad se atque dæmonum cum ipso certamina audientibus, dicebat: *Signate vos*, & *abite securi*, ut S. ATHANASIUS refert in eius vita, aliaque ipsius S. ANTONII verbis a nobis iam allata; qui etiam hoc consilium dat in lib. de Incarnatione Dei: *Nam*, inquit, *solo crucis signo utens homo fraudes illius repellit.* *T. I. p. 74.*

Iam passim usus sum, libenterque utor in hac re S. ATHANASII auctoritate, præstantissimi præsertim operis illius de incarnatione Verbi Dei, quo nempe incarnati Verbi divinitatem demonstrandam suscepit hoc imprimis etiam argumento contra gentiles artem magicam demiratos: „Nempe illa quidem (inquit) ante verbi Dei adventum apud *Ægyptios* & *Chaldæos* maxime valebat & vigebat, spectantesque miro afficiebat stupore; verum veritatis præsentia, & verbi adventu ipsa quoque convicta ac prorsus destructa est." Provocat postea quemque, ut supra attulimus, „qui in mediis ipsis dæmonum præstigiis, & oraculorum fallaciis, ac magiæ prodigiis signo crucis, quæ apud illos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet." Et non ita multo post n. 55. „Neminem quoque iam (inquit) dæmones præstigiis, oraculis, aut incantationibus decipiunt; sed vel id solum tentantes & aggredientes, signo crucis confunduntur. Et, ut summatim dicam, attende, quomodo Salvatoris quidem doctrina per totum terrarum orbem diffundatur; contra autem universa idololatria, & quidquid Christi fidei adversatur, quotidie decrescat, debiliteturque, & cadat. Quæ cum vides, Salvatorem omnium Dominum &. potentissimum Dei Verbum adora: eos autem, quos ille deficere, & evanescere cogit, sperne & reiice." *T. I. P. I. p. 88.* *Ibid. p. 95.*

In fragmentis T. V. Bibl. PP. *Venetæ* ed. *de amuletis* hæc leguntur: „Si quis in ægritudinem curatu difficilem lapsus sit, psallat: *Ego dixi Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi;* precibus scilicet intentus, ac misericordiam implorans, cœlesti sapientiæ obsequens *pag. 214.*

dicenti: *Fili in tempore infirmitatis tuæ ne deſpicias; ſed ora Dominum & ipſe curabit te.* Amuleta enim & præſtigiæ, vana ſunt auxilia. Siquis vero iis utatur, is clare diſcat, quod ſeipſum effecerit pro fideli infidelem, pro Chriſtiano ethnicum, pro prudenti imprudentem, pro rationabili irrationabilem. At enim vetula viginti obolorum, aut quartariæ vini pretio ſerpentis incantationem tibi exhaurit: tuque ſtas hianti ore tanquam aſinus, quadrupedum ſordes a collo geſtans, repulſo ſalutaris crucis ſigillo. Quod ſigillum non morbi tantum reformidant, ſed etiam omnis dæmonum cohors pertimeſcit, & horret. Quamobrem omnis præſtigiator huiusmodi ſigillo vacuus eſt.“ Nemo S. CHRYSOSTOMO frequentius contra omnis generis magicas ſuperſtitiones, imprimis amuletorum uſum perorat. Supra retulimus locum ex lib. VIII. contra *Iudæos*, ad quos ipſi Chriſtiani impium habebant recurſum ſynagogas etiam adeundo: hinc loco citato: „Et quomodo (inquit) ingredieris ſynagogam? ſi namque ſignaveris frontem tuam, illico fugiet prava poteſtas ſynagogam inhabitans. Si vero non ſignaveris, in ipſis foribus protinus arma abieciſti, mox nudum, & inermem abreptum te diabolus malis innumeris afficiet.“ Quod amuleta attinet, notat, inceſſitque inter alia etiam aurea ALEXANDRI *Macedonis* numiſmata (quorum paſſim ideo tanta hodieque occurrit copia) circumligantes capiti vel pedibus Chriſtianos ſic allocutus Hom. 21. ad *Antioch.* *Tu in cruce non confidis;* Et ibidem Chriſtianos item inceſſit. *Non ligaturas tantum, ſed etiam incantamenta tibi inducis, vetulas ebriasque & titubantes domum ducens.* Excuſationem ibidem atque etiam alibi, veluti homilia VIII. in epiſt. ad *Coloſſ.* c. 3. prævertit, dum uſi huiusmodi ſuperſtitionibus dicunt: „Deum invocamus & nihil amplius facimus, & quæ ſunt huiusmodi: & Chriſtiana eſt, vetula & fidelis: ea eſt idololatria. Es fidelis, ſigna te, dic, hæc arma habeo ſola, hoc medicamentum; aliud autem neſcio.“ Et mox: „Dictitantibus hic autem non eſt idolololatria, ſed ſolum incantatio: Hæc eſt (ſubdit) cogitatio ſatanica, hæ ſunt diabolicæ inſidiæ; tegere errorem, & in melle dare venenum. Quoniam novit ſe illa hac via non perſuaſurum, ingreſſus eſt ad amuleta, & aniles fabulas. Et crux quidem affecta eſt ignominia; litteræ autem in maiori honore ſunt habitæ. Chriſtus fuit eiectus, & introducitur anus ebria & delirans, conculcatum eſt noſtrum myſterium, & choros ducit fraus diaboli.“ Et poſt pauca: „Quousque hæc ſatanica? Quomodo non ridebunt *Græci*? Quomodo non ſubſannabunt? Dicemus magnam eſſe virtutem crucis? Quomodo id eis perſuadebitur, cum videant nos opus habere iis, quæ ipſi irrident?“ In epiſtolam I. ad *Corinth.* Hom. XII. „Quid dixeris (inquit) de ligaminibus, & de cre-

T. I. p. 687.

T. XI. pag. 887.

Tom. X. p. 107. 108.

crepitaculis manui appenſis, & de ſtamine coccineo, deque aliis multis inſania plenis; cum oporteret nihil aliud puero circumponere, quam crucis cuſtodiam?"

Mox aliam inceſſit ſuperſtitionem, dum lutum mulieres in balneo accipientes, nutrices & ancillæ, digito tingentes in pueri fronte imprimebant. „Certe (ſubdit) quod apud *Græcos* talia fiant, mirum non eſt; quod autem apud eos, qui crucem adorant, & myſteriorum arcanorum participes ſunt, & tanta philoſophantur, id certe multis lacrymis eſt dignum. Deus te unguento ſpirituali honoravit, & tu luto filium deturpas? Deus te decoravit, & tu teipſum dedecoras? Et cum oporteret in fronte crucem adſcribere, quæ inſuperabilem tutelam præbet, tu his dimiſſis in ſatanicam amentiam decidis? ..... Quomodo precaris, ut presbyteri manu ſignaculum in fronte apponatur, ubi luto unxiſti? Ne, fratres, ne hæc faciatis; ſed ab ineunte ætate pueros ſpiritualibus armis munite, & docete eos manu frontem ſignare; etiam priusquam poſſint hoc manu facere, vos ipſi eis crucem imprimite. Quid dixeris de aliis ſatanicis obſervationibus in doloribus uteri, & in partu adhibitis, de iis item, quæ in morte, & cum corpus effertur, adhibentur: eiulatus nempe, planctus inſani, ſtulta in ſepulcris admiſſa, circa monumentum ſtudium, intempeſtivum & ridiculum præficarum agmen, dierum obſervationes, nec non ingreſſus & exitus?" S. Augustinus, qui in libris de doctrina Chriſtiana & alibi magicas ſuperſtitiones vanasque obſervantias paſſim pro merito reprehendit ac damnat, alicubi vero, quid pii Chriſtiani ad ſolum nomen eiusmodi faſcinationum agant, edicit: *Quare* (inquit) *non remedia & ligaturas adhibes? Quare non mathematicos, & aruſpices conſulis, ſicut & alii? Et tu ſignas te, & dicis: Chriſtianus ſum, ut repellas iſtos neſcio quos.* *In pſal. 93.*

XVI. Prætereo alia ſtupenda miracula, crucis munimine in quibusvis malis nullo non tempore diverſisque occaſionibus facta, *quippe hoc ſignum*, iuxta S. Cyrillum *Hieroſ.* Catech. XIII. *hodieque morbos ſanat, dæmones pellit, veneficiorum, & incantationum præſtigias evertit.* Eusebius uſum quemdam conſuetudinemque piorum Chriſtianorum teſtatum reliquit, ad ipſa etiam loca, ubi dæmonum cultores, gentiles habitabant, ſignandi ſeſe ſancta cruce: „Cum quis (inquit) ingreditur civitatem gentilium, & religione expoſcente fronti imponere ſignaculum crucis confuſus fuerit, qui ingreditur, ſuam glorificationem, & virtutem crucis in fronte non oſtenderit, iſte etiam ſine tormentis negabit & ſacrificabit." Nemini dubium, agitantibus gentiles dæmonibus, in Chriſtianos ſæviiſſe Crucis munimen in confeſſione chriſtiana, *Vid. Gretſ. libb. de Cruce, & de bened.*

tam diris perſecutionibus, mortibusque; unde etiam cruce ſe muniebant, ingreſſuri ſtadium.

S. Thecla incendio damnata, teſte Basilio *Seleucienſi* in eius vita, ſigno in ſe crucis expreſſo in rogum inſiliit. „ Unde & ignis naturæ ſuæ „ oblitus ob crucis metum, ac reverentiam virgini thalami loco potius *Act. ſinc. p.* „ fuit, quam camini.“ Aliud eſt exemplum, quod apud Ruinart legitur *344.* in actis S. Theodoti, & ſeptem virginum auctore Nilo teſte oculato: „ Cum vero (inquit ille) perveniſſent ad locum, in quo ſolent rei cruciari, locum horribilem, & quem nemo poſt Solis occaſum audebat intrare (quia iſtic præciſa capita, aut contis infixa ſtabant, aut diſperſa iacebant igne combuſta) horrore non modico correpti etiam ipſi ſunt: ſed vocem audierunt dicentem: *Fidenter accede Theodote.* Rurſus ergo perterrefacti crucis ſignum ſuæ quisque impreſſit fronti, & mox apparuit eis crux illuſtris, quæ videbatur ex parte orientali radium ignitum emittere: ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, & genibus flexis adoraverunt verſus locum, unde crux apparebat.“ Idem paullo poſt ſanctus martyr dicitur, *totum corpus ſuum ſigno crucis muniens in ſtadium* proceſſiſſe *animo* *Hom. 16. in* *imperterrito.* De S. Gordio martyre S. Basilius, cum ultimum retuliſ- *S. Gordium* ſet ſermonem: *Hæc*, inquit, *cum dixiſſet, crucisque ſigno ſe circumſcri-* *p. 148.* *pſiſſet, ibat ad ictum, nihil immutato colore, nihil alterata faciei alacritate.*

Iulianus *Apoſtata*, ut vel ignaros imprudentesque Chriſtianos induceret ad thus diis immolandum, altare poſuit, ubi militibus aurum diſtri- *Lib. V. hiſt.* buebat; „ Fertur autem quosdam (ut narrat Sozomenus) ex iis, qui iſtud *eccl. c. 17.* „ ſceleris imprudentes admiſerant, cum in convivio, ut fieri ſolet, ſibi „ mutuo propinarent, benevolentiæ teſtificandæ cauſa Chriſtum ad ſingula *Lib. III. c.* „ pocula nominaſſe.“ Addit Theodoretus: „ Horum unus ſumpto po- *13.* „ culo, non prius bibit, quam ſalutare ſignum imprimeret.“ Sic cum S. Paulino in *Natali* VIII. S. Felicis canere licet:

Nos crucis invictæ ſignum, & confeſſio munit,
Armatique Deo mentem non quærimus arma
Corporis: & quamquam membris videamur inermes
Arma tamen gerimus: quibus & ſub pace ſerena
Contra incorporeos animis decernimus hoſtes.

In tentationibus variis.

XVII. In comparatione autem horum, quos commemoravimus, athletarum SS. MM. recte nos etiam tangit, quod *Hebr.* XII. 4. dicit D. Paulus: *Nondum uſque ad ſanguinem reſtitiſtis*: dum interim facile nobis eſt trophæum crucis contra externum illud tentationum genus erigere, de quo

idem

idem apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus principes tenebrarum harum*, qui ut olim gentiles contra Chriſtianos, ita nunc Chriſtianos inter ſe committunt, bella, oppreſſiones, inimicitias ſerunt, nihilque magis curant, quam vinculum pacis & charitatis inter homines rumpere. De hoc S. CHRYSOSTOMUS illud D. PAULI *Epheſ.* IV. 27. *Nolite locum dare diabolo* interpretatur: „Itaque (inquit) bellum ſibi mutuo inferre, eſt locum „dare diabolo. Nam cum oporteret omnes ſimul eſſe conſtipatos & con- „denſatos, & adverſus illum ſtare, ſolutis, quæ ſunt nobis cum illo, ini- „micitiis, iubemus, ut alter in alterum convertamur. Nunquam enim „locum ſic habet diabolus, ut in inimicitiis.“ Homilia paullo ante citata 21. ad populum *Antioch.* nobis eadem arma, quæ modo ex S. PAULINO audivimus, dat: „Ne ipſe (inquit) diabolus te quicquam lædere poterit, „cum his te cernens armis ubique apparentem. Et hæc te ipſum iam doce, „ut cum ſignum ceperis, ſis miles paratus, & contra diabolum trophæum „erigens, iuſtitiæ coronam capias.“ *Hom. XIV. n. 1. T. XI. p. 104.*

Eſt hæc igitur panoplia noſtra, qua ſi ea utamur fide, quam idem nobis alibi inculcat S. Pater, omnes diabolicos inſultus tentationumque laqueos facile eludemus. „Crucem (inquit) non ſimpliciter digito in cor- pore, ſed magna profecto fide in mente prius formare oportet. Nam ſi hoc modo eam faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorum dæmonum, cum haſtam videat, qua lethale vulnus ſuſcepit, congredi tecum audebit.“ S. CYRILLUS *Alex.* Commentar. in ISAIAM columnam interpretatur ſanctæ cru- cis ſignum, quo obſepiri credentes ſolent & communiri. „Uſi enim ſem- per ſumus hac re, cum omnem diaboli inſultum evertimus, & dæmonum impetus infringimus. Murus enim infractus eſt nobis crux & in ea gloriatio vere ſalutem afferens.“ S. EPHREM, qui in *paræneſi* I. ad eos, qui in relig. rud. ſe exercent, breviter dicit: *ſtrenuus cruce Chriſti, laqueos fugat diabolicos.* in *paræneſi* II. ad monachos iam profectiores *Crucem*, inquit, *fronti impreſſam tenentes ſpectaculum diabolo tremendum habebitis, honorantes iuſtitiam, caſtimoniamque ſervantes iam incolæ paradiſi evaſiſtis.* CASSIANUS Coll. VII. c. 23. cum animadvertiſſet, non tanta tunc feritate atrocitateque dæmones in cœnobiis quam olim graſſatos, „aut virtute crucis (ſubdit) etiam deſerta penetrante, & ubique eius gratia coruſcante, retuſa eſt nequitia dæmonum, aut negligentia noſtra illos ab impugnatione priſtina reddit lentiores, dum dedignantur adverſum nos illa intenſione confligere, qua tunc contra illos probatiſſimos Chriſti milites ſæviebant, hac ſcilicet nos fraudulentia inviſibilium tentationum dirius elidentes.“ *Hom. 55. in Matth. Lib. II. c. 4. T. II. p. 294.*

Frequens S. Crucis usus privatus & publicus in ecclesia.

XVIII. Ea vero res (cum temporibus persecutionum tantopere sæviret cacodæmon impatiens veluti attriti sui regni per Christum) in causa fuerit, quod apud fideles tunc longe maior quam nunc, deprehendatur signandi se cruce frequentia, ut latere ob id Ethnicos non possent: *Latebisne*, ad uxorem scribit TERTULLIANUS, *tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?* In libro autem de corona milit. c. 3. *Ad omnem progressum*, inquit, *atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signo terimus.* Cap. 5. pag. 102. *Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Perinde S. BASILIUS lib. de spiritu S. c. 27. *Si*, inquit, *consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, reiicere conemur; imprudentes & ea damnabimus, quæ in evangelio necessaria ad salutem habentur, imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus: quod genus est, ut eius, quod primum est, & vulgatissimum, primo loco mentionem faciam, ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?*

Intelligi hoc potest de celebri initiandos cruce signandi ritu. Ad hos vero verba faciens ad communem etiam ac promiscuum usum hortatur fideles S CYRILLUS *Hierosol.* cum forte iam tunc salutaris ille mos remitteret: „Crucifixum annuntiamus & tremunt dæmones, multi diversis temporibus cruci affixi sunt: verum cuiusnam alterius in crucem acti invocatio dæmones usquam effugavit? Nec ergo Christi crucem erubescamus. Sed etiam si alter abscondat, tu palam in fronte obsigna, ut dæmones regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc signum, dum manducas, & bibis, sedes, recubas, exsurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, omni in negotio.“ Sic etiam S. GAUDENTIUS *Brixiensis*: „Sit sermo Dei & signum Christi in corde, in ore, in fronte: inter cibos, in lavacris, in cubilibus, & in ingressu & egressu, in lætitia, in mœrore.“ Eadem ac plura adhuc alia recenset ex S. EPHREM imprimis *Iac.* GRETSERUS lib. IV. *de cruce* cap. 10. *veteres Christianos omnibus rebus crucis signum adhibuisse.* Diutius hunc usum in cœtibus monasticis perseverasse colligimus ex GREGORIO *Turonensi de vit. SS. PP. c.* 5. *Veniat benedictus, veniat religiosus, qui orare non desinit, qui crucem auribus & oculis semper imponit, qui viis suis itineris sui salutaria vexilla præmittit.*

Catech. IV. p. 58.

Tract. I. de lect. Evang.

T. I. Opp. p. 351.

Ecclesia porro hactenus in publicis suis ritibus antiquam illam celebri-

britatem conſervat, de qua antiqui SS. PP. teſtantur, veluti S. CHRYSOSTOMUS: „Omnia per illud adminiſtrari, quæ apud nos transiguntur myſteria. Sive enim regenerari oportet; adeſt crux: ſive myſtica illa nutriri oportet alimonia: ſive ordinibus initiari, ſive quid aliud facere, ubique ſalutis hoc adeſt ſignum: ac propterea & in ædibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte, & in mente magno ſtudio illud inſcribimus.“ Et S. AUGUSTINUS: „Quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, qua regeneramur; ſive oleo, quo chriſmate unguntur; ſive ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.“ Et in append. T. V. Ivo *Carnotenſis*: „Huius crucis Myſterio rudes catechizantur: eodem Myſterio fons regenerationis conſecratur: eiusdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiæ accipiunt: cum eiusdem crucis charactere baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione dominicorum verborum conficiuntur: Sacerdotes & Levitæ per hoc idem ad ſacros ordines promoventur: & univerſaliter omnia eccleſiaſtica ſacramenta in huius virtute perficiuntur.“

Hom. 54. in Matth.

Tract. CXVIII. in Ioan T. III. P. II. p. 801.

Serm. 25. de diverſis.

XIX. S. AMBROSIUS in libro *de initiandis* cap. 3. de aquæ conſecratione ad ſolemnem in eccleſia baptiſmum agens „*Merrha* (inquit) fons amariſſimus erat: miſit in eum MOYSES lignum, & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt: cum vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis lavacri & ſalutaris poculi temperatur: ſicut ergo in illum fontem MOYSES miſit lignum, hoc eſt, propheta; ita & in hunc fontem ſacerdos prædicationem dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.“ De conſecratione huius aquæ baptiſmalis diximus alibi: eam exorcizari, ac purgari, in concilio *Carthaginenſi* ſub S. CYPRIANO non unus ex epiſcopis ceu rem aſſertam accipit. Conveniuntque antiquiſſimæ liturgiæ, ac in Miſſali *Gothico* quidem hæc leguntur. *Exorcizo te creatura aquæ. Exorcizo te omnis exercitus diaboli, omnis poteſtas adverſaria, omnis umbra dæmonum &c.* Habetur in aliis præterea veluti in *Gelaſiano* ſacramentario peculiaris *benedictio aquæ ad ſuccurrendum*, infirmo ſcilicet, ſicque incipit: *Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum &c.* Et altera: *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine IESU Chriſti Filii eius, & ſancti Spiritus. Omnis virtus adverſarii; omnis incurſio diaboli, omne phantaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ &c.* Et poſtea in *benedict. aquæ ſpargendæ in domo* eadem ad verbum leguntur, quæ hodieque in benedictione aquæ benedictæ habentur iuxta Miſſale *Romanum: ut creatura*

Exorciſmus aquæ. *T. III. pag. 411.*

Lib. I. n. 73. ſeq.

N. 75.

Lib. III. n. 75. & 76.

mysteriis tuis serviens ad abiiciendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectus &c. Et mox in oratione, quæ dicitur, *Exorcismus aquæ: Omnis virtus adversarii, omnis incursio diaboli, omne phantasma, omnem inimici potestatem eradicare, & effugare ab hac creatura aquæ &c.* Item orat. pro aspersione aquæ rogatur Deus, *ut nullam sævienti adversario tribuat potestatem; sed propria Deo dicta sit domus, ut nullam in ea inimicus licentiam habeat nocendi.*

Libro VIII. *Constitutionum apostol.* c. 19. *de benedictione aquæ & olei,* Matthæo ea apostolo tribuitur; in decretalibus, Anastasio item bibliothecario, Walafrido, aliis etiam recentioribus Alexandro I. P.

Sæc. VII. Lib. I. de Gloria Martyrum c. 24.

Communi iam usu domum portatam fuisse ex Gregorio *Turonensi* discimus: *Omnis*, ait, *populus pro devotione haurit, & vas plenum domi pro salvatione reportat, agros vineasque aspersione saluberrima tutaturus.* Constat eam tam in Oriente quam Occidente hausitam pro potu fuisse: eoque sensu sunt etiam, qui Gregorium *Turonensem* interpretentur.

Aquam in vigilia Epiphaniæ hodieque solemni imprimis ritu consecrari solitam, qui *Græcis* μέγας ἁγιασμὸς dicitur, iam S. Chrysostomo memoratur, quæ domi integro anno, atque adeo biennio & triennio sæpe servata ab omni corruptione immunis: *ac post tantum temporis cum iis, quæ nuper fuerint e fontibus eductæ, certat.* Ut loquitur in hom. de baptismo Christi.

Apud *Edm.* Martenium T. II. *de rit.* lib. III. c. 9. p. 994. legitur ritus & *ordo conficiendi aquam benedictam tempore mortalitatis, seu etiam furoris hominum, vel rabiei bestiarum celebrandam, ut quicunque ex ea gustaverit, mentis & corporis recipiat sanitatem:* ubi præter ordinarium exorcismum sequitur alius, *ut per hanc creaturam aquæ sævi artis inimici tota vis comprimatur, omnes fugentur diaboli exercitus, retundanturque satanæ incursiones.*

Singularis est formula iam laudati Iosephi, qui ex *Iudæo* Christianus a Constantino M. facultatem nactus ædificandorum templorum, cum tale apud *Tiberiadem* moliretur, ignis vero artibus magicis *Iudæorum* impeditus calcem non excoqueret: „Commotus (ut rem ex ipsius ore narrat Epiphanius) & zelo erga Dominum correptus accurrit: & ubi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase coram omnibus (multitudo enim ingens *Iudæorum* confluxerat ad spectaculum, eventum videre cupidi, & quid Ioseph facturus esset) magna voce crucis signaculum digito vasi imposuit, & invocato nomine Iesu sic dixit: *In nomine IESU Nazareni, quem crucifixerunt patres mei, & omnium horum circumstantium fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis ac magiæ,*

Hæres. XXX. n. 12.

quam

quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: & ſic accepit aquam in manum & de aqua ſingulas fornaces aſperſit; & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit.“

In vita S. Hilarionis narrat S Hieronymus, Italici *Gazenſis* equis maleficio impeditis in curſu, ineptum quidem viſum eſſe venerando ſeni, in huiusmodi nugis orationem perdere; „Rogatus tamen a fratribus, qui aderant, ſcyphum fidelem, quo bibere conſueverat, aqua iuſſit impleri, eique tradi. Quem cum Italicus accepiſſet, ſtabulumque & equos & aurigas ſuos, & rhedam, carcerumque repagula aſperſiſſet, ſublatum ſubito eſt omne impedimentum. „Clamor fit vulgi nimius (ſubdit) ita ut ethnici quoque ipſi concreparent: *Marnas victus eſt a Chriſto.* Porro furentes adverſarii Hilarionem maleficum Chriſtianum ad ſupplicium poposcerunt. Indubitata ergo victoria & illis, & multis retro Circenſibus plurimis fidei ocaſio fuit.“ *T. IV. p. 80.*

Supra nonnulla exempla addidimus ex Theodoreti hiſtoria religioſa aquæ a viris ſanctis oratione ſignoque crucis ſacratæ in huiusmodi maleficiis ſalutaris. Ex eodem etiam Theodoreto refertur in hiſtoria tripartita lib. IX. Marcellum *Apameæ* epiſcopum iuſſiſſe fanum *Jovis* diruendum aſpergi: *quod dum fuiſſet factum, dæmon effugit, non ferens aquæ virtutem.* Plura ad rem collecta leges apud Gretserum lib. II. *de benedictionibus* cap. 11. *Per aquam benedictam diabolicas machinationes, fraudes, incantationes, atque præſtigias infringi ac deiici.* Et cap. 14. *Loca dæmonibus infeſta per aquam benedictam purgata.* Cap. 15. *Dæmones aqua benedicta ab obſeſſis exacti.*

XX. Aquæ exorcizatæ miſceri ſolet ſal (ut de orientali etiam eccleſia ex nono canone conſtat) ſimiliter exorcizatum *ad expellendas & excludendas omnes dæmonum tentationes* iuxta ſacramentarium *Gelaſianum.* Ubi ſequitur rubrica: „Deinde mittis ipſum ſal in aqua, & exſufflas in ea, dicis: *Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti.* Et cætera ſicut ſuperius ſcriptum eſt. Hic mittis vinum in ipſa aqua.“ In oratione autem ſolius aquæ fit mentio ad rem his verbis: *Ut ubicumque adſperſæ fuerint, ſtatim arreptus effugiat: & ſit illi, Domine, hæc aqua adſperſionis velut clibanus ardens ignis inextinguibilis.* Cætera vitiata ſunt: ubi iterum diaboli fit mentio. In benedictione ſeu exorciſmo aquæ & ſalis in vigilia Epiphaniæ haud abſimilia leguntur. Sacramentarium *San-Gallenſe* ſæc. circ. X. in orat. *Super aquam & ſal ad animalia,* defendi rogantur *per hanc creaturam ſalis & aquæ . . .*

Cum ſale, pulvere, oleo. *Apud Cotelier. T. I. p. 90. Lib. III. n, 76.*

a laqueis diaboli, *ab infirmitate*, *& a temptatione* (nempe ut ſequens oratio habet, *ab omni temptatoris incurſu*) *& ab invidia*, *& a malitia*, *a malis hominibus*, *a malo loquente*, *a malis oculis*, *a veneficiis*, *& ab aruſpicibus &c.* Quam ſupra ex eodem *Gelaſiano* ſacramentario retulimus benedictionem ſalis & aquæ ad fulgura, ea ad verbum continetur in *San-Blaſiano*, & *San-Gallenſi* modo citato ſacramentario, quod ex *Gelaſiano*, *Gregoriano*, & *Ambroſiano* compoſitum eſt. In eodem codice in ordine baptiſmi ſal benedicitur *ad effugandum inimicum*: veluti in ordinaria apud nos benedictione ſeu exorciſmo exprimitur pluribus. Exorciſmum ſalis & aquæ *ad ſuccurrendum ei*, *qui a dæmonio vexatur*, legere eſt apud MARTENIUM T. II. *de Ritibus* lib. III. c. 9. p. 979. Ex vita S. BERNARDI auctore ERNALDO lib. II. c. 3. diſcimus tunc, ſæc. XII. nimirum, energumenos eceleſiam ingreſſos *ſalibus exorcizatis aſpergi* ſolitos, ad quod dæmon perinde, ac ad crucis ſignum, evangelium, vel S. liturgiam puerum vexabat, quem S. BERNARDUS aqua benedicta ori eius infuſa confeſtim expulit.

T. II Opp. p. 1098.

Mos porro antiquitus fuit tam in Oriente, quam Occidente ſepulchra Sanctorum lavare, aut pulverem ſepulchrorum radere, eoque aquam ſalutarem reddere: quarum rerum exempla apud GREGORIUM *Turonenſem* ſunt notata in *Annalibus Francorum* & alibi. De pulvere, in quem effuſa fuit aqua, qua B OSWALDI oſſa fuerunt abluta, perhibet V. BEDA, quod dæmoniacum liberaverit, apud quem nihil profecerunt exorciſmi. Idem in illud LUCÆ: *Interrogavit autem illum IESUS dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit Legio*; ex plurium fidei dignorum relatione ſe intellexiſſe dicit, fruſtra perdi operam, niſi circumſtantiæ obſeſſionis cognitæ ſint: „Quæ (ſubdit) mendacio ſimillima res, ſed adeo vera & plurimorum atteſtatione notiſſima, ut quidam vicinus mihi presbyter retulerit, ſe quandam ſanctimonialem feminam a dæmonio curare cœpiſſe; ſed quamdiu res latebat, nihil apud eam proficere potuiſſe. Confeſſo autem, quo moleſtabatur phantaſmate, mox & ipſum orationibus, cæterisque, quæ oportebat, purificationum generibus effugaſſe, & eiusdem feminæ corpus ab ulceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali ſtudio adiuncto, ſale benedicto curaſſe &c.“ Lib. VIII. c. 29. *Conſtitut. apoſt.* in benedictione aquæ & olei ſic rogatur: *Da vim effectricem ſanitatis*, *morborum expultricem*, *dæmonum fugatricem*, *omnium inſidiarum profligatricem per Chriſtum &c.*

Lib. III. hiſt. Angl. c. 11.

Lib. III. in Luc. c. 8.

Unctio Olei.

XXI. TERTULLIANUS in libro, quem ad SCAPULAM *Africæ* præfectum pro chriſtiana religione ſcripſit, ad beneficia provocans, quibus a Chriſtianis

nis ethnici etiam ſunt affecti: „Nam (ait) & cuiusdam notarius, cum a dæmone præcipitaretur, liberatus eſt: & quorundam propinquus & puerulus. Et quanti honeſti viri (de vulgaribus enim non dicimus) aut a dæmonibus, aut valetudinibus remediati ſunt. Ipſe etiam SEVERUS, pater ANTONINI, Chriſtianorum memor fuit. Nam & PROCULUM Chriſtianum, qui *Torpacion* cognominabatur, EUHODIÆ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curaverat, requiſivit, & in palatio ſuo habuit uſque ad mortem eius.“ In exordio libri, quem contra *Gnoſticos* latenter venenum ſuum inſinuantes, *Scorpiace* inſcriptum, edidit „In remediis (ſcribit) naturalia plurima, aliquid & magia circumligat... Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adiurandi, & urgendi beſtiæ calcem.“ Ita legitur in *Pariſienſi* RIGALTII editione an. 1674. cum notis *Ph.* PRIORII, quæ talis eſt ad hunc locum: *In Agobardino legitur unguendi*: quod & in editis obſervare licet, atque contextui apprime congruit, alibique a TERTULLIANO de ſalutari apud Chriſtianos olei unctione dicitur, quo in Baptiſmi & Confirmationis ſacramento inungimur; atque ante baptiſmum quidem oleo exorcizato, de quo S. CYRILLUS *Hieroſolymitanus Catech.* XX. *myſtagog.* II. *de baptiſmi cærimoniis* n. 3. ſic effatur: „Igitur exorcizatum oleum ſymbolum erat communicationis pinguedinis Chriſti, quod quidem omne adverſariæ poteſtatis veſtigium extemplo fugat. Quemadmodum enim inſufflationes Sanctorum & invocatio nominis Dei flammæ inſtar vehementiſſimæ dæmones urit, & effugat; ita & exorcizatum iſtud oleum, per invocationem Dei & orationem tantam vim adſumit, ut non modo urendo peccatorum veſtigia depurget, verum etiam omnes inviſibiles Mali (ſpiritus) poteſtates in fugam agat.“

Cap. 4. p. 71.

pag. 487.

pag. 487.

pag. 312.

De oleo exorcizato inter canones ſynodi *Romani* ad *Gallos* epiſcopos a SIRICIO P. miſſos hic legitur: „De oleo ſane exorcizato capiendus ne brevis numerus dierum, multum in hoc proficit ſermo. Fide enim quis ſua plena purgatur. Si enim chriſma infuſum capiti gratiam ſuam toti corpori impertit, nihilominus & tertio ſcrutinio ſcrutatus ſi oleo fuerit contactus non ſæpe ſed ſemel, virtute ſua Deus operatur in tempore.“ Exiſtimo autem vexatum illum INNOCENTII I. locum in epiſtola ad DECENTIUM, de his, qui poſt baptiſmum a dæmonio corripiuntur, commode intelligi poſſe de oleo exorcizato, cuius uſus eſt contra dæmoniacas infeſtationes ante baptiſmum, etiam poſt baptiſmum adhiberi poſſe cum impoſitione manuum. Sic vero habet: „De his vero baptizatis, qui poſtea a dæmonio, vitio aliquo aut peccato intervenien-te, corripiuntur, quæſivit dilectio tua, ſi a presbytero vel diacono poſſint aut debeant conſignari. Nam ei manus imponenda omnino non

Siricii P. epiſt. 8. n. 11.

T. II. Conc. edit. Labb. p. 1247.

eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit ita efficiendi." P. COUSTANT in editione epiſtolarum ſummorum Pontificum ponit poſt QUESNELLUM ad fidem codicum Mſſ. *deſignari* pro *conſignari*, adnotatque etiam vocem *adſignari* reperiri in Mſc. regio DIONISII, in cæteris autem libris extare *conſignari*: quæ mihi etiam retinenda videtur lectio *Labbeana*, atque in plerisque monumentis antiquis pro unctione accipitur: In ſacramentario *Gelaſiano* feria quinta Cœnæ Domini in prima miſſa, quæ *chriſmalis* *Lib. I. n. 40.* inſcribitur, poſt benedictionem olei ad ungendos infirmos, expletoque Canone notatur a diacono oblatum, ad benedicendum, oleum, quod in iam laudato cod. *ſan-Gallenſi*, ubi eadem habentur, vocatur oleum pro infirmis vel pro populo: rogatur autem in benedictione: *Ut ſi quæ illis adverſantium ſpirituum inhærere*, inhæſere, *reliquiæ, ad tactum ſanctificati olei huius abſcedant. Nullus ſpiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur.* Et in altera, quæ mox ſequitur, *Olei exorcizati confectione: omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violentiæ incurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradicare, & effugare, & diſcede a creatura huius olei.* Infra lib. III. n. 76. in Bened. *aquæ ſpargendæ in domo*, hæc legitur rubrica: *Poſt hæc mittis oleo ſanctificato in aqua, & ſic aſpergis ea cum hyſopo per domus.* Sequitur in cod. *ſan-Gall. Benedictio olei Ambroſ.* cum exorciſmo; demum *Exorciſmus olei ad omnem languorem* ubi hoc ad rem: „*Impetum quoque dæmonum, vel incurſiones ſpirituum immundorum, atque legionum malignarum vexationes, umbras, & impugnationes, & inveſtationes, malignorum artes quoque maleficorum, Chaldæorum, auguriorum & divinorum incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorum, & virtute nefanda, & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Domine per hanc invocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli venena, ut exiens inimicus de corporibus famulorum famularumque tuarum omnium confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, a tuis ſanctis angelis conſtringatur, & in infernum, ſicut eum exſpectat digna ſententia, gehennæ ignibus mancipetur, nec ultra habeat ad eos ingrediendi locum, ſed ſalvatio famuli tui ab his omnibus malis, referant honori tuo laudes in perpetuum.* Sed ſua ſe ſimplicitate maxima commendat, quæ hodieque eſt in rituali *Rom.* benedictio olei ſimplicis, hocque exorciſmo orditur: *Exorciſo te creatura olei per Deum Patrem † omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt. Omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, & omnis incurſus, omne phantaſma ſatanæ eradicare, & effugare ab hac creatura olei &c.* Conciſior eſt hic in ſuo fonte,

quam

quam prior ille exorciſmus, ſeu benedictio olei ad omnem, cuiusmodi ampla ibi fit recenſio, languorem, quem in uſum paſſim a viris ſanctis fuit adhibitum oleum.

Sulpitius *Severus* in vita S. Martini c. 16. de puella ab eo a paralyſi ſanata agens „ac primum (inquit) quæ erant illius familiaria in huiusmodi rebus arma, ſolo proſtratus oravit. Deinde ægram intuens, dari ſibi oleum poſtulat: quod cum benedixiſſet, in os puellæ vim ſancti liquoris infudit, ſtatimque vox reddita eſt &c.“ In dialogo autem III. „itidem de virtutibus B. Martini c. 2. dicitur, puſillum olei cum exorciſmi præfatione benedixiſſe, atque ita in os puellæ ſanctificatum liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudiſſe.“ Teſte Palladio in hiſtoria *Lauſiaca* S. Macarius puerum energumenum oleo benedicto liberavit. S. Augustinus lib. XXII. *de civ. Dei* c. 8. *Hipponenſem* quandam virginem *ſcio*, inquit, *cum ſe oleo perunxiſſet, cui pro illa orans presbyter inſtillaverat lacrymas ſuas, mox a dæmonio fuiſſe ſanatam.* Apud Theodoretum in hiſtoria religioſa legitur, parvo lecythò oleo pleno ad Marciani cellam depoſito dæmonem ex ore puellæ itinere quatuor dierum diſtantis, eiicientis ſe virtutem teſtatum fuiſſe. Et Aphraates mulierem, de qua ſupra, eiulantem miſeratus *præſtigiarum vim precibus repreſſit, & allatum ab ea vaſculum olei divina invocatione ſanctificans, eo virum inungi iuſſit. Quod illa cum feciſſet, viri amorem in ſe transtulit, eique perſuaſit, ut illegitimo thoro legitimum anteponeret.* *T. III. p.* 786. *Ib. p.* 818.

XXII. Conveniunt omnia hæc exorcizata, ſal, aqua, oleum ſacrum in benedictione campanarum a multis retro ſæculis ſolemni admodum ritu, ut ſuo loco vidimus, fieri ſolita. In aquæ autem, qua perfunditur, conſecratione orat pontifex: *Ubicumque ſonuerit hoc tintinnabulum procul recedat virtus inſidiantium, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum &c.* poſt primam autem in modum S. Crucis factam unctionem olei: *Proſternat aereas poteſtates dextera tuæ virtutis; ut hoc audientes tintinnabulum contremiſcant, & fugiant ante ſanctæ crucis filii tui in eo depictum vexillum, cui flectitur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*: poſt alteram unctionem conſimilem, ex chriſmate etiam, pariter rogatur: *Ut ante ſonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percuſſio fulminum, impetus lapidum, læſio tempeſtatum.* Campanæ.

XXIII. Quemadmodum vero Iobi exemplum, aliæque a nobis ſupra recenſitæ auctoritates circa dæmonurgiam generatim ſuperſtitionis ſuſpicionem auferunt, ita quæ *Tob.* VI. de fugando extricandoque omni genere dæmoniorum fumo incenſi iecoris piſcis leguntur, indicium præbent, in rerum natura eſſe quædam ad propulſandos dæmones a divina providentia deſti- Thymiamata ac diverſarum rerum exorciſmi.

deſtinata, quod imitari ſolet fidelium cura in fumo ſeu thymiamate ex rebus nonnullis benedictione ſacratis, aut ad uſum eccleſiæ adhibitis.

Pertinet huc in actione baptiſmi uti halitus ſeu exſufflatio miniſtri baptiſmi, ita etiam ſal cum terra ſeu cinere mixtum, atque in ſæpe laudato ſacramentario *San-Gallenſi* ritu *Ambroſ. Benedictio S. Ambroſii ad cinerem & cilicium, de ieiunio, vel ad competentes. Exorcizo te cinis &c.* Obtinet adhucdum ex veteris pœnitentiæ diſciplina benedictio cinerum fer. IV. in capite ieiunii, atque etiam in pontificali *Romano* benedictio cilicii impoſiti in expulſione publice pœnitentium ab Eccleſia in fer. IV. Cin. Sed ſine exorciſmo, qualis in laudato cod. ſub nomine S. Ambrosii habetur. Ad eundem ritum *Ambroſianum* pertinet in eodem cod. *Exorciſmus floris vel frondium dom. indulgentiæ: id eſt in palmis. Exorcizo te omnis creatura florum & frondium in nomine Patris omnipotentis, & nomine IESU Chriſti filii eius, omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis ſpiritus inimici, omnis incurſio dæmonum eradicare & explantare ab hac creatura florum &c.* Et iterum: *Unde ſupra, alia benedictio ſuper olivas. Ambroſiana.* Suntque variæ eiusmodi benedictiones ac exorciſmi creaturarum, quæ per peccatum dæmonibus obnoxiæ ſunt redditæ, eccleſiæ autem poteſtas eſt data, inſtaurandi omnia in Chriſto. Facit huc imprimis *benedictio pomorum* in Sacrament. *Gelaſ.* lib. III. n. 39. *Ut qui eſu interdictæ arboris lethalis pomi in protoparente iuſtæ funeris ſententiæ multati ſumus, per illuſtrationem unici Filii tui redemptoris Dei ac Domini noſtri IESU Chriſti, & Spiritus Sancti benedictionem ſanctificata omnia, atque benedicta, depulſis atque abiectis vetuſti hoſtis, atque primi facinoris inſidiis ſalubriter ex huius diei anniverſaria ſolemnitate diverſis terræ edendis germinibus ſumamus. Qui vivis &c.*

Ad ea, quæ de thymiamate modo diximus, pertinet benedictio incenſi in laudato ſacrament. *Ut ſit ſervulis tuis vel ancillis tuis, munimentum tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera eorum, aditumque & ſedem habere non poſſit &c.* Sicque eccleſia in benedictione cereorum, ad lumen ſc. quo nihil magis poteſtatibus tenebrarum oppoſitum dici poteſt, *talem benedictionem ſignaculo crucis* impertitur: *ut quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint* (candelæ benedictæ) *diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant, & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis: nec præſumant amplius inquietare aut moleſtare ſervientes ſibi omnipotenti Deo &c.*

Ennodius *Ticinenſis* huc etiam reſpicit in benedictione cerei paſchalis: *Adverſus flabra ventorum, adverſus ſpiritus procellarum tua iuſſa faciens, ſit illi (ſi quis hinc ſumſerit) ſingulare perfugium, ſit murus ab hoſte fide-*

fidelibus. Ordo *Romanus* vulgatus *de cereo paſchali extra urbem* verba faciens, plebi diſtribui dicit *ad fumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponendum in agris vel in vineis propter illuſiones diabolicas, ſive contra fulgura & tonitrua.* Iuxta eundem vero ordinem *Romanum* intra civitatem *Romanam non ſic benedicitur, ſed mane primo ſabbato ſancto venit archidiaconus in eccleſiam & fundit ceram in vas maius & miſcitat ibidem oleum, & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem agnorum. In octava paſcæ,* ut poſtea habetur, *dantur agni cerei ab archidiacono in eccleſia poſt miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt intra domos ſuas incenſum accendi ad fumigandum in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate.* Refert hæc etiam GRETSERUS lib. II. *de benedict.* poſtquam multa de eulogiis dixiſſet, quorum inſtar quoddam ſunt hi agni cerei.

Eulogia.

XXIV. Iam notavimus ex BURCHARDI decreto canonem quemdam concilii *Nannetenſis* cum ſubiecta oratione ad eulogias benedicendas ſeu panem benedictum: *Ut ſit omnibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamentum.* Quæ verba hodieque leguntur in *Rituali Romano* ad benedictionem panis: *ut ſit omnibus ſumentibus &c.* In vita S. PACHOMII legitur dæmoniacus per panem benedictum liberatus; alia nonnulla profert laudatus GRETSERUS c. 25. Quibus adiungi poteſt prolixa, quam refert Fr. *Benin.* CASA eccleſiæ *Piſanæ* canonicus in vita RAYMUNDI *Piſani*, ſæc. XII. ſolitarii ſanctitate celebris in *Hetruria*, formula aquæ & panis benedicendi: *ut omnis per eum infirmitas tollatur, & omnis phantaſia ſive diabolica præſentia, ſive etiam illuſio procul pellatur.* Ut inter alia habet.

T. V. P. II. p. 250. ſeq.

Sufflatio, inſputatio. *pag. 1015.*

XXV. Nihil frequentius, ut ROSWEIDUS in vitis Patrum adnotavit, in Sanctorum geſtis dæmonum exſufflatione, inſufflatione, inſputatione. Rei utriusque iam meminit TERTULLIANUS in lib. *de idololatria* a nobis iam citatus; *Quo ore Chriſtianus thurarius, ſi per templa transibit, fumantes aras deſpuet, & exſufflabit, quibus ipſe proſpexit?* In apologetico: *ita*, ait, *de contactu, deque afflatu noſtro contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inviti, & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes.* Quod de igne dicit, lucem accipit ex S. CYRILLO *Hieroſolymitano* iam etiam citato ita *Catech. II. myſt.* loquente: *Nam ut inſufflationes, ſanctorum & nominis Dei invocatio tanquam vehementiſſima quædam flamma urit dæmones & in fugam convertit.* Agit de Catechumenis, quos inſufflare ritus eſt, eadem de cauſa abigendi dæmones.

Cap. 23.

De S. GREGORIO *Taumaturgo* ſcribit S. GREGORIUS *Niſſæus* in eius vita, quod anhelitu oris ſui velum afflarit, & obſeſſo illud imponens dæ-

T. III. Bibl. PP. p. 461.

monem expulerit. „Eſt quidem (addit) ſane etiam hoc ex magnis illius miraculis, quod non aliqua curioſa excogitatione miracula ſanationum efficeret; ſed & ad dæmones expellendos, & ad corporis ſanandas infirmitates ſufficeret oris eius anhelitus, qui per linteum ægrotanti admovebatur. S. ANTONIUS abbas ipſe de ſe narrat apud S. ATHANASIUM, dæmonem ſibi conſpicuum admodum excelſum, dicere auſum, ſe virtutem Dei eſſe & providentiam. *At ego tum magis*, inquit, *in illum inſufflavi, prolato Chriſti nomine.*

Verberibus pulſi dæmones.

XXVI. Mox addit: *Atque verberare conatus ſum, ac re ipſa verberaſſe viſum mihi eſt: ſtatimque ille tantus, cum omnibus ſuis dæmonibus, in nomine Chriſti evanuit.* Narrat SOZOMENUS APELLEM quemdam monachum circa *Achorim*, in monaſterio *Ægypti* multa edidiſſe miracula, & aliquando cum noctu operas fabriles feciſſet, ſpectrum dæmonis forma pulcræ & exornatæ mulieris ei apparuiſſe, & ad libidinem incitaſſe. Sed APELLEM candens ferrum ex camino arreptum, in faciem dæmoni impegiſſe, atque ita ſpectrum illud fugiſſe, ſtridore & lamentatione ſuum dolorem teſtatum. Sic vero malignus ille etiam in hominibus, quos infeſtabat, aut obſidebat, meritas ſuas pœnas (*Germani* uſu loquendi dicerent *ſeine heilige Schläg*) accepit.

Lib. VI. hiſt. eccl. c. 18.

Qua ratione S. BENEDICTUS vagantem monachum virga percuſſum a dæmone liberaſſe apud S. GREGORIUM perhibetur: Nempe *expleta oratione vir Dei Oratorium egreſſus, ſtantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis ſui virga percuſſit: qui ex illo die nil perſuaſionis ulterius a nigro illo puerulo pertulit, ſed ad orationis ſtudium immobilis permanſit: ſicque antiquus hoſtis dominari non auſus eſt in eius cogitatione, ac ſi ipſe percuſſus fuiſſet ex verbere.* Idem poſtea cap. 30. narrat, quadam die dum ad beati IOANNIS oratorium, quod in ipſa montis celſitudine ſitum eſt, pergeret idem S. vir, ei antiquum hoſtem obviam factum cornu & tripedicam ferentem. „Quem cum requiſiſſet dicens: *Quo vadis?* Ille reſpondit: *Ecce ad fratres vado potionem eis dare.* Itaque perrexit venerabilis Pater BENEDICTUS ad orationem, qua completa concitus rediit. Malignus vero ſpiritus unum ſeniorem monachum invenit aquam haurientem, in quem ſtatim ingreſſus eſt, eumque in terram proiecit, & vehementiſſime vexavit. Quem cum vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conſpiceret, ei ſolummodo alapam dedit, & malignum ab eo ſpiritum protinus excuſſit, ita ut ad eum redire ulterius non auderet.“ Sic LEONTIUS *Neapolis Cypri* epiſcopus in vita SIMEONIS *Salis* refert, SIMEONEM inflicta alapa dæmonicum curaſſe.

Lib. II. dial. c. 4. T. II. p. 221.

pag. 261.

Aut increpando.

XXVII. Reſplendet ex his, iisque, quæ porro dicturi ſumus, exſors

ſors quædam ac ſingularis poteſtas, iis eximio Dei beneficio, qui fide præpollent, conceſſa, ad extorquendos, excludendosque dæmones, veluti de primis Chriſtianis de magia tractans TERTULLIANUS perhibet, „qui (inquit) ſpiritualia nequitiæ, non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitatoria operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus multiformem luem mentis humanæ.“ Nempe iuxta S. CYPRIANUM, „quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde iam facultas datur caſtitate ſobria, mente integra, voce pura, virtute ſincera, in medelam dolentium poſſe venenorum virus extinguere, animorum deſipientium labes, reddita ſanitate, purgare, infeſtis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: immundos & erraticos ſpiritus, qui ſeſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere; ut recedant, duris verberibus urgere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur; occulta plaga, pœna manifeſta.“ Quam dire in evangelio vociferatos legimus in obſeſſis hominibus dæmones ad ſolam præſentiam Chriſti, veluti MARCI I. 24. &c. „*Quid nobis & tibi eſt IESU Nazarene: veniſti perdere nos? Scio qui ſis, Sanctus Dei.* Et comminatus eſt „eis IESU dicens: *obmuteſce, & exi de homine.*“ Qui MARCI & LUCÆ IX. MATTH. XVII. memoratur dæmoniacus, quem liberare non potuerunt diſcipuli, ſolummodo *increpavit illum IESUS, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.* MARCI I. 34. & LUCÆ IV. 41. dicuntur exiiſſe *dæmonia a multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui.*

De anima c. 57.

Matth. 17. 17.

Locum hunc S. ANTONIUS verſans in oratione ad monachos, qua id potiſſimum agit, ut ſuis timorem dæmonum excutiat, utpote *invalidorum, Dominus ergo*, ait n. 12. *utpote Deus os dæmonibus obturabat: nos vero a ſanctis eruditos par eſt imitari illos, & illorum æmulari fortitudinem.* THEODORETUS huc gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei *Eph.* VI. 17. interpretatus, *Increpat enim*, ait, *homo ſpiritualis diabolum, & aufugit.* Illuſtria huius rei proſtant in vitis SS. PP. ſpecimina ipſius cumprimis S. ANTONII a S. ATHANASIO, in vita item S. PAULI tum S. HILARIONIS a S. HIERONYMO, S. MARTINI a SULPITIO *Severo* & aliis ſcripta: in hiſtoria religioſa THEODORETI &c. dictis demum apophthegmatibusque S. MACARII & aliorum apud ROSWEIDUM & alios, ex quibus paſſim quædam in medium attulimus.

T. IV Bibl. PP. p. 640.

LACTANTIUS, qui libri II. Inſtitut. *de origine erroris* caput 17. inſcribit: *dæmones nihil poſſe in eos, qui in fide ſolidati ſunt*, initio mox

obiectioni, quæ poſſet obrepere menti, occurrit: „Dicat fortaſſe aliquis, colendos eſſe ne noceant, ſiquidem poſſunt nocere. Nocent illi quidem, ſed iis, a quibus timentur, quos manus Dei potens & excelſa non protegit, qui profani ſunt a ſacramento veritatis. Iuſtos autem, id eſt, cultores Dei, metuunt; cuius nomine adiurati, de corporibus excedunt: quorum verbis tanquam flagris verberati non modo dæmonas ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt.“

At niſi vi adigantur ad dicendam veritatem, & ſeſe, qui & quales ſint, prodendos, omni ſtudio agunt, ut lateant, ſuasque tegant infeſtationes ſub cauſis etiam malisque naturalibus, uti iam in lunatico aliisque evangelicis energumenis vidimus. Neque adeo mirum videri debet, ſicubi gentium ignorentur, tutique deliteſcant, ubi aut nulla eſt, aut certe non exeritur in eos poteſtas, quam formidoloſi tantopere exhorrent, ac refugiunt ipſi: tantum abeſt, ut timeri debeant, audacter potius provocandi, excutiendique a ſuis latibulis, atque palam faciendi: quod in evangelio actisque apoſtolorum ſola præſentia, aut præcepto factum in dæmoniacis, ac ſpiritu pythone legimus *act.* XVI. 16. huiusmodi etiam exemplum in vita S. Hilarii *Arelatenſis* a S. Honorato *Maſſilienſi* diſcipulo relatum legimus cap. 14. „Præcepit, ut abiret malignus ſpiritus. Tum, quia videbat ſe aperte proditum, nec poſtmodum decipiendis animabus clandeſtina fraude valiturum: *Quo*, inquit, *vadam?* Et Sanctus advertens, quantum Dei gratia ſuo miniſterio effeciſſet, lætus exclamat: *Maximum purgati orbis indicium eſt, neſcire quo redeas.*“ Nempe ſanctus epiſcopus ſuos *neceſſaria inſtructione* tum iam præmunierat, ut ibidem narratum eſt.

Cum indignatione iuſta. *pag.* 261.

XXVIII. Apud S. Gregorium lib. II. dialog. cap. 30. de monacho a dæmone liberato ſolummodo inflicta alapa, ut modo retulimus, quærit Petrus: „Velim noſſe, ſi hæc tanta miracula virtute ſemper orationis impetrabat, an aliquando etiam ſolo voluntatis exhibebat nutu?“ Reſpondet S. Gregor. „Qui devota mente Deo adhærent, cum rerum neceſſitas expoſcit, exhibere ſigna modo utroque ſolent, ut mira quæque aliquando ex prece faciant, aliquando ex poteſtate. Cum enim Ioannes dicat: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Qui filii Dei ex poteſtate ſunt, quid mirum ſi ſigna facere ex poteſtate valeant? Quia enim utroque modo miracula exhibeant, teſtatur Petrus, qui Tabitham mortuam orando ſuſcitavit, Ananian vero & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Neque enim oraſſe in eorum extinctione legitur, ſed ſolummodo culpam, quam perpetraverant, increpaſſe.“

Exem-

Exemplum lib. I. dialog. cap. 4. de EQUITIO abbate provinciæ *Valeriæ* attulerat, moniali in horto, dum oblita ſigno crucis benedicere lactucam momordit, dæmone obſeſſa, *hic gravi indignatione vir Dei præcepit, ut diſcederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abſceſſit, nec eam ultra contingere prævaluit.* Idem lib. III. c. 4. narrat de DATIO *Mediolanenſi* epiſcopo in itinere *Conſtantinopolim Corinthi* ſibi hoſpitium ſeligente domum a maligno ſpiritu infeſtatam, ut incolæ præmonebant; is vero nihilominus „ſecurus illam, antiqui hoſtis certamina toleraturus intravit. Itaque intempeſtæ noctis ſilentio, cum vir Dei quieſceret, antiquus hoſtis, immenſis vocibus, magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus aſinorum, ſibilos ſerpentium, porcorum ſtridores, & ſoricum. Tunc repente DATIUS tot beſtiarum vocibus excitatus ſurrexit, vehementer iratus, & contra antiquum hoſtem magnis cœpit vocibus clamare dicens: *Bene tibi contigit, miſer, tu ille es, qui dixiſti: Ponam ſedem meam ad aquilonem & ero ſimilis altiſſimo: ecce per ſuperbiam tuam porcis & ſoricibus ſimilis factus es: & qui imitari Deum indigne voluiſti, ecce, ut dignus es, beſtias imitaris.* Ad quam eius vocem, ut ita dicam, deiectionem ſuam malignus ſpiritus erubuit. An non erubuit, qui eandem domum ad exhibenda monſtra, quæ conſueverat, ulterius non intravit?“ Hæc S. GREGORIUS. Utriusque generis exemplum una ſermonis reique geſtæ ſerie S. BERNARDUS in vita S. MALACHIÆ c. 20. enarrat. „Erat (inquit) mulier in civitate *Culratim* dæmonium habens. Vocatus eſt MALACHIAS: orat pro addicta, urget invaſorem, exit. Sed nondum exſaturata nequitia eius, miſeram invadit mulierculam, quæ forte prope aſſiſteret.“ Et MALACHIAS, „*Non ad hoc*, inquit, *tibi illam tuli, ut hanc pervaderes; exi ab ea.* Paret, ſed repetit priorem. Qua denuo pulſus, recurrit in alteram. Ita per aliquod ſpacium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc ſanctus indignans ſibi illudi a dæmone colligensque ſpiritum infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in adverſarium, ab utraque fugavit, & quidem non minus vexatum his, quam vexaverat ipſe.“

pag. 165.

pag. 288.

T.I. p.673.

S. ATHANASIUS vero in vita S. ANTONII n. 64. in uno homine a dæmone vexato utrumque nobis oſtendit. „Et (ut rem narrat S. doctor) tam furioſus erat dæmon ille, ut ignarus eſſet ſe ad ANTONIUM adduci, imo ſui corporis comederet excrementa. Rogabant itaque, qui ipſum adduxerant, ANTONIUM, ut oraret pro illo. ANTONIUS adoleſcentem miſeratus, precabatur, totamque noctem cum eo duxit inſomnem. Iuvenisque circa auroræ tempus de repente in ANTONIUM irruens, impulit eum. Quod

T.I. p.843.

cum indigne ferrent comites eius, *Ne ſuccenſeatis*, ait ANTONIUS, *adoleſcenti, neque enim illud agit ipſe, ſed qui in ipſo eſt dæmon.* Increpatus autem dæmon, atque iuſſus in loca arida aufugere, id, furore percitus, aggreſſus eſt . . Domino itaque gloriam referte. Nam quod ille ſic impetum in me fecerit, dæmonis exitus ſignum vobis fuit. Hæc loquente ANTONIO, ſtatim ſanatus eſt iuvenis: atque ad ſanam rediens mentem, agnovit, quo eſſet loco, ſenemque amplexatus eſt gratias agens Deo." Alterum ex Paralipomenis ad vitam S. PACHOMII de SS. PACHOMIO & THEODORO Abb. addam, ut a *Bollandianis* refertur T. III. *Maii* append. ad diem XIIII. ubi cap. 3. dæmon utrique in ſpecie formoſæ fœminæ illudens, ad varias interrogationes S. PACHOMII reſpondet, a) ſanctos viros fruſtra ſollicitans, & facile exploſus.

Iam

a) „Contigit quodam tempore, ut, dum PACHOMIUS unacum dilecto ſibi THEODORO nocturnis horis intra monaſterii ſepta deambularet, ſubito & a longe viſum utrique non levis momenti obiiceretur, quod in magnum ſane errorem incautos erat natum inducere. Species porro obiiciebatur mulieris ſupra modum formoſæ, ita ut THEODORUS eam ſpectans, haud parum animo commoveretur & turbaretur vultu. Quem ut B. PACHOMIUS adeo turbatum ac paventem aſpexit, hoc modo affatus eſt: *Confortare in Domino, Theodore, neque angaris animo.* Quo dicto, Sanctus orationi vacare cœpit, ut illam horrore pleniſſimam viſionem a ſe abigeret. Illis vero orantibus, magis etiam magisque viris ſanctis appropinquabat impurum ſpectrum. Mulier ergo inverecunda, cum per orationem non repelleretur, magna dæmonum caterva eam præcedente, ad viros ſanctos propius acceſſit, & hoc modo affata eſt; *Fruſtra eſtis; non enim quidquam modo adverſum me poteſtis efficere: facultas ſiquidem mihi ab omnipotente Deo facta eſt, ut quoscunque voluero, tentare valeam; nec parum impendi temporis, hoc ut a Deo obtinerem.* Cum vero Sanctus ex ea quæreret: *Tu autem unde es, aut quæ? & quosnam ſuſcepiſti tentandos?* illa reſpondens dixit: *Ego filia ſum diaboli, & virtus eius univerſa; mihi namque omnis dæmonum multitudo ſervitium præſtat. Ego ſum, quæ præcipua inter Sanctos luminaria in terram deieci. Ego ſum, quæ Iudam ex apoſtolorum cœtu deturbatum rapui. Poteſtatem ergo accepi, o Pachomi, tecum ut bello contendam: neque enim perpeti potui tantum dæmonum opprobrium. Nemo ita vires noſtras imminuit, ac tu: hoc quippe agis, ut pueris me ac ſenibus & adoleſcentulis calcandam obiicias. Cumque tantam adverſus me multitudinem concites, muro illos inexpugnabili circumdas, timore Domini, ſic ut miniſtrorum meorum nullus appropinquare ulli veſtrum libere audeat. Hoc autem infortunii poſt Verbi divini incarnationem mihi contigit; per hanc namque poteſtas vobis data eſt omnem noſtram conculcandi potentiam, nobisque illudendi.*

Interrogante eam deinde S. PACHOMIO: *Mene ſolum, an alios ut tentares veniſti?* Reſpondit: *Te enimvero, & omnes qui tecum ſunt.* Rurſus ad illam PACHOMIUS: *Nonne & Theodorum? Tam contra te,* ſubiicit illa, *quam contra Theodorum agendi poteſtatem habeo, ſed propius vobiscum congredi minime valeo.* Quærentibus illis, *Quam ob cauſam?* Reſpondit: *Si enim vos aggrediar, cauſa exiſtam veſtri potius lucri quam detrimenti, quoniam digni eſtis reperti, qui gloriam Dei propius intueamini. Verumtamen non omni cum eis tempore verſabimini, quos modo veſtris precibus ſic quaſi muro protegitis atque defenditis. Tempus ſiquidem veniet, poſtquam vos, qui illos nunc a mea violentia cuſtoditis, mortem obieritis, quo plenis inter eos latitiis verſabor. Vos nempe illi eſtis, qui a tanta monachorum multitudine obrui me & conculcari feciſtis.*

Iam ex S. HIERONYMO S. HILARIONIS attulimus verba, hominum causa diabolum etiam iumenta corripere, ubi exemplum narratur Bactri immanis cameli, qui iam multos contriverat, quem vero vilipendens ſanctus cicuravit: „*Non me*, aiebat, *terres diabole, tanta mole corporis: & in vulpecula, & in camelo unus atque idem es.* Et interim porrecta ſtabat manu. Ad quem dum furens, & quaſi eum devoratura bellua perveniſſet, ſtatim corruit &c.“ SULPITIUS *Severus* narrat dial. II. c. 9. S. MARTINO *Treviris* revertenti, ſe præſente tunc, obviam factam vaccam, T. IV. p. 82.

Cumque S. PACHOMIUS quæreret: *Unde autem noſti, eos, qui ſucceſſuri nobis ſunt, commiſſos ſibi ſubditos, non æque ac nos facimus, in DEI timore eſſe conſervaturos, quantum quidem in ipſis futurum eſt?* Tum illa: *Probe equidem novi.* Ac rurſus magnus PACHOMIUS: *Mendacium hoc ex impio tuo cerebro comminiſceris, cum nihil omnino, quod futurum eſt, absque errore cognoſcere valeas; Deo ſiquidem ſoli tantum prærogativæ competit.* Tum illa reſpondens dixit: *Per præſcientiam quidem, ut vere dicitis, nihil omnino novi, quod ſoli Deo proprium; ſed coniectando præſcire me, quæ deinde ſecutura ſunt, aſſerui.* Quærente porro PACHOMIO: *Quam enim in coniectando rationem obſervas? Ex iis*, reponit illa, *quæ facta aliquando novi, de futuris coniecturam facio. At quomodo?* interrogat PACHOMIUS: Tunc illa: *Novi*, inquit, *quod omnis rei principium intenſo deſiderio feratur in id, quod propoſitum eſt, maxime ubi de hominis cum Deo coniunctione & cœleſti vocatione agitur; quam Dei voluntate, per ſigna & prodigia, & varias virtutes firmatam, ſibi quaſi murum circumdant, qui ad eamdem contendunt. Primum porro iſtud ac vehementiſſimum deſiderium poſtquam temporis tractu ad quandam veluti ſenectutem pervenerit, creſcere mox atque augeri deſinit: quod cum fit, tandem vel longitudine temporis plane interit, vel vitiis ita ut morbis, paulatim corrumpitur, vel neglectu atque contemptu hebes redditur.*

Quid igitur eſt, quæſivit rurſum PACHOMIUS, *quod ut tute dicebas, ad viros ſanctitate magnos, ac non ad omnes potius fratres tentandos veneris? quoniam, ut modo etiam fatebare, proprium hoc tibi eſt, ut animas peſſumdes, & tantis ſupra dæmones omnes viribus polles, ut cum viris adeo præclaris congredi minime dubites.* Ad quem illa: *Iam nunc tibi dixi, quod ex quo tempore gratia ac virtus Servatoris in terra apparuit, viribus admodum debiles ſumus redditi, ita, ut paſſeris in morem a viris Deo ſervire volentibus conſtricti, a ſpiritualibus præſertim hominibus ludibrio habeamur. Attamen quantumvis fracti viribus, non tamen quantum in nobis eſt adverſari vobis, ac malitiæ nobis inſitæ ſemen in eius, qui ſe nobis opponit, animum ſpargere ceſſamus. Quod quidem ab eo recipi cum videmus, & locus nobis datur hominem expugnandi, tum ſane omnes ad voluptatem illecebras magis accendimus: econtra autem, ſi, quod iacimus ſemen, admittere per Dei gratiam & fidem recuſet, non aliter ac fumus in aera reſolvitur, ita & ipſi nos evaneſcimus. Hanc igitur ob rem permiſſum nobis non eſt, omnes indiſcriminatim aggredi, quod non omnes ea ſint virtute & perfectione conſpicui. Etenim ſi adverſus omnes depugnare nobis daretur, haud ſane paucos, qui veſtra nunc cuſtodia proteguntur, in fraudem impuliſſem.* Tum ad eam Sanctus: *O veſtram ſopiri neſciam perverſitatem! non ceſſatis humanum genus impugnare, donec divinæ gratiæ vis veſtros conatus omnino diſſipet.* Quo dicto, viſionem omnem eo, quo voluerat modo, fecit ut deſineret, iniungens impuro ſpiritui, ut numquam deinceps monaſterii ſeptis appropinquaret. Facto deinde mane, fratrum præcipuos in unum convocat, & quæcunque obiecta ſibi fuerant, quæque a tentatore dæmone audiverat, exponit. Quin etiam ad reliquorum omnium monaſteriorum rectores litteras exarans, propoſita ob oculos univerſa rei, ut geſta erat, ſerie, in Dei illos timore conſervavit.“

cam, quam dæmon agitabat: „Quæ relicto grege ſuo, in homines ferebatur, & iam multos petulca confoderat. Verum ubi nobis cœpit eſſe contigua, hi, qui eam eminus ſequebantur, prædicere magna voce cœperunt, ut caveremus. Sed poſtquam ad nos torvis furibunda luminibus propius acceſſit, MARTINUS, elevata obviam manu, pecudem conſiſtere iubet: quæ mox ad verbum illius ſtare cœpit immobilis. Cum interea videt MARTINUS dorſo eius dæmonem ſuper ſedentem: quem increpans, *Diſcede*, inquit, *funeſte*, *& innoxium animal agitare deſiſte.* Paruit nequam ſpiritus & receſſit. Nec defuit ſenſus in bucula, quin ſe intelligeret liberatam: ante pedes Sancti recepta quiete proſternitur: deinde iubente MARTINO gregem ſuum petit, ſeque agmini cæterarum, ove placidior, immiſcuit."

Soloque imperio.

XXIX. MATTH. VIII. 16. legimus, oblatos Chriſto veſpere quodam multos dæmonia habentes: *Et eiiciebat ſpiritus verbo.* TERTULLIANO teſte idcirco magus ac præſtigiator habebatur Chriſtus, quod etiam ex EUSEBIO confirmatur, qui lib. III. demonſtrat. evang. c. 8. hanc blaſphemiam copioſe refellit. TERTULLIANI in *Apologetico*, qui eadem lib. III. contra MARCIONEM notat, hæc ſunt cap. 21. „Quem igitur ſolummodo hominem præſumſerant de humilitate, ſequebatur, ut magum æſtimarent de poteſtate, cum ille verbo dæmonia de hominibus excuteret &c."

pag. 20.

pag. 3.

Et S. CYPRIANUS *de gratia Chriſti* ad DONATUM: „Quantus (inquit) hic animi potentatus, quanta vis eſt? non tantum ipſum (Chriſtianum) eſſe ſubtractum pernicioſis contactibus mundi, ut qui expiatus & purus, nulla incurſantis inimici labe capiatur; ſed adhuc maiorem, & fortiorem viribus fieri: ut in omnem adverſarii graſſantis exercitum imperioſo iure dominetur." Omnia complectitur ARNOBIUS lib. I. contra gentes de eadem facultate donisque, quæ vocantur gratis data, argumentum faciens in hæc verba: „Quid? quod virtutes, quæ ſunt a nobis ſummatim (non ut poſcebat magnitudo) depromtæ, non tantum ipſe perfecit vi ſua, verum (quod erat ſublimius) multos alios experiri, & facere ſui nominis cum adfectione permiſit. Nam cum videret, futuros vos eſſe geſtarum ab ſe rerum, divinique operis abrogatores, ne qua ſubeſſet ſuſpicio, magicis ſe artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immenſa illa populi multitudine, quæ ſuam gratiam ſectabatur admirans, piſcatores, opifices, ruſticanos atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes miſſi, cuncta illa miracula ſine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compeſcuit verminantium membrorum cruces, & illi verbo compeſcuerunt furialium vermina paſſionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus dæmonas, & exanimatis ſuos reſtituit,

ſtituit ſenſus: ſub eorum tortantes & illi ſe caſibus, iuſſione non alia ſanitati & conſtantiæ reddiderunt." Sic ille. *T. IV. Bibl. PP.* ed. *Ven.* p. 143.

Neque vero primis tantum illis naſcentis adoleſcentisque eccleſiæ ſæculis, nec penes eos tantum, qui ab eccleſia ſpecialiter eam rite ordinati acceperunt poteſtatem, eam ſtetiſſe, exemplo demonſtrabo ex S. GREGORIO lib. III. *Dial.* c. 21. de puella converſa, cuius ſolo imperio homo eſt a dæmone liberatus, a ſanctimoniali nempe femina, quæ dæmoni „irato vultu magnis clamoribus imperavit dicens: *Exi ab eo, miſer, exi ab eo, miſer.* Ad cuius vocem mox per os vexati diabolus reſpondit, dicens: *Et ſi ab iſto exeo, in quem intrabo?* Caſu autem iuxta porcus parvulus paſcebatur. Tunc ſanctimonialis femina præcepit, dicens: *Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere.* Qui ſtatim de homine exivit, porcum, quem iuſſus fuerat, invaſit, occidit, & receſſit." Ne vero de veritate dubium ſupereſſe queat, dicit S. Pontifex, rei, quam narrat, virum ſanctiſſimum ELEUTHERIUM ſenem Patrem, de quo iam cap. 14. præclaram mentionem fecerat, teſtem extitiſſe, ſibique hoc intimare curaſſe. Id vero ſingulare prorſus præſtigium eſt, quod ADAMANNUS in vita S. COLUMBÆ narrat, dum *quidam, qui maleficus erat, a Sancto iuſſus, de bove maſculo, qui prope erat, lac arte diabolica expreſſit.* „Quod (addit) Sanctus, non ut illa confirmaret maleficia, fieri iuſſit, quod abſit: ſed ut ea coram multitudine deſtrueret. Vir itaque beatus vas, ut videbatur, tali plenum lacte, ſibi ocyus dari popoſcit: & lac cum ſententia benedixit dicens: *Modo probabitur non eſſe verum, quod putabatis lac, ſed dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus ſanguis:* & continuo lacteus ille color in naturam propriam, hoc eſt, in ſanguinem verſus eſt. Bos quoque, qui per unius horæ momentum turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta a Sancto aqua ſuperfuſus, mira ſub celeritate ſanatus eſt." Narrat poſtea, quomodo idem vir ſanctus fontem a veneficio expiarit, ex quo *bibentes aut in eo manus vel pedes de induſtria lavantes dæmoniaca, Deo permittente, percuſſi arte variis infirmitatibus revertebantur.*

pag. 328.

Lib. II.

XXX. De S. MARTINO ceu rem ſingularem refert SULPITIUS *Severus* Dial. III. c. 7. „Si quando autem (ait) exorcizandorum dæmonum MARTINUS operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat, ſicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum; ſed admotis energumenis, ceteros iubebat abſcedere, ac foribus obſeratis in medio eccleſiæ cilicio circumtectus, cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat. Tum vero cerneres miſeros diverſo exitu perurgeri hos ſublatis in ſublime pedibus quaſi de

Contactu.

nube pendere, nec tamen veſtes defluere ſuper faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres ſine interrogatione vexatos & ſua crimina confitentes: nomina etiam nullo interrogante prodebant, ille ſe *Iovem*, iſte *Mercurium* fatebatur. Poſtremo cunctos diaboli miniſtros cum ipſo cerneres auctore cruciari. Ut iam in MARTINO illud fateamur impletum, quod ſcriptum eſt: *Quoniam Sancti de Angelis iudicabunt.*" Hæc SULPITIUS.

De oratione dicemus poſtea; *de contactu* verò perinde *deque afflatu* paullo ante teſtimonium publicum TERTULLIANI gentilibus exprobratum in apologetico audivimus, quomodo dæmones *de corporibus noſtro imperio excedunt inviti:* libenter autem teſtes etiam adhibemus graves ac idoneos poſteriorum temporum, quibus huiusmodi virtutes ceſſaſſe dictitant, quales a Chriſto tactu ſubinde factas fuiſſe teſtantur evangeliſtæ, imo etiam in veteri iam teſtamento legitur; modum vero illum haud raro ſecuti ſunt ſervi Dei. Talem nobis præſentat S. GREGORIUS M. ISAAC nomine lib. III. Dialog. c. 14. Quem ſuperbiæ ſpiritu inflatus quidam alapa cum percuſſiſſet „hunc repente ultor ſpiritus invaſit, & ad viri Dei veſtigia ſtravit, ac per os illius clamare cœpit: ISAAC *me eiicit.* Vir quippe peregrinus, quo cenſeretur nomine, neſciebatur; ſed eius nomen ille ſpiritus prodidit, qui ſe ab illo poſſe eiici clamavit. Mox autem ſuper vexati corpus vir Dei incubuit, & malignus ſpiritus, qui eum invaſerat, abſceſſit." Ad Chriſti vero inſtar eſt, quod S. GREGORIUS *Turonenſis* de S. PATROCLO abbate narrat in vit. PP. c. 9. „Ingreſſus (ait) altas ſilvarum ſolitudines venit ad locum, qui dicitur *Mediocantus*, ibique conſtructa cellula in opere Dei vacabat. Atque inibi cum multos energumenos manu impoſita per ſignum crucis effugatis dæmonibus mente integra reddidiſſet, unus ad eum rabidus adductus eſt, qui rictibus patulis dentibusque cruentis, quod attingere poterat, dentibus propriis laniabat, pro quo per triduum in oratione proſtratus obtinuit ad illam divinæ miſerationis potentiam, ut mitigato furore leto obnoxius mundaretur, immiſſisque in os eius digitis, fugato feralis atrocitatis ſpiritu, perſonam reſtituit incolumitati . . . per crucis ſanctiſſimæ virtutem."

pag. 304.

pag. 1199.

S. MARTINUS, ut in eius vita narrat SULPITIUS, ingreſſus *Treviris* patrisfamilias cuiusdam domum in limine ipſo reſtitit, dicens: „Horribile in atrio domus dæmonium ſe videre. Cui cum, ut diſcederet, imperaret, quemdam e familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit: ſævire dentibus miſer cœpit, & obvios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam verſus. MARTINUS ſe furenti obiecit, ac primum ſtare ei imperat. Sed cum dentibus fremeret, hian-

hiantique ore morſum minaretur, digitos ei MARTINUS in os intulit: *Si habes aliquid poteſtatis, hos devora.* Tum vero, ac ſi candens ferrum faucibus accepiſſet, longe reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere: & cum fugere de obſeſſo corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire per os liceret, fœda relinquens veſtigia fluxu ventris egeſtus eſt. Interea (pergit c. 18. atque ad rem perſequi licet) cum de motu atque impetu barbarorum ſubita civitatem fama turbaſſet, dæmoniacum ad ſe exhiberi iubet: imperat, ut, an verus eſſet hic nuntius, fateretur. Tunc confeſſus eſt, ſedecim dæmones fuiſſe, qui rumorem hunc per populum diſſeminaſſent, ut hoc ſaltem metu ex illo MARTINUS oppido fugaretur, barbaros nihil minus quam irruptionem cogitare."

Impoſitione manuum.

XXXI Ante hæc narraverat SULPITIUS eodem tempore, eademque in urbe TETRADII cuiusdam proconſularis viri ſervum dæmonio correptum, dolendo exitu eſſe cruciatum. „Rogatus ergo MARTINUS, ut ei „manum imponeret, deduci eum ad ſe iubet; ſed nequam ſpiritus nullo „proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in advenientes rabidis „dentibus ſæviebat. Tum TETRADIUS ad genua beati viri advolvitur, o„rans, ut ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipſe deſcenderet. „Tum vero MARTINUS negare, ſe profani & gentilis domum adire poſſe. „Nam TETRADIUS eodem tempore adhuc gentilitatis errore implicitus te„nebatur. Spondet igitur ſe, ſi de puero dæmon fuiſſet exactus, Chri„ſtianum fore. Ita MARTINUS impoſita manu puero, immundum ab eo „ſpiritum eiecit." De S. AMBROSIO perhibet PAULINUS in eius vita num. 28. „In civitate *Florentinorum*, cum in domo clariſſimi quondam viri „DECENTIS, & quod eſt amplius Chriſtiani, maneret, filius eius PANSO„PHIUS nomine, admodum parvulus, cum ſpiritu laboraret, frequenti o„ratione, & impoſitione manus ſacerdotis ipſius eſt ſanatus." Quomodo hunc ipſum PANSOPHIUM mortuum poſt aliquantos dies ad vitam revocarit, ad noſtrum nunc inſtitutum non pertinet; id vero quod poſt multa n. 43. idem præſens ſpectator eius vitæ auctor memorat: „Multos diebus illis, „imponente illo manus & imperante, ab ſpiritibus immundis vidimus eſſe „purgatos." De S. GERMANO epiſcopo *Pariſienſi* refert in eius vita FORTUNATUS *Pictavienſis* epiſcopus coætaneus, quod obſeſſæ mulieri manum impoſuerit, & crucem impreſſerit, dæmon vero per nares in forma muſcæ cum ſanguine copioſo exiverit.

T. IV. Opp. p. VIII.

Ib. p. XII.

Libenter vero & peropportune hos in exemplum adduximus, quorum ille, S. AMBROSIUS ſc liturgiæ *Mediolanenſis*, quæ a ſuo nomine appellationem accepit, auctor; S. GERMANUS autem ex primoribus habetur li-

turgiæ *Gallicanæ* inſtauratoribus, ut adeo ſtatum in eccleſia ſuis temporibus ritum impoſitionis manuum ſecuti fuiſſe cenſendi ſint, quomodo etiamnum in ordinatione exorciſtarum poteſtas datur *imponendi manus ſuper energumenos ſive baptizatos, ſive Catechumenos.* Apud MARTENIUM de ritib. lib. III. c. 9. de arreptitiorum ſeu energumenorum adiurationibus leguntur ordines ex codd. Reg. & *Vindocinenſi*, in quibus præſcribitur, ut ſacerdos, ad quem ductus fuerit energumenus, omnium peccatorum eius confeſſionem excipiat, *ponat manum in ſummitate capitis*, ac poſt multas preces ſignet eum ad frontem, ad oculos, ad aures, ad nares, ad pectus, ad os, ad pedes, ad ambas manus.

Hoc argumento utitur P. COUSTANT in not. ad iam laudatam INNOCENTII I. ad DECENTIUM epiſtolam: ubi de unctione paullo ante olei agentes, vocem *deſignari*, ſeu *conſignari* de unctione accipi poſſe cenſuimus, P. COUSTANTIO vero neutram aliud ſonare debere videtur, quam ſimplex *ſignare*, nec me refragante, ſi de ſigno S. Crucis accipitur, quod perinde adhibitum oſtendimus, ac etiam nunc manus impoſitionem adhiberi conſtat: de qua in illa INNOCENTII epiſtola hæc adduntur: „Nam eis (energumenis) manus imponenda omnino non eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, epiſcopi eſt imperare, ut manus eis vel a presbytero, vel a ceteris clericis imponatur. Nam quomodo id fieri ſine magno labore poterit, ut longe conſtitutus energumenus ad epiſcopum deducatur; cum ſi talis ei caſus in itinere acciderit, nec perferri ad epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit.“

Sola etiam præſentia Sanctorum, aut rerum ad eos pertinentium.

XXXII. EUSEBIUS H. E. lib. VII. c. 10. partem nobis epiſtolæ S. DIONYSII *Alexandrini* conſervavit, in qua cauſam exponit perſecutionis ſub VALERIANO imperatore, qui initio principatus Chriſtianis impenſe faverat, „totaque eius familia (ſunt verba EUSEBII) piis hominibus abundabat, ac Dei eccleſia eſſe videbatur. Verum magiſter & archiſynagogus magorum *Ægypti* ei tandem perſuaſit, ut ab hoc inſtituto deſciſceret; iubens, ut caſtos quidem & ſanctos viros perſequeretur atque occideret, quippe qui ſceleſtis ac deteſtandis incantationibus adverſarentur atque obſtarent. Erant enim & ſunt etiamnum eiusmodi, qui vel præſentia atque aſpectu ſuo, & inſufflantes dumtaxat ac vocem edentes, dæmonum præſtigias diſturbare poſſint.“ Meminimus iam S. GREGORII *Taumaturgi*, qui tunc temporis circa medium ſæc. III. vixit, ac teſte SOCRATE dæmones abſens etiam per epiſtolam fugavit.

Lib. IV hiſt. eccl. c. 27.

Neque vero eiusmodi virtus Sanctis defuit, poſtquam eccleſia ſub imperatoribus chriſtianis principatum tenuit, eiusmodi quidem, qualis *Act.* XIX.

12,

12. de S. Paulo memoratur, *ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Sulpitio dial. II. c. 8. femina memoratur, quæ partem ſtraminis, in quo S. Martinus quieverat, ſibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agitabat, de cervice ſuſpendit. *Nec mora, dicto citius eiecto dæmone, perſona purgata eſt.* Et dial. III. c. 6. „Monaſterium (inquit) beati viri duobus a civitate erat millibus diſparatum: ſed ſi quoties venturus ad eccleſiam, pedem extra cellulæ ſuæ limen extulerat, videres per totam eccleſiam energumenos rugientes, & quaſi adveniente iudice agmina damnanda trepidare, ut adventum epiſcopi clericis, qui venturum eſſe neſcirent, dæmoniorum gemitus indiceret. Vidi quemdam appropiante Martino in aere raptum, manibus extenſis in ſublime ſuſpendi, ut nequaquam ſolum pedibus attingeret.“ Et poſtea cap. 14. „Vidi præterea ad pſeudothyrum (poſticum) monaſterii ipſius adductum energumenum, & prius quam ad limen attingeret, fuiſſe curatum.“ *Vid. Tom. Vorſtii not. ad hunc locum.*

En oculatum teſtem Sulpitium S. Martini diſcipulum. Cuiusmodi alterum producere licet Paulinum vitæ S. Ambrosii ſcriptorem. Is poſtquam narraſſet, mortua Iustina haruſpicem Innocentium nomine, cum pro cauſa maleficiorum a iudice torqueretur, aliud quam interrogaretur, fateri cœpiſſe. „Clamabat enim (pergit n. 20.) ab angelo maiora tormenta ſibi adhiberi eo, qui cuſtodiret Ambrosium: quoniam temporibus Iustinæ ad excitanda odia populorum in epiſcopum, cacumen tecti eccleſiæ conſcendens, medio noctis ſacrificaverit. Sed quanto inſtantius & ſollicitius opera maligna exercebat, tanto magis amor populi circa fidem catholicam, & Domini ſacerdotem convaleſcebat. Miſiſſe etiam ſe dæmones, qui illum necarent, fatebatur: ſed dæmones renuntiaſſe, ſe non ſolum ad ipſum appropinquare minime poſſe, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat epiſcopus: quia ignis inſuperabilis omne illud ædificium communiret, ut etiam longe poſiti urerentur: atque ita ceſſaſſe artes ſuas, quibus adverſus Domini ſacerdotem ſe aliquid poſſe arbitrabatur.“ Hæc, inquam, poſtquam narraſſet, „Per idem tempus (ſubdit) cum vir illuſtris Grobus puerum ſuum notarium, qui ſpiritu immundo graviter vexabatur, direxiſſet ad epiſcopum, egreſſum ex urbe dimiſit diabolus, timens ad virum ſanctum perduci. Atque ita puer, quamdiu *Mediolani* apud epiſcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed ubi egreſſus *Mediolano* eſt, & prope urbem pervenit, idem ſpiritus, qui illum antea habuerat, vexare eum cæpit. Qui cum interrogaretur ab exorciſtis, cur, quamdiu *Mediolani* fuiſſet, non in illo apparuiſſet,

paruiſſet, confeſſus eſt diabolus timuiſſe ſe AMBROSIUM, & ideo receſſiſſe ad tempus, atque exſpectaſſe in illo loco, ubi ab illo receſſerat, donec reverteretur: quo revertente, vas, quod deſeruerat, repetiſſe.“ Narrat poſtea n. 33. rem, cui ipſe aderat, translationi nimirum S. CELSI M. ad baſilicam apoſtolorum, ubi „cum tractaret epiſcopus, quidam de populo repletus ſpiritu immundo clamare cæpit, ſe torqueri ab AMBROSIO. At ille converſus ad eum ait: Obmuteſce diabole; quia non te torquet AMBROSIUS, ſed fides Sanctorum, & invidia tua, quoniam illo vides aſcendere homines, unde tu deiectus es: nam AMBROSIUS neſcit inflari. Quo dicto, ille, qui clamabat, obmutuit, proſtratusque in terram eſt, nec amplius vocem, qua obſtrepere poſſet, emiſit.“ Quodſi hæc energumenum ad captandum præſentis tunc & adhuc viventis S. Paſtoris favorem finxiſſe, ſimulaſſeque forte quis in animum inducat, audiat, quid acciderit mortuo ſancto paſtore: „cum (ut idem refert n. 48.) corpus illius peractis ſacramentis divinis de eccleſia levaretur portandum ad baſilicam *Ambroſianam*, in qua poſitus eſt, ita ibi dæmonum turba clamabat, ſe ab illo torqueri, ut eiulatus eorum ferri non poſſet. Quæ gratia ſacerdotis non ſolum in illo loco, verum etiam in plurimis provinciis uſque in hodiernum diem manet.“

Ad Sanctorum lipſana.

XXXIII. Præſens vero his omnibus aderat PAULINUS clericus eccleſiæ *Mediolanenſis* ſub S. AMBROSIO, eiusque plerumque, ut ex ſermonis ſerie coniicitur, adhærens lateri. Conveniunt etiam PAULINI dicta cum iis, quæ ſcribit S. AMBROSIUS, exempli cauſa, de ſolemni elevatione corporum SS. GERVASII & PROTASII, quando inter alia miracula „obſeſſa etiam corpora a ſpiritibus immundis curata, ſumma cum gratia domum repetebant, ringente tum IUSTINA cum *Arianis* in palatio,“ contra quos dæmones ipſi teſtimonium reddere compellebantur. „Unus itaque (ſunt PAULINI verba) ex ipſa multitudine ſubito arreptus a ſpiritu immundo clamare cæpit, ita torqueri eos, ut ipſe torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non crederent in Trinitatis unitatem, quam docet AMBROSIUS.“ Verba eadem fere S. AMBROSIUS in epiſtola ad ſororem ſuam habet, ſubditque n. 22. „Non accipio a diabolo teſtimonium ſed confeſſionem. Invitus dixit diabolus, ſed exactus & tortus.... Dicebant hodie & ſuperiore die vel nocte dæmones: *Scimus, quia martyres eſtis.* Et *Ariani* dicunt: *Neſcimus, nolumus intelligere, nolumus credere.* Dicunt dæmones martyribus: *Veniſtis perdere nos; Ariani* dicunt: *Non ſunt dæmonum vera tormenta, ſed ficta & compoſita ludibria.* Audivi multa componi, hoc nemo unquam fingere potuit, ut dæmonem ſe

Claſſ. I. ep. 22. T. III. p. 934.

„eſſe

„ esse simularet. Quid illud, quod ita exagitari eos videmus, quibus „ manus imponitur? Ubi hic locus fraudi est? ubi suspicio simulandi?“ Qui his aderat præsens tunc *Mediolani* S. Augustinus lib. IX. Confess. c. 7. eadem confirmat. „Cum enim (inquit) propalata, & effossa digno „ cum honore transferrentur ad *Ambrosianam* basilicam, quos immundi „ vexabant spiritus, confessis eisdem spiritibus sanabantur.“ Addantur, quæ narrat lib. XXII. *de civitate Dei* c. 8. *de miraculis, quæ, ut mundus in Christum crederet, facta sunt, & fieri mundo credente, non desinunt.* Paulinus vero postea iterum, cum S. Ambrosius in civitate *Florentia* N. 29. reliquias SS. Martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in *Bononiensi* civitate levaverat, deponeret, magnam totius plebis lætitiam, *pœnam vero dæmonum confitentium martyrum merita* commemorat. Et S. Ambrosius in sermone de his SS. Nazario & Celso, *Cur autem*, inquit, *non honorent corpus illud fideles, quod reverentur dæmones?* Argumento hoc utitur S. Hieronymus contra Vigilantium eiusque sectatores: etiam in cap. 65. Isaiæ.

In epitaphio Paulæ eadem etiam de sepulchris prophetarum ex ore *Epist. 86.* ipsius Paulæ cum viveret, affirmat: „Namque (inquit) cernebat variis *T. IV. pag.* dæmones rugire cruciatibus; & ante sepulcra Sanctorum ululare homines *677.* more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum: alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisque pede feminis, vestes (non) defluere in faciem.“ Est hic particula negativa addenda, ut in locis synonymis aliorum SS. PP. Sic S. Hilarius in libro contra Constantium n. 8. „Plus cru- *pag. 1243.* delitati vestræ (inquit) Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum martyrum sanguis exceptus est, & veneranda ossa quotidie testimonio sunt: dum in his dæmones mugiunt, dum ægritudines pelluntur, dum admirationum opera cernuntur, elevari sine laqueis corpora, & suspensis pede feminis, vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri sine interrogatione vexatos, agere omnia non minus cum profectu examinantis, quam incremento fidei.“ His, quæ supra ex Sulpitio *Severo* dial. 3. de S. Martino retulimus, congruunt. Eadem etiam leguntur in Nat. VII. S. Felicis apud Paulinum. Idem in Nat. VI. S. Felicis sic canit:

Quis tantos agit huc populos! quænam manus urget
Dæmonas, invitosque rapit, frustraque rebelli
Voce reclamantes compellit ad usque sepulchrum
Martyris, & Sancto quasi fixos limine sistit?

Facit

Facit ad rem S. Victricii *Rothomagenſis* epiſcopi circa finem ſæculi IV. liber *de Laude Sanctorum*, quem haud pridem abb. Le-Beuf ex mſc. cod. S. Galli annorum plus mille edidit, recuſusque extat T. VIII. Bibl. PP. edit. novæ *Venetæ*. Ubi ſic etiam perorat de ſacris reliquiis, quas ex *Britannia* attulerat: „Ecce incumbit immundi pollutique ſpiritus tortor, nec venit ſub aſpectu illius, qui torquet. Nulla ſunt vincula, & ligatur ille, qui patitur. Equuleum aeris habet ira cœleſtis Nulla ungula eſt, & tanta ſunt crimina confitentium: nullum vulnus apparet, & dentium ſtridor auditur: nulla interrogatio diſceptantis, & ſequitur permiſſio recedentis.“ Addit mox votum: „Sed nunc nobis, amantiſſimi, orandum eſt, non perorandum (orandum) inquam, ut a nobis omnis diaboli impetus repellatur, qui clandeſtino lapſu noſtrum pectus ingreditur. Firmate igitur Sancti, veſtros firmate cultores, ac petra angulari pectus inſtruite. Periculoſus eſt hoſtis: omnes aditus, omnes explorat egreſſus. Sed nihil eſt verendum, grandis eſt occurrentium multitudo Sanctorum.“ Nec illud omittendum, quod ante hæc omnia idem n. 8.
pag. 232. dixerat: „Ecce nobis velut prælato Reliquiarum ſuarum lumine tramitem veritatis oſtendunt. Docent reverentiam, fidem, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, concordiam, continentiam, caſtitatem, dum in obſeſſis corporibus, his quæ ſunt contraria puniunt, & vitiorum amovent labes.“

Ex *Græcis* SS. Patribus argumento hoc prima in Iulianum invectiva & alibi veluti carmine iambico T. II. p. 216. uſus eſt S. Gregorius *Naz.*

Quid ſi commemorem illud, quod morborum ac dæmonum
Purgatio inde oritur incredibilis, vel ex tumulis ipſis,
Qui corpora quondam recipere meruerunt pretioſa,
Quæ ſpirituum malorum incurſionibus reſtiterunt.

Lib. I. T. I. Rememoranda hic ſunt, quæ ſupra ex S. Chrysostomi ſermone ad Sta-
pag. 155. girium dæmone vexatum attulimus, ac imprimis arreptitio illi ſcrupulum illum eximere animo allaborat: „Cum tantum (inquit) tempus in ieiuniis ac pernoctationibus, & reliqua vitæ auſteritate contriveris, nullam ærumnarum tuarum liberationem hactenus inveneris. Tertio: quod cum ſanctus ille vir tantam in reliquis viris potentiam oſtenderit, nihil eiusmodi potuerit in tua dilectione perficere, neque ipſe, neque ii, qui cum illo erant, illo etiam in hoc genere potentiores, verum omnes re infecta abs te cum rubore diſceſſerint.“ Loquitur hic de ſancto viro adhuc in vivis exiſtente, qui fruſtra operam ſuam, Deo ita in ſalutem haud dubie Stagirii volente, impenderit, cum in aliis tantam potentiam oſtenderit.

Alibi

Alibi contentionem fidelium declarat ad Sanctos recurrendi, ut obsessi liberentur: „Rursus (inquit) a dæmone si correptum videas, ad omnes Sanctos curris, & eos, qui cacumina montium incolunt, interpellas, ut illum eiusmodi furore liberent.“ In S. Iulianum dum ostendit, quam dæmones martyrum sepulchra formident, sic argumentatur: „Quodsi nunc tanto post tempore, cum pulvis & cinis est factus, suspicere in monumentum non audent, nec in nuda Sancti ossa; minime dubium est, quin tum quoque, cum illum sanguinem purpuratum videbant, vulneribus undique amplius, quam solem radiis refulgentem, perculsi fuerint, & oculis læsi recesserint.“ Homilia XIII. in Matthæum hinc dæmonum cruciatus ac vim, quam patiuntur, ac ipsi ad sepulchra Sanctorum clamantes, & ululantes fatentur inviti, expendens, „Unde igitur (inquit) hæc dicunt, & contra, quam volunt, loquuntur? Non alia de causa, quam quod maiori cruciatu cogantur. Neque enim vellent sponte confiteri, vel se a mortuis hominibus torqueri, vel se omnino grave quidpiam pati.“ Hom. XXVI. in ep. II. ad *Cor.* „Sanctorum ossa (inquit) dæmones sistunt & excruciant, acerbissimisque illis vinculis eos, qui adstricti sunt, solvunt. Quid hoc tribunali terribilius fingi potest? Cum nemo cernatur, nemo dæmonis lateri incumbat, voces & dilacerationes, verbera & cruciatus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone admirabilem potentiam minime ferente. Atque isti, qui corpora gestarunt, virtutes corpore vacantes superant, pulvisque, ossa, & cinis naturas illas invisibiles dilacerant. Ideo nemo est, qui peregrinationem unquam inire sustineat, ut imperatorum aulas videat; contra multi plerumque imperatores peregre profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur. Siquidem sanctorum martyrum templa futuri iudicii vestigia & signa exhibent, dum dæmones flagris cæduntur, hominesque castigantur, ac liberantur.“ *T. III. pag.* 321. *T. II. p.* 674. *T. VII. pag.* 175.

Hæc passim spectacula ac beneficia alibi, tum alii etiam SS. PP. extollunt, sermonibus publicis ad ipsa martyrum lipsana rem professi, veluti Maximus *Taurinensis* hom. de natali *Tauricorum* martyrum. „Cernimus enim (inquit) ab iis frequenter obsessos immundissimis dæmonibus homines liberari; ita ut cœlesti medicina & captiva anima de diaboli laqueis eruatur; & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captivitate captivus: ut qui prædam paullo ante ceperat, ipse subdatur in prædam. Hæc & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est.“ Et S. Gregorius M. Homil. XXXII. „Ad sanctorum martyrum corpora consistimus, fratres mei. Nunquid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime constitisset, esse vitam, pro qua mori debuissent? Ecce qui ita crediderunt, miraculis corruscant. Ad extincta

namque eorum corpora viventes ægri veniunt, & a dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt, & liberantur. " De SS. Apoſtolorum præſertim PETRI & PAULI non ſolum martyriis, verum etiam S. PETRI vinculis ſimilia memorantur ab aliis etiam poſterioris ætatis ſcriptoribus, dum occaſio ſe offert, veluti SIGEBERTUS teſtatur, quemdam OTHONIS imp. comitem a dæmone tam dire vexatum, ut ſe ipſum dentibus dilaniaret, ad catenarum S. PETRI contactum ſubito ab omni vexatione liberum remanſiſſe. Sic apud GAUFRIDUM in vita S. BERNARDI dæmon ubi de capillis, & barba, dens item unus S. Patris pectori energumeni imponeretur, *Germanica* lingua per os eius cæpit horrendis vocibus nequam ſpiritus exclamare: *Tollite, tollite, amovete* BERNARDUM: & dicebat: *Heu quam ponderoſus factus es* BERNARDE, *quam gravis, quam intolerabilis factus es mihi?* Cumque hæc & ſimilia aliquamdiu clamitans loqueretur, factum eſt breve ſilentium, & ſubito frater idem Domino miſerante purgatus &c.

Lib IV. c. 4. T. VI. pag. 1140.

Angelorum cuſtodia.

XXXIV. Quæ ſupra de duobus geniis, ſive bono & malo angelo, homini adhærente ex antiquiſſimis SS. Patribus attulimus, abunde nobis etiam præſidium illud, quod nobis angelus cuſtos contra cacodæmonem continuo inſidiantem infeſtantemque præſtat, declarant; noſtraque ſolum culpa accidit, ut maligno locus ſit. ORIGENES Hom. XXXV. in LUCAM, & contra CELSUM ad allatum a nobis HERMÆ *Paſtoris* locum provocat de duobus aſſiſtentibus cuique homini geniis, bono profligante conatus maligni, niſi ſecus culpa noſtra accidat; quod nec S. PROSPER contra Collatorem ſeu CASSIANUM ad eundem PASTOREM Collat. VIII. c. 17. & Coll. XIII. c. 12. provocantem fieri negat, ſi illorum maleficio obnoxios nos reddamus. „ Neque enim (inquit ORIGENES) etiamſi non ipſis benevoli „ ſint dæmones, quidquam ab illis pati poſſunt. Hos quippe cuſtodit ſum„ mus Deus ipſorum pietati benevolus, qui & divinos angelos eorum cu„ ſtodiæ præficit, quos cuſtodia dignos videt, ut nihil illis dæmones no„ ceant." Et poſtea: „ Chriſtianus (ait) verus inquam Chriſtianus, qui ſo„ lius Dei verbique imperio ſe ſubdit, cum dæmonibus præſtantior ſit, ni„ hil a dæmoniis pati poteſt. Cuius rei cauſa eſt, quia caſtra metabitur an„ gelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, & eius ange„ lus, qui ſemper videt faciem Patris cœleſtis, eius preces per ſolum Sacer„ dotem magnum ſemper univerſorum Deo offert, & ipſe precatur cum „ eo, cuius ipſi commiſſa cura eſt. Ne igitur nos inanibus larvis terrefa„ ciat CELSUS, minitans, nos dæmonibus, quos nihili ducimus, luituros „ pœnas. Nihil enim ſpreti dæmones nocere poſſunt nobis, qui conſecra-

Lib. VIII. 27. T. I. p. 761. Ib. n 36. pag. 769.

Contra Celſum.

„ ti

„ti ſumus illi, qui ſolus omnes ſuo auxilio dignos adiuvare poteſt, qui„que præterea ſuos piis in illum angelos præficit, ut nec adverſarii angeli, „nec eorum princeps, vocatus huius ſæculi princeps, facere quidquam „poſſint adverſus eos, qui Deo conſecrati ſunt.“

Idem lib. III. de Princip. c. 3. illud D. Petri verſans: *Quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* „Pro„pter quod (ait) die noctuque cor noſtrum omni cuſtodia ſervandum eſt, „& locus non eſt dandus diabolo, ſed omnia agenda ſunt, quibus miniſtri „Dei, hi videlicet ſpiritus, *qui ad miniſterium miſſi ſunt eorum, qui ad „hæreditatem ſalutis vocati ſunt*, inveniant in nobis locum, & delectentur „ingredi hoſpitium animæ noſtræ, & habitantes apud nos conſiliis ſuis re„gant; ſi tamen habitaculum cordis noſtri virtutis & ſanctitatis cultu inve„nerint exornatum.“ S. Gregorius *Niſſ.* in lib. ſeu Theoria de Vita Moysis ad veterem traditionem de duobus angelis provocat, aſſerens: „Deum la„pſum noſtrum providentia ſua minime deſtituiſſe; ſed angelum quem„dam ex iis, qui naturam corporis expertem ſortiti ſunt, adhibuiſſe ad „uniuscuiusque vitæ tutelam, ac præſidium. At ex adverſo naturæ cor„ruptorem pari machinatione contra niti, & pravo quodam, ac malefico „adiuncto dæmone, humanæ vitæ perniciem afferre: porro hominem in am„borum medio conſtitutum, alterutrius adiunctum ſcopum ac propoſitum, (τὸν ἑκατέρῳ τῶν παρεπομένων σκοπὸν) alterius propoſitum contrarium ſuopte momento valentius reddere.“ Vid. Petav. *de Angelis.* lib. II. c. 8. proximeque antecedentibus & conſequentibus, in quibus de cuſtodia humano generi ab angelis impendi ſolita copioſe tractat. Referri huc etiam poſſunt, quæ capite primo n. 39. *de dæmonibus aereis poteſtatibus* diximus deſcripſimusque viſionem S. Antonii ex S. Athanasio in eius vita n. 65. T. I. opp. P. II. p. 843.

T. I. p. 145.

T. I. p. 195. ed. Parij. p. 1638.

XXXV. Familiaris a prima eccleſiæ ætate SS. Patribus fuit Evæ & Mariæ antitheſis, quam non uno tantum ediſſerit loco S. Irenæus M. his autem diſſertis verbis lib. V. c. 19. n. 1. quo *cum EVA inobediente & prævaricante comparatur B. Virgo MARIA, illius advocata.* „Quemadmodum enim (ait) illa per angeli ſermonem ſeducta eſt, ut effugeret Deum, prævaricata verbum eius; ita & hæc per angelicum ſermonem evangelizata eſt, ut portaret Deum, obediens eius verbo. Et ſi ea inobedierat Deo, ſed hæc ſuaſa eſt obedire Deo, uti virginis Evæ virgo Maria fieret advocata. Et quemadmodum adſtrictum eſt morti genus humanum per virginem, ſalvatur per virginem: æqua lance diſpoſita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplaſti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & ſerpen-

B. Dei genitricis Mariæ tutela. *pag. 516.*

tis prudentia devicta in columbæ ſimplicitate, vinculis autem illis reſolutis, per quæ alligati eramus morti &c.“ Poſteriorem hanc periodum affert S. Augustinus lib. I. contra Iulian. c. 3. Sententiam vero conformiter ad lectionem vulgatæ *Gen.* III. 15. *Ipſa conteret caput tuum* expreſſit altero poſt Irenæum ſæculo, Chriſti tertio, martyr item ac epiſcopus *Patarenſis* S. Methodius in ſermone *de* Simeone & Anna, *quo die Domino in templo occurrerunt, ac de ſancta Deipara*, ſic beatam virginem devoto compellans affectu: *Tu potentem illum decora corporis armatura induiſti, qua & is mihi redditus eſt oculis aſpectabilis, ipſeque, ut libere intuiturus poſſim accedere, accepi, qua etiam omnia Mali illius ignita tela extingui habent.* Quam vero beata virgo mater ſtudioſa ſemper fuerit rerum, quæ ad ſalutem noſtram attinent, ſatagendi, illuſtre exemplum ante S. Methodium exhibet S. Gregorius *Niſſænus* in vita S. Gregorii *Taumaturgi.* a) Extat etiamnum fidei expoſitio, quam per revelationem a beato Ioanne *Evangeliſta* mediante Dei genitrice Maria V. accepit, cum adverſus petram eccleſiæ portæ inferi impingerent. Huc cumprimis facit, quod S. Gregorius *Nazianz.* orat. XVIII. de S. Iustina M. commemorat, quomodo tum S. Crucis ſigno, cum etiam invocatione B. Mariæ Virginis a Cypriano caſtitati ſtructas magicis artibus inſidias infregerit: *Virginem*, inquit, *MARIAM ſupplex obſecrans, ut periclitanti virgini ſuppetias ferret, ieiunii & chameuniæ pharmaco ſe ſe communit.*

T. III. Bibl. PP. p. 815. *num.* 10.

a

Ibid. p. 385. & 447.

In editione operum S. Gregorii *Naz.* extat tragœdia *Chriſtus patiens* inſcripta, cuius auctor concilio *Epheſino* antiquior habetur: ibi autem frequens eſt ad B. M. V. ſupplicatio certa cum fiducia contra malignum av. 2609.

Ne

a) „Hic enim, cum per totam aliquando de ratione atque ſermone fidei ſpecularetur, variasque ſecum cogitationes agitaret (erant enim & tunc aliqui, qui piam religionis doctrinam adulterarent, per probabiles argumentationes ſæpe etiam intelligentibus ac doctis veritatem ambiguam reddentes) pro qua tunc ei vigilanti, & ſolicite noctem agenti quidam evidenter apparet in forma humana . . & ex adverſo eius, quod prius apparuerat, aliud quoddam excellentius, & auguſtius, quam pro humana conditione, ſpectaculum in figura muliebri conſpexit. Rurſus autem perterritus, & facie averſa vultum in ſe-ipſum inclinans, dubio ac plane perplexo fuit animo propter ſpectaculum, ut qui oculis apparitionem ferre nequiret. Etenim in hoc potiſſimum conſiſtebat miraculum viſionis, quod, cum profunda nox eſſet, lumen una cum illis, qui ei apparuerant, velut lucida aliqua fax reſplendebat. Cum igitur oculis ferre apparitionem non poſſet, audivit ſermocinationem quandam eorum, qui a ſe viſi fuerant, explicantium inter ſeſe rationem eius rei, de qua ambigebatur: per quos, non ſolum veram fidei cognitionem accepit, verum etiam nominatim eos, qui apparuerant, cognovit, utroque eorum propria appellatione alterum compellante, & alloquente. *T. III. Bibl. PP. p.* 447.

Ne me ergo tradi tu ſinas tanquam ad crucem,
Ludibrioque illius exponi, omnium
Iuratus hoſtis qui ſit, & mortalium
Peſtis, tuere me.

A S. Cyrillo *Alexand.* homilia *Epheſi* in Nestorium habita, *quando ſeptem ad ſanctam MARIAM deſcenderunt*, pie ſalutatur, depredicaturque *per quam dæmones fugantur, per quam tentator diabolus cœlo decidit &c.* T. III. Conc. edit. Labb. pag. 586. Balsamon in Can. 83. epiſtolæ Basilii ad Amphilochium contra pythonicos, veneficosque inducentes, *Eos ergo*, ſcribit, *qui vaticinantur, & non credunt per invocationem nominis Domini, & Dei, & Servatoris noſtri IESU Chriſti, Dei matris, & omnium Sanctorum omnem morbum & omnem ægritudinem curari, omneque veneficium & impoſturam ſatanicam virtute, & præſentia precioſæ & vivificæ Crucis a fidelibus expelli, ſed potius miraculorum oſtentatores, præſtigiatoresque & gentium conſuetudines ſequuntur, & eos in ædes ſuas introducunt ad purgandam forte ægritudinem, quæ ex veneficio oritur, dicit Sanctus, eſſe ſexennio puniendos.* Silentio prætereo, quæ apud Cæsarium & alios ſequiori ævo narrantur portenta.

XXXVI. Origenes Celsum, qui Chriſtianorum poteſtatem incantandi expellendique dæmones ex quorundam dæmonum nominibus & incantationibus eſſe cavillabatur, confutans, „Neque enim (inquit) huiusmodi incantationibus poteſtatem habere videntur, ſed pronuntiando nomine Iesu recitandisque evangeliis: hæc enim ſæpe ex hominibus dæmones extruſerunt: idque maxime, cum ii, qui recitant, pro animo recitant & integra fide. Quinimo tanta nominis Iesu contra dæmones vis eſt & potentia, ut eos aliquando vincat etiam ab improbis pronuntiatum, Quod nobis Iesus ipſe prænuncians ait: *Multi dicent mihi in illa die, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus.* Quod neſcio ſponte ne ac maligne præterierit Celsus, an prorſus ignoraverit. Accuſat poſtea & ipſum Salvatorem, quod magicis artibus fecerit ea, quæ facere viſus eſt; & quod, cum præſciret multos poſtea futuros, qui earundem artium periti eadem ac ipſe efficerent, iactarentque ſe divina effeciſſe potentia, illis ſua ſocietate interdixerit: illum enim, ſi iuſte alios reiecit, improbum eſſe, cum eorundem criminum ſit reus; aut ſi, cum hæc facit, extra culpam eſt, abeſſe etiam a culpa eos, qui eadem faciunt. Verumtamen licet, qua virtute Iesus hæc fecerit, demonſtrari poſſe non videretur, nihilominus evidens eſt, nullam a Chriſtianis incantationum artem adhiberi, ſed Iesu nomen, aliaque nonnulla, quæ ſcripturæ divinæ cre- Evangelia.

denda esse docent." Et lib. III. n. 24. in curatione mirifica iterum evangelium indigitat, dum nihil invocari dicit quam „supremum Deum, Iesuque nomen adiuncta de isto historia. His & nos vidimus multos gravibus incommodis liberatos, alienatione mentis, insania, aliisque sexcentis, quæ neque homines neque dæmonia sanaverunt." Idem videtur Iulius *Firmicus* innuere his verbis: „Sic apud nos Deos vestros, cum hominibus nocere cæperint, religiosi sermonis flagella castigant. Sic in corpore hominum constituti Dei vestri, verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur." Hinc mos ille haud dubie inolevit, de quo S. Io. *Chrysost.* Hom. XIX. ad populum *Antioch.* „Non cernis (inquit) ut mulieres & parvi pueri pro magna custodia collo evangelia suspendunt, & ubique circumferunt, quocunque abierint? Tu evangelii mandata & leges mente describas: non auro nec argento hic est opus & pecuniis, nec librum emere: voluntate sola vobis est opus, & affectu animæ expergefactæ, & securius habebis evangelium non circumferens extrinsecus, sed in animæ penetralibus ipsum reponens." Alibi de more etiam mentionem faciens ad lectum suspendendi: „Non est (inquit) minus, eleemosynam reconditam esse, quam evangelium suspensum esse ad lectum. Nam si evangelium quidem suspenderis, & tu nihil feceris, non adeo magnam accipies utilitatem. Hanc autem habens arculam, habes arma adversus diabolum, precationem reddis alatam, sanctam domum construis, quæ habet alimenta regis intus recondita. Ideo & iuxta lectum sit arcula, noxque nullis perturbabitur visis & insomniis." S. Hieronymus post S. Chrysost. in illud *Matth.* XXIII. *dilatant enim philacteria sua &c.* „Hoc apud nos (inquit) superstitiosæ mulierculæ in parvulis evangeliis & in crucis ligno, & in istiusmodi rebus (quæ habent quidem zelum Dei, sed non iuxta scientiam) usque hodie factitant: culicem liquantes, & camelum glutientes." S. Augustinus Tr. VII. in Ioannem *Evang.* c. 1. „Cum caput (inquit) tibi dolet, laudamus, si evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lecto suo constitutum, iactari febribus & doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi sibi evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est evangelium ligaturis." S. Gregorius Adulouvaldo regi transmittit *phylacteria: id est crucem cum ligno sanctæ crucis Domini, & lectionem sancti evangelii thecæ Persica inclusam.* Alia phylacteria Conc. *Laodic.* c. 36. damnat.

Ib. p. 461.

Cap. 25.

T. II. pag. 197.

Hom. 43. in epist. 1. ad Cor.

Hom. 43. in Matth.

T. III. pag. 346.

Lib. XIV. epist 12. add lib III ep 33. lib. IX. ep. 123.

Facile superstitioni in huiusmodi rebus fit locus, semperque a spiritu evangelii alienum est sic his hærere, ut in hoc iam satis præsidii esse exi-

stime-

ſtimetur, neque ab externis ſymbolis ad id, quod repræſentant, abducatur conſideratio. Quæ tamen ideo non penitus ſunt abiicienda, quemadmodum reliquus omnis exterior religionis cultus, ipſaque ſacramenta, ſigna viſibilia coniuncta cum inviſibili gratia. S. Augustinus in libro *de ſymbol.* c. 1. huiusmodi etiam contra diabolum munit armis: „Noverint (inquit) cum ſymboli ſacramento, & crucis vexillo debere occurri, ut talibus armis indutus, facile vincat chriſtianus, de cuius oppreſſione male ante triumphaverat nequiſſimus.“

XXXVII. Lucæ & Marci capite nono deſcribitur ſævum dæmonii genus, quod fruſtra eiicere diſcipuli Chriſti tentaverunt. Poſtquam autem illud eieciſſet Chriſtus: „Et cum introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecreto interrogabant eum: *Quare nos non potuimus eiicere eum?* Et dixit illis: *Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio.*“ Iam nonnulla exempla protulimus, veluti S. Antonii abbatis, qui cum eiusmodi dæmoniaco iuvene antequam eum aggrederetur, totam noctem duxit inſomnem; nihilominus circa auroræ tempus de repente in Sanctum irruens, impulit eum. Apud Cassianum legitur Coll. 8. c. 18. duos philoſophos magicis præſtigiis, immiſſis etiam nequiſſimis dæmonibus expellere S. Antonium de ſua cella conatos: *Cumque* Antonius *nunc crucis ſignaculum imprimeret fronti ſuæ ac pectori, nunc Deum ſuppliciter exoraret, diriſſimi dæmones nequaquam audebant appropinquare eidem, ſed ſine effectu redierunt ad magos.* Quod iterum iterumque incaſſum nequioribus miſſis dæmonibus factum fuit, cum abbas Antonius modo prætacto reſiſteret. De S. Martino item memoravimus, eum admotis energumenis cæteros iuſſiſſe abſcedere, ac foribus obſeratis in medio eccleſiæ cilicio circumtectum, cinere reſperſum, ſoloque ſtratum orare ſolitum. Sic paſſim non niſi præmiſſa oratione opus hoc aggreſſos Patres legimus, quemadmodum etiam in antiquis ordinibus eccleſiaſticis apud Martenium & alibi animadvertere licet præſcriptum, ut ſacerdos proſtratus ante altare ſeptem pſalmos pœnitentiales cum variis orationibus dicat.

Oratio.

Marc. 9, 27.

Theodoretus in *hiſtoria religioſa* cum enarraſſet, qualem Petrus inſignis eremita *orans poteſtatem* haberet, quomodo porro oratione præmiſſa vir divinus imperaverit dæmoni, ut datæ ſibi adverſus Dei creaturam poteſtatis cauſam effaretur: reſpondit Satan inter alia, ſe ſcire cupidum fuiſſe, quo pacto a monachis expelleretur: *Nunc vero*, addebat cacodæmon, *perdidici, nec alia opus habeo experientia, quare iuſſu tuo mox exeo.* Mox aliam rem narrat de dæmoniaco, qui eodem modo ac prior interrogatus nihil reſpondit: „Cumque (pergit) tacitus ille ſubſiſteret, nihilque reſponderet, genibus flexis Deum oravit, obſecrans, ut

T. III. pag. 823. *ſeq.*

ſcelerato

ſcelerato famulorum ſuorum vires oſtenderet. Iterumque ſurrexit, & ille contra renitens iterum obmutuit, atque hoc modo ad horam uſque nonam res proceſſit. Poſtea vero, cum ardentiores Domino & intentiores preces obtuliſſet, ſurgens ſceleratumque compellans: *Non tibi*. ait, *Petrus imperat, ſed Petri Deus. Quare illius adactus potentia reſponde &c.* Sicque in nomine crucifixi exire iuſſus audiit ille & fugit."

Idem vero nobis in hiſtoria eccleſ. lib. IV. c. 10. *de Meſſalianorum hæreſi* exponit, quomodo FLAVIANUS celeberrimus pontifex *Antiochenus* virus *Enthuſiaſtarum* iſtorum ex ADELPHIO ſectæ auctore eſſet expiſcatus: „Nempe ſacrum baptiſmum nullam iis, qui eum conſequuntur, utilitatem afferre, ſed ſola ſedula oratione inhabitantem dæmonem expelli. Omnes enim, qui eduntur in lucem, ex primo parente trahere aiebat, quemadmodum naturam ſic & dæmonum ſervitutem. His autem per ſedulam precem fugatis, advenire deinceps Spiritum ſanctum præſentiæque ſuæ ſenſibus & oculis ſignificationem dare tum corpus perturbationum motibus liberando, tum animam ab inclinatione ad deteriora penitus avocando, ita ut nec ieiunio iam opus ſit corpus coercente, nec doctrina refrenante & ad modum ordinemque inſtituente &c." Secta illa potiſſimum monaſteria infecerat, dementante religioſos etiam viros per ſpeciem quandam evanidæ orationis, diabolo.

T. I. p. 388. Rectę vero S. MACARIUS contra diabolicas fraudes & inſidias, noſtramque inſitam perverſitatem ſuos (illud MATTHÆI VI. 21. proponens *ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit*) inſtruit Hom. XXVII. his verbis: „Reliquum eſt, tuus animus, quali theſauro ſit intentus, an totus plane Deo nec ne? ſin minus eſt, exponatis mihi, quid impediat? Profecto ſatanas & dæmones ſunt ſpiritus nequam, qui detinent mentem, atque animam ſubvertunt. Verſutus enim eſt diabolus, inſtructus machinis, foribus ter geminis, ac vafritie multa occupata tenet paſcua animæ, atque cogitationes, nec permittit recte precari, & accedere ad Deum: quoniam ipſa natura particeps eſt dæmonum ac ſpirituum nequitiæ; itidem angelorum ac Spiritus ſancti: templum eſt ſatanæ, ac templum ſancti Spiritus. Cæterum expendite animum veſtrum fratres, cuiusnam eſtis participes, angelorum an dæmonum? cuius templum & domicilium eſtis, Dei an diaboli? cor quali theſauro ſit repletum gratiæ an ſatanæ?"

Difficultas hic pulſat, quam ſupra attigimus, circa divinam providentiam ac tantam in homine, Dei creatura præſtantiſſima, conceſſam ſatanæ poteſtatem adeo, ut non deſint, qui *Manichæiſmum* clament perinde ac olim circa doctrinam S. AUGUSTINI *de gratia & concupiſcentia duobusque amoribus*

amoribus, ſeu delectatione victrici: unde etiam eodem modo hic ſolvitur ea difficultas, atque removetur ſuppliciter recurrendo ad Deum, eiusque auxilium humili implorando prece: ſicuti nos Chriſtus in oratione dominica orare docuit: *Et ne nos inducas in tentationem; ſed libera nos a malo*: ubi τὸν πονηρὸν conſtanti traditione SS. PP. hoſtem malignum ſeu cacodæmonem interpretatos fuiſſe ſupra oſtendimus: vigilare etiam & orare nos Chriſtus monuit, ne intremus in tentationem: Porro *vigilare nos*, ut cum S. HILARIO loquar, *propter adventum furis admonuit, & orationum aſſiduitate detentos omnium præceptorum ſuorum operibus inhærere. Furem enim eſſe oſtendit diabolum &c.* Difficultatem, quam moveri diximus, attingit S. AMBROSIUS in libro de paradiſo, unde prima mali origo habetur, diluitque: cuius nos argumenti tantum concluſionem ad rem præſentem adſcribemus: „Itaque neque dubitandum, neque reprehendendum, quod in paradiſo diabolus erat; quandoquidem occludere Sanctis non potuit iter, ne quis aſcenderet. Neque enim iuſtis habitationem incolatus tanquam poſſeſſor eripuit. Eſto enim, ut aliquos deſides atque vitioſos ab incolatu ſupernæ poſſeſſionis averterit, illud multo auguſtius multoque pulcrius, quod Sanctorum orationibus excludetur, cum completum fuerit illud: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Ergo non metuamus eum, qui eousque infirmus eſt, ut & ipſe caſurus ſit in terram. Accepit quidem tentandi licentiam, ſed non accepit copiam ſubruendi, niſi ſua ſponte labatur infirmus affectus, qui ſibi auxilium non norit arceſſere.“

In Matth. c. 26. pag. 734.

Cap. II. n. 10.

XXXVIII. ORIGENES tom. 13. in MATTHÆUM de lunatico agens, a quo diſcipuli dæmonium expellere nequiverunt. „Quin (ait) & ad illud animum advertamus: Hoc genus non eiicitur, niſi per orationem & ieiunium, ut ſi in curando aliquo cum eiusmodi malo conflictante opera aliquando a nobis ponenda ſit, non exorciſmum adhibeamus, neque interrogemus, nec immundum ſpiritum quaſi audientem alloquamur, ſed orationi & ieiunio vacantes, dum pro ægro preces fundimus, poſtulata aſſequamur, & noſtro ieiunio ſpiritum immundum ab eo depellamus.“ Sic orationi addit ieiunium S. MACARIUS *Ægyptius* ex Apoſtolo *Eph.* VI. 14. recenſens, quomodo Chriſtianus ſuccinctus ſtare poſſit *adverſus occultas technas diaboli malitiis imminentibus:* „Quibus (inquit) armis? omni oratione, perſeveratione, obſecratione, ac ieiunio, imo vero per fidem acquiſitis, bellum adverſus principatus, & poteſtates ac rectores mundi gerere poterit: ſicque devictis adverſariis poteſtatibus, beneficio & auxilio ſpiritus, proprioque virtutum omnium ſtudio æternæ vitæ dignus fiet.

Cum ieiunio & eleemoſyna. *T. III. Opp. pag. 579.*

Hom. XXII. T. I. pag. 312.

Serm. VIII. p. 135. S. GAUDENTIUS *Brixienſis* eundem apoſtoli locum præ oculis habens eleemoſynam adiungit: „Certamen noſtrum contra vitia carnis eſt, contra cupiditatem pecuniæ, contra animi iracundiam, quæ ſunt arma diaboli, quibus reſiſtendum eſt utique galea fidei, lorica continentiæ, miſericordiæ clypeo, *in quo poſſimus* ut ait apoſtolus, *omnia iacula nequiſſimi candentia extinguere.* Etenim ſicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna reſiſtit peccato: id eſt, ſicut aqua baptiſmi ſalutaris exſtinguit flammam gehennæ per gratiam, ita eleemoſynarum fluvio omnis ille coacervatus poſt acceptam fidem peccatorum ignis exſtinguitur; ſi tamen poſt converſionem non iterum renovatis criminibus inardeſcat.“ Ubi facile animadvertes, ei clypeum miſericordiæ eleemoſynam eſſe. S. CHRYSOSTOMUS hom. 66. al. 67. in MATTH. poſtquam iterum, ut alias, rationem reddidiſſet, cur tam frequenter de eleemoſyna tractet, breviter nobis etiam ad rem propoſitam rationem explicat ex comparatione militum & pauperum, ad

T. VII. pag. 659. pugnandum pro præſidio conductorum: „Quodſi mihi (inquit) milites alleges, qui pro te contra barbaros pugnant, eſt quoque hic pauperum exercitus, qui pro te bellum gerunt, & pugnant. Cum enim accipiunt, precibus Deum tibi placant: placantes autem non barbaros, ſed dæmonum inſidias repellunt: non permittunt, ut te malignus ille fortiter invadat, nec ut frequenter inſurgat, ſed eius vires reſolvunt.“

De ieiunio autem idem hom. V. *de pœnitentia*, quam tremendum ſit

T. II. pag. 309. dæmonibus, ad experientiam provocat: „Etenim (inquit) ſi lunaticus fuerit quis, ieiunii ei faciem oſtende, atque lapidibus ipſis immobilior manet timore ſuffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idque potiſſimum cum viderit ieiunio adiunctam ſororem contubernalemque orationem: ideo Chriſtus dicit: *Hoc genus non eiicitur, niſi in oratione & ieiunio.*“ S. MAXIMUS *Taurinenſis* Hom. IV. in quadrag. ad eadem verba exemplumque Chriſti ieiunantis alludens, „Et ideo (ait) fratres, dominici certaminis victoriæque exemplum ſequentes, & diabolicas præcaventes inſidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo noſtro ieiunium celebremus. Tunc enim dolos adverſarii ſuperare poterimus, ſi continuatis precibus, aut per caſta ieiunia corporis vitia compeſcamus, aut cor noſtrum ab omni vanitate & ambitione purgemus, ut ait ipſe Salvator: *Hoc genus non eiicitur niſi ieiuniis & oratione.*“ S. LEO, cui evangelium de tentatione Chriſti uti cæteris SS. PP. locum ampliſſimum alias dedit extollendi virtutem ieiunii contra tentationes infeſtationesque diabolicas, ſerm. XIV. *de ieiunio decimi menſis & eleemoſynis* diſſerte nobis deſcribens continuam pugnam Chriſtianis etiam renatis exantlandam. „Nam (inquit) & qui iam redemti, iam regenerati filii lucis effecti ſunt,

quamdiu

quamdiu tamen in hoc mundo, qui totus in maligno positus est, detinentur: quamdiu infirmitati carnis corruptibilia & temporalia blandiuntur, non possunt istos dies sine tentatione transire. Nec facile provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes frequentesque conflictus, etiamsi sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere. Curandis igitur læsionibus, in quas sæpe incidunt, qui cum invisibili hoste confligunt, trium maxime remediorum est adhibenda medicina, in orationis instantia, in castigatione ieiunii, in eleemosynæ largitate. Quæ cum pariter exercentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur." Argumentum id passim in illis sermonibus de statis ieiuniis per annum tractat, sermone LXXXV. imprimis, qui est de ieiunio septimi mensis secundus, ostendens, diabolo per continentiam esse resistendum, „Nam (inquit) in agone certaminis Christiani utilitas continentiæ plurimum valet, ita ut quidam sæviſſimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperiis, sola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio & oratione.* Grata ergo est Deo & terribilis diabolo ieiunantis oratio: nec latet, quantum acquirat saluti suæ, quæ tantum præstat alienæ." S. Chrysostomus hom. 57. al. 58. in eum Matthæi locum, ubi discipulis interrogantibus: cur non potuissent ipsi dæmonium eiicere? respondet Christus *propter incredulitatem vestram*, deinde: *genus autem hoc non eiicitur &c.* „Adiecit (ait) ille: genus dæmonum omne dicit, non tantum genus lunaticorum. Viden' quomodo ieiunii semina iacit? Nec mihi raro exemplo dicas, quosdam sine ieiunio dæmonas eieciſſe. Nam si unus aut alter increpando sic expuliſſe narretur, fieri nequit, ut si is, qui patitur, in deliciis vivit, ab hoc unquam furore liberetur. Ieiunio enim & oratione maxime opus est ei, qui hoc morbo laborat. Sed si fide opus est, inquies, cur opus est & ieiunio? Quia cum fide ieiunium non parvam addit fortitudinem: philosophiam quippe magnam indit, & angelum ex homine efficit, at cum incorporeis virtutibus pugnat. Verum non sufficit illud, sed addi debet oratio, quæ etiam præeat oportet. Vide ergo, quanta bona ex utroque gignantur: quia enim, qui precatur ut decet, & ieiunat, non multis indiget; qui autem non multis indiget, non pecuniæ amans fuerit; qui pecuniæ amans non est, ad eleemosynam pronus erit. Qui ieiunat levior est, & quasi alatus, vigilanterque orat, malas concupiscentias extinguit, Deumque placat, elatam animam humiliat. Ideo apostoli fere semper ieiunabant." Perhibente Theodoreto in historia relig. in Marciano, *fuit inter eius discipulos quidam* Sabinus *nomine, qui corpus immensis laboribus macerabat. Nam neque panis, neque obsonii*

T. VII. pag. 581.

T. III. pag. 793.

ullo genere veſcebatur. Addit autem, tantam a Deo adeptam eſſe gratiam, ut mulier quædam *Antiochena* genere nobilis & opibus florens ad eum confugerit, rogaritque, ut filiæ a dæmone vexatæ opem ferret. Viſum enim ſibi, aiebat, quemdam in ſomnis, qui, ut eo ſe conferret, hortabatur, & præſidis monaſterii precibus ſalutem filiæ procuraret. Dicente autem illo, qui reſponſa dabat, præſidem loqui cum mulieribus non ſolere, cum inſtaret mulier cum lacrymis & eiulatu, vehementerque obteſtaretur, præſes venit; ſed negabat mulier hunc eſſe: alium enim ſibi dicebat oſtenſum fuiſſe, rubicundum, & qui puſtulas quasdam haberet in genis. Ubi ergo cognoverunt, quem quærebat (erat autem is tertius monaſterii non primus) adduxerunt eum ad mulierem, cuius vultu ab ea ſtatim agnito, malus dæmon vociferans puellam reliquit.

T. II. p. 993. Apud MARTENIUM lib. III. *de Rit.* c. 9. præſcribitur rigidiſſimum dæmoniacis ieiunium: „Et ſi firmiter iſtud ieiunium cum oratione & pura „confeſſione ſervaverit; credimus de miſericordia Dei & vere confidimus, „quia de omnibus incentivis diabolicis, Domino largiente liberabitur.“ In primo ſtatim ordine ad energumenos adiurandos hoc ante omnia conſtituitur: *Primitus faciat epiſcopus triduanum ieiunium cum eleemoſynis, & orationibus, & ſic inchoet exorciſmum.* Sic GREGORIUS *Turonenſis* in libro *de gloria Confeſſorum* cap. 63. perhibet de filia LEONIS imperatoris per diaconum *Lugdunenſem* iuſſu epiſcopi ſui ad ipſam cum miſſis directum liberata: „Ad imperatorem veniens cum honore ſuſcipitur. Audiens autem „de infirmitate puellæ, a ſpiritu immundo vexatæ, ſe ad baſilicam B. PE„TRI apoſtoli confert: ibique continuato cum vigiliis & orationibus tri„duano ieiunio quarta die per invocationem Domini N. I. Ch. & crucis „vexillum, immundum ſpiritum a corpore puellæ depellit.“

Ib. p. 973.

pag. 945.

Humilitate item, ac reliquo virtutum agmine,

XXXIX. Hæc ſibi notent, qui munere exorciſtarum perfungi geſtiunt, ne niſi ſpeciali inſtructi facultate, quæ paſſim in recentioribus præſertim Synodis decretisque epiſcoporum requiritur, ſe ſe ingerant, ac brevi ceu manu exequendum ſuſcipiant arduum negotium: in quo, cum fide eximia opus ſit, præſumtio autem omnis omnino abeſſe debet. S. CHRYSOSTOMUS Hom. XIII. in MATTHÆUM de tentatione diaboli agens: „Cur „ergo Chriſtus (quærit) non indignatus, non exaſperatus eſt, ſed cum „manſuetudine multa rurſus ex ſcripturis ipſum alloquitur dicens: *Non „tentabis Dominum Deum tuum*: ut nos doceat (reſpondet) non per ſigna, „ſed per patientiam ſuperandum diabolum eſſe, nihilque omnino ad oſten„tationem eſſe faciendum.“

T. VII. pag. 171.

In

In apophthegmatibus S. Macarii eum aliquando dæmon ita allocutus refertur: „ *En quidquid agis, ego quoque facio. Tu cibo abſtines; & ego:* „ *vigilas; ego penitus non dormio. Unum ſolum eſt, in quo vincis me.* „ Interrogavit abbas Macarius: *Quodnam eſt illud?* Reſpondit: *Humilitas* „ *tua, ac propterea adverſus te nihil poſſum.*“ S. Antonius, terror ille dæmonum, nihilominus, ut de eo Palladius in SS. Patrum hiſtoria narrat, adoleſcentem quemdam diro obſeſſum dæmone, ad Paulum *Simplicem* ablegavit, potentiorem cauſatus, quam ut a ſe expelli queat. Is in ſæpe laudata oratione nihil non agit, ut ſuis animum contra dæmones adiiciat procul omni timore, cum nec in porcos quidem aliquam vim habuerint. „ *Rogabant enim*, ut in evangelio ſcriptum eſt, *Dominum dicentes: Sine nos in porcos abire.* Quodſi ne adverſus porcos quidem habent poteſtatem (concludit) multo minus in homines ad ſimilitudinem Dei factos imperium obtinent. Deum itaque ſolum timere convenit, hos vero deſpicere, & nullo modo formidare. Sed quo magis illi hæc agunt, eo ardentius nos aſceticæ vitæ operam demus. Magnum quippe contra illos telum eſt, proba vita & fides in Deum. Timent ſane illi aſcetarum ieiunia, vigilias, orationes, manſuetudinem, tranquillitatem, pecuniæ & inanis gloriæ contemtum, humilitatem, pauperum amorem, eleemoſynas, lenitatem, & præ cæteris pietatem erga Chriſtum. Quare nihil non agunt, ut nemo exiſtat, qui ſe conculcet. Norunt enim gratiam fidelibus adverſum ſe datam a Salvatore, qui ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.*“ Solet S. Antonio appingi porcus immundi ſpiritus ſymbolum.

T. II. pag. 249.

Vid. S. Petrus Chryſol. Serm. 17. p. 31.

Matth. 8, 31.

Ut vero intelligis, non penes deſides & ſalutis ſuæ incurios, ſed vigiles ac ſedulos aſcetas ſtrenuosque athletas eſt iſta virtus. „ Nunc ergo fra- „ tres ſerio (exhortatur S. Orsiesius abbas *Tabennenſis* Antonio ſuppar) „ Deo agente patienter, & nos ad pœnitentiam provocante de gravi „ ſomno evigilemus, quia adverſarius noſter quaſi leo rugiens circuit, „ quærens, quem devoret, cui acriter reſiſtendum eſt, & ſciendum, ea- „ dem etiam certamina noſtris eveniſſe maioribus. Non deficiamus labo- „ rantes, iacientesque virtutum ſemina, ut in futuro gaudia metere poſ- „ ſimus.“ Sic etiam S. Macarius itidem *Ægyptius* hom. IX. *promiſſiones ac prophetias divinas per varias probationes & tentationes impleri: & ſoli Deo adhærendo liberari nos ab infeſtationibus dæmonis* illum inter alios locum verſans: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras* Luc. XXI. 29. *Fieri autem poteſt*, inquit, *ut quis ſic decertans & continuo ſibi attendens, ſive in precibus, ſive in obſequio, ſive in opere quocunque ſecundum Deum perficiendo tenebras malitioſorum dæmonum effugere poſ-*

Doctr. de inſtit. monachor. T. V Bibl. PP. p. 40.

T. I. p. 122.

pag. 132. seq. *ſit.* Legi in eandem rem meretur eiusdem homilia XI. quæ continet diſputationes duas, unam quidem Chriſti cum nequiſſimo ſatana; alteram autem peccatorum cum eodem. Item XXI. *Chriſtiano homini du-*
pag. 307. *plex incumbit bellum, internum videlicet & externum. Hoc quidem, cum recedit ipſe a diſtractionibus terrenis; illud vero in corde adverſus cogi-*
pag. 338. *tationes ſpirituum malorum.* Demum XXVI. *De dignitate, præſtantia, facultate, & operationibus immortalis animæ, & qua ratione ea a ſatana tentetur, & liberationem e tentationibus conſequatur.* Continet vero quæſtiones quasdam ſumma doctrina refertas. Ibi n. 12. ſic loquitur: „Præcipua vero & maxime opportuna athletæ & decertantis arma ſunt „hæc: ut ex intimis penetralibus cordis bellum gerat adverſus ſatanam, „odio proſequatur ſeipſum, abneget animam ſuam, iraſcatur ei, atque „reprehendat eam, inſitis cupiditatibus renitatur, reluctetur cogitationi-
T. II p. 45. „bus, atque pugnet ſecum.“ In libro *de perfectione in ſpiritu* c. 13. charitatem Dei præ omnibus commendat: „Nam (addit) mors, &, ut „ita dicam, ſuſpendium diaboli eſt, quando in charitate & memoria in-„divulſe commorans mens humana reperitur.“ Et cap. 15. „Omnis „contentio & ſtudium adverſarii in hoc, ut dictum eſt, vigilat, ut an-„nitatur mentem noſtram a Dei memoria, timore, amoreque avellere; „terrenis ipſam avocationibus & delinimentis, a vero bono ad apparen-„tia divertendo.“

S. Chrysostomus populo porro chriſtiano ſedulum ſtudium ruminationemque divinarum doctrinarum præ omnibus commendat: „Ut (in-
Hom. XV. in cap. II. Geneſis T. IV. p. 114. „quit) huc omni cura veſtra converſa, menteque in his occupata, poſ-„ſitis facile & turbulentas animi affectiones vincere, & diaboli inſidias „effugere. Nam cum malus ille dæmon videt animam de divinis rebus „ſollicitam, & perpetuo illas cogitantem & verſantem, ne accedere qui-„dem propius audet, ſed celeriter reſilit, a ſpiritus operatione quaſi a
pag. 373. „ſuccenſo rogo abactus.“ Et infra Hom. XXXVII. in cap. XV. *Geneſ.* „Ideo enim quotidie ſpiritualem hanc vobis apponimus menſam, ut „admonitione continua, & multa divinarum ſcripturarum meditatione, „omnes maligni dæmonis excludamus inſidias. Cum enim nos viderit „multum in ſpiritualibus occupari, non ſolum non invadet, ſed neque „obtueri audebit, ſciens, ſe in vanum moliri, & adverſus caput ſuum „auſus ſuos convertere.“ Divinarum ſcripturarum meditationem ſæpius alibi etiam hic commendat.

Procul triſtitia ac pavore animi. T. I p. 155. XL. Iam digitum intendimus ad ea, quæ idem os aureum in libris ad Stagirium dæmone vexatum diſputavit contra triſtitiam, poſteriobus præſertim duobus, qui in eo toti verſantur argumento, alter quidem,

quod

Quod tristitia dæmone ipso sit deterior. In tertio autem *de tristitia* inscripto sic prope conclusionem operis rationem colligit: „Omni namque obsessione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo. „ Namque & dæmon, quoscumque superat, per mœrorem superat; eum „ si auferas, nihil a dæmone quisquam lædi poterit. Et quomodo, inquies, fieri potest, ut mœrore vacem? Ego contra te interrogabo, quid „ causæ est, quod non liceat a mœrore vacare. Nam si adulterium, si „ homicidium, si scelus aliquod huiusmodi perpetrasses, quod te regnis „ cœlestibus excluderet, recte mœreres, ac iusta tibi causa lugendi esset, „ nullusque te prohiberet. Quodsi per Dei gratiam ab his omnibus longissime remotus es, quid frustra teipsum concidis?“ Ut vero causæ eiuscemodi mœroris procul amoveantur, illud ex Evagrii *Scitensis* monachi capitibus practicis ad Anatolium n. 14. probe est observandum: „ Ne tradideris temetipsum iracundiæ cogitationi, mente pugnans cum eo, „ qui te contristavit, neque etiam fornicationis, diutius voluptatis imagines retinendo. Illud enim tenebras animæ offundit, hoc vero eam „ provocat ad vitii probationem; & utraque mentem tuam sordidant: „ cumque tempore orationis simulacra fueris imaginatus, Deo puram precem non offerens, incidis statim in acediæ seu tædii dæmonem, qui „ præcipue in homines in huiusmodi statu constitutos insilit, & instar canis animam velut hinnulum diripit.“ Add. quæ idem ad eundem Anatolium de octo vitiosis cogitationibus scribit. In laudata orat. hoc suis dedit consilium S. Antonius: „ si inimicum despicere velimus, quæ domini sunt, assidue cogitemus, sitque anima semper spe læta, tum dæmonum ludibria instar fumi videbuntur, atque fugientes illos potius quam „ persequentes videbimus. Sunt namque, ut supra dixi, perquam timidi, quod semper exspectent sibi paratum ignem.“

pag. 224. T. VII. Bibl. PP. pag. 55. pag. 575.

Hinc vero est, quod nihil magis curaverit, quam pavorem ex suorum animis excutere: „ Nam (aiebat) quales nos, & nostras repererunt „ cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt, & si quod in pectoribus pavoris semen invenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cæptos cumulant timores, si autem alacres fuerimus in Domino, & „ futurorum bonorum cupido nos succenderit; si semper omnia manibus „ Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere. Magis enim, cum munita in Christo corda conspexerint, confusi „ revertentur.“ De omni formidine deponenda passim verba fecimus.

XLI. En militiæ Christianæ adversus hostem infernalem armaturam, qua Apostolus *Ephesios* instruens: *De cætero fratres*, inquit, *confortamini* Fidei iuxta apostolum armatura. *Eph.* 6, 10. *seq.*

mini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam DEI, ut possitis stare adversus insidias diaboli &c. Quem locum S. CYPRIANUS circumscribens, „Armat nos (ait) & præparat apostolus dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus potestates, & principes huius mundi, harum tenebrarum, adversus spiritus nequitiæ in cœlestibus. Propter quod induite tota arma Dei, ut possitis resistere in die nequissimo; ut cum omnia perfeceritis, stetis accincti lumbos vestros in veritate, induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia ignita iacula nequissimi extinguere, & galeam salutis, & gladium spiritus, qui est sermo Dei.* Hæc arma sumamus, his nos tutamentis spiritalibus & cœlestibus muniamus, ut in die nequissimo resistere diaboli minis, & repugnare possimus. Induamus loricam iustitiæ, ut contra inimici iacula munitum sit pectus & tutum. Calceati sint evangelico magisterio, & armati pedes; ut cum serpens calcari a nobis & obteri cœperit, mordere & supplantare non possit. Portemus fortiter scutum fidei, quo protegente, quidquid iaculatur inimicus, possit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, muniantur aures, ne audiant edicta feralia: muniantur oculi, ne videantur detestanda simulacra: muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur: muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio spiritali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea a Domino sumtura præmium cœlestium coronarum.“ Sic S. CYPRIANUS plebem THIBARI consistentem ad instantem tunc armat persecutionem, quam gentiles in Christianos a dæmonibus agitati movebant in rabiem acti, quod eorum in idolis cultus destrueretur. Sic nobis S. AUGUSTINUS DACIANUM præsidem S. VINCENTIUM M. torqueri iubentem describit, *habitatoremque suum diabolum* prodit. „Per furiosas enim (inquit sermone „ in eundem) DACIANI voces, per truces oculos, & minaces vultus, & „ totius corporis motus ille habitator eius interior movebatur, & per „ hæc signa visibilia tanquam per signa sui vasculi, quod impleverat, cre„ pantis rimula providebatur.“ Notat porro apostolus aliquando ambulantes *Ephesios* secundum sæculum mundi huius. *Secundum principem potestatis aeris huius, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ.* Eph. II. 2. 3.

Ep. LVIII. pag. 255.

Neque vero cessat unquam intus forisque aciem contra nos instruere satan, ut perinde nobis, quam *Ephesiis* apostolus præscribit, utilis ac necessaria

ceſſaria ſit armatura Dei ad gerenda fortiter contra diabolum bella Domini. „Nam (ut S. Chrysostomus in illum locum commentatur) quo- *Homilia XXIV. in cap. VI. ad Epheſ. T. XI. p. 179. ſeq.*
„niam belli & pugnæ meminit, oſtendit eſſe pugnandum adverſus dæ-
„mones. Evangelium enim eſt pacis. Illud bellum aliud bellum diſſolvit,
„nempe adverſus Deum. Si cum diabolo bellum gerimus, pacem cum
„Deo habemus.“ Egregie autem expeditum hoc lector reperiet apud fideliſſimum Pauli interpretem Chrysostomum, a calce ad caput cataphractum militem. In epiſtolæ etiam ad *Romanos* caput IV. Hom. VIII. *T. IX. pag.* magnam imprimis fidei virtutem oſtendens, quomodo nos tutos præſta- *506.*
re poſſimus *a facie colubri*, breviter ſic declarat: „Opus ergo habemus ſcuto fidei, galea ſalutis, gladio ſpiritus, non modo ne malum patiamur, ſed etiam ut, ſi inſilire velit, eius caput abſcindamus. Frequentibus egemus precibus, ut ſub pedibus noſtris conteratur. Impudens enim eſt, & execrandus, etſi ab inferiori loco pugnet; attamen ſic etiam vincit. In cauſa autem eſt, quod nos non ſtudeamus plagis illius eſſe ſuperiores. Neque enim poteſt admodum efferri, ſed deorſum repit: huiusque figura eſt ſerpens. Si autem illum ſic a principio conſtituit, multo magis nunc. Si ignoras autem, quid ſit ex inferiore loco pugnare, ego tibi huiuſce belli modum explicare conabor. Quid ergo eſt ex inferiore loco pugnare? a rebus inferioribus decertare a voluptate, a divitiis, a ſæcularibus omnibus. Ideo, ſi quempiam viderit ad cœlum volantem; primo quidem in illum inſilire non poterit; ſecundo etiamſi id tentet, cito cadit; neque enim pedes habet, ne formides, non habet alas, ne timeas: ſupra terram repit, & ſupra res terrenas. Nihil ergo tibi cum terra ſit commune, nec labore indigebis. Neque enim adverſam pugnam novit, ſed tanquam ſerpens in ſpinis occultatur, in divitiarum fallacia frequenter latitans. Si ſpinas excideris, formidoloſus facile fugiet, ſi incantare in illum ſcias divinas illas incantationes, ſtatim vulnerabitur. Quodſi (addit paullo poſt) multi hoc dicentes ſanati non ſunt, id ex illorum modica fide, non ex dicti infirmitate provenit.“ Tertullianus ad propoſitum ſuum noſtrumque in *Scorpiaco* c. 1. „Nobis fides (ait) præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adiurandi & ungendi beſtiæ calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis ſæpe ſubvenimus; donati a Deo ea poteſtate, quam apoſtolus dedicavit, cum morſum viperæ ſprevit.“

Solent SS. Patres prudentiam ſerpentinam inculcare, conſpicuam omnibus modis in tuto ponendo ac conſervando caput, quod Chriſtum, ſeu fidem in Chriſtum interpretantur. Locos colligit *Paulus* Galleardus in not. ad S. Gaudentii *Brixienſis* Serm. XVIII. ubi eadem prope finem utitur alluſio-

ne, ſic vero concludens: „Quantum ille in opere iniquitatis ſuæ nocendi „peritus eſt, tantum nos ſtudiis ſalutaribus eruditi, & omni prudentia „inſtructi, atque armati eſſe debemus, *induentes nos ipſos loricam fidei,* „*& galeam ſalutis, in quo poſſimus*, ut hortatur apoſtolus, *omnia iacula* „*nequiſſimi ardentia extinguere*: ne nos incautos ſuggeſtionum ſuarum „ſpiculis ubicumque configat; ne inermes opprimat, ne interficiat dor- „mientes, ne & vigilantes & armatos, ſi uſum belligerandi neſciamus, in- „terimat."

In allato vero textu idem apoſtolus *in omnibus* ſumi *ſcutum fidei vult, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Quem locum præ oculis habens S. Cyrillus *Hieroſolym.* catech. V. n. 4. „Eſtne quidquam diabolo terribilius? Atqui nullum aliud adverſus illum habemus armorum genus præter fidem: ſcutum incorporeum adverſus hoſtem inviſibilem. Emittit enim multiplicia tela, & ſagittis configit in cæca nocte non vigilantes. Sed quandoquidem obſcurus eſt, nec conſpicuus hoſtis, firmum habemus integumentum fidem, quemadmodum apoſtolus ait: *In omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poteritis omnia tela mali ignita extinguere.* Ignitum ſæpe fœdæ voluptatis deſiderii telum a diabolo emittitur: ſed fides nobis iudicium depingens & mentem refrigerans telum extinguit."

pag. 73.

1. Theſſ. 5. Sap 5. Eph. 6.

Idem in procatecheſi n. 16. „Cæterum (ait) draco iuxta viam transeuntes obſervat: cave ne te infidelitate mordeat: tam multos videt, qui ſalvi fiunt, & quærit quem devoret. Ad patrem ſpirituum ingrederis, ſed per illum draconem transeundum eſt. Quomodo igitur tu illum pertranſibis? *Calcea pedes tuos in præparatione evangelii pacis*, ut etiamſi dentem infigat, non lædat tamen; fidem inhabitantem habe, ſpem firmam, calceamentum forte, ut per hoſtem occupato aditu ad Dominum ingrediare."

pag. 12.

Dum iuxta monitum D. Petri reſiſtimus fortes in fide.

XLII. Draconis porro ſpeciem ingerens ſenſibus horribilem S. Cyrillus, ut monſtri terribilis ſtupore animum excitet, ad locum 1. *Pet.* V. 8. reſpicit, ubi apoſtolorum princeps eandem in nobis attentionem rugientis leonis ſimilitudine excitare contendit, atque adeo *fortes in fide* eſſe vult, fidem non proletariam poſtulando. Quem locum S. Chrysostomus ſimul cum altero D. Pauli ad *Epheſ.* VI. 12. Stagirio a dæmone vexato proponit, oſtenditque, quomodo ex diaboli hoſtilitate profectum capere debeamus.

Lib. I. n. 4. T. I. pag. 163.

„Dum (inquit) illius immanitatem, perpetuasque inſidias ac fraudes varias ſollicite metuimus, ſomnum immodicum excludimus, vigilamus, ſemperque Domini reminiſcimur. Quod autem hæc mea non ſint, ſed beati Pauli, ipſum audi, eisdem fere verbis fideles dormientes excitantem. Nam

Epheſiis

Epheſiis cum ſcriberet, ſic ait: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum huius ſæculi, adverſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.* Hæc autem cum diceret, non deiicere ſtudebat auditorum animos, ſed potius erigere. PETRUS item: *Sobrii eſtote & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Hoc autem dixit, ut nos fortiores efficeret, & ad maiorem cum Deo familiaritatem induceret. Qui enim imminere ſibi cernit inimicum, maiori ad illum currit deſiderio, a quo defendi poſſit. Ita fere infantes pueri, cum quid horrendum viderint, ad matrum ſinus protinus accurrunt, illarumque pendentes veſtibus, eis ſe tuentur, ac protegunt, atque ita, ut ſæpius retrahentibus plurimis, inde avelli non poſſint. At vero quando nihil eiusmodi perturbat, ne vocantes quidem illas exaudiunt, neque trahi patiuntur: imo appellantes reſpuunt, & cum plurima illæ moliantur, ut ad ſe eos pertrahant, ſemper eas averſantur, appoſitamque menſam deſpiciunt. Quocirca matrum plurimæ, cum nihil obſecrando proficere ſe viderint, larvas quasdam horrorisque figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, perſuadentque ad ſe iterum recurrere. Hoc autem non in ſolis pueris contingit, ſed etiam in nobis. Quando enim malignus ille perterret nos atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc nos ipſos agnoſcimus, tunc ad Deum omni ſtudio recurrimus. Quodſi deletus ab initio nequam ille fuiſſet, atque ſublatus e medio, fortaſſe nec præterita credidiſſent plurimi: puta quod hominem fefelliſſet, quod bonis illis innumeris eum eieciſſet, Deumque hoc invidia & livore commotum feciſſe arbitrarentur. Quod enim ne modo quidem deſunt, qui poſt tanta illius ſeductionis indicia id audent dicere, ſi non illius nequitiæ & aſtus experimenta cepiſſent, quid non dixiſſent? quid non obloquuti fuiſſent?" Hæc ſancti Patris ſententia, quoniam tot & tantos hodie perſtringit, quibus puerilia tantum omnia videntur terriculamenta, quæ de dæmonurgia tanta conſenſione & in divinis ſcripturis & earum legitimis interpretibus SS. PP. dicta aſſertaque habentur, a nobis hucusque expoſita, non gravabor alterum eiusdem S. Doctoris locum conſimilem hic adſcribere ex Oratione III. *in eos, qui primo Paſcha ieiunant.* Ex qua nempe prava conſuetudine contentioneque in eccleſia, occaſionem arripit invehendi in domeſticos fidei, diſſidia & contentiones inter fideles concitantes. „Non ſufficiunt (inquit) reliquæ hæreſes, niſi nos ipſi nos di- *pag. 607*
vidamus? Non tu PAULUM dicentem audis, *Quid ſi invicem mordetis, videte, ne ab invicem conſumamini?* Extra gregem ambulas, & leonem foris circumeuntem non times? *Adverſarius enim veſter tamquam leo cir-*

cuit, inquit, *rugiens & quærens quem rapiat.* Vide ſapientiam paſtoris: neque reliquit intus inter oves, ne gregem perterrefaceret: neque ab exteris locis abegit, ut belluæ metu cunctos intus cogeret. Non revereris patrem? inimicum reformida: ſi teipſum a grege avulſeris, ille ſine dubio te excipiet. Poterat quidem etiam ab exteris locis illum Chriſtus abigere: ſed ut efficeret, ut vigilares, ac ſollicitus eſſes, atque ad matrem ſemper confugeres, foris illum rugire permiſit, ut qui ſunt intus, dum vocem illius audiunt, magis copulentur, & ad ſe mutuo confugiant. Ita quoque matres faciunt, liberorum amantes, flentes infantulos frequenter ſe lupis devorandos obiecturas minantur, non ut obiiciantur, ſed ut deſinant indignari. Propterea Chriſtus omnia fecit, ut pacem colamus, ut coniuncti inter nos ſimus."

Audiamus porro etiam S. GREGORIUM in ſimili domeſtico inter ſummos eccleſiæ præſules diſſidio ac contentione, eodem utentem argumento, operamque contra ſuperbiam IOANNIS *Cpolitani* epiſcoporum ac præcipuorum orientalis eccleſiæ, EULOGII *Alexandrini* & ANASTASII *Antiocheni* implorantem, ac apud Deum pro pace unitateque inteſtina vota facientem: „Quemadmodum (ſcribit) illius gubernante gratia petendum „eſt, ut nulla nos ſuperveniens exterius unda conturbet; ita ex totis „orandum eſt viſceribus, fratres chariſſimi, ut ſuæ providentiæ dextera „cumulum ſentinæ in nobis interioris exhauriat. Adverſarius quippe dia„bolus, qui contra humiles ſæviens, ſicut leo rugiens circuit quærens, „quem devoret, non iam, ut cernimus, caulas circuit, ſed ita valide „in quibusdam Eccleſiæ neceſſariis membris dentes figit, ut nulli ſit du„bium, niſi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida paſtorum „turba concurrat, omne, quod abſit, citius ovile dilaniet." Sed præ his omnibus S. CYPRIANUS *de zelo & livore* rem ab ovo repetens, dum nempe livore ſeu invidia *diabolus inter initia ſtatim mundi & perit primus & perdidit*, hinc exordium ſermonis ſumit, Dominum ſcilicet *prudentes* eſſe nos iuſſiſſe, & cauta ſolicitudine vigilare præcepiſſe, „ne adverſarius vigilans ſemper, & ſemper inſidians, ubi in pectus obrepſerit, de ſcintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret, & dum remiſſis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis ruinas fidei & ſalutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum eſt itaque, fratres dilectiſſimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico ſævienti, & iacula ſua in omnes corporis partes, quibus percuti & vulnerari poſſumus, dirigenti ſollicita, & plena vigilantia repugnemus, ſecundum quod PETRUS apoſtolus in epiſtola ſua præmonet & docet, dicens: *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam*

Lib V. epiſt. 43. T. II. pag. 772.

pag. 153.

leo

leo rugiens circuit, aliquem devorare quarens. Circuit ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis, clauſos obſidens, muros explorat, & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, ut ſoni dulcioris auditu ſolvat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta: ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat: oſtentat falſa, ut vera ſubripiat: & cum latenter non poteſt fallere, exerte, atque aperte minatur, terrorem turbidæ perſecutionis intentans; ad debellandos Dei ſervos inquietus ſemper, & ſemper infeſtus: in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Quam ob rem, fratres dilectiſſimi, contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas ſtare debet inſtructus animus & armatus; tam paratus ſemper ad repugnandum, quam eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora ſunt tela eius, quæ latenter obrepunt, magisque occulta & clandeſtina iaculatio, quo minus perſpicitur, hoc & gravius & crebrius in vulnera noſtra graſſatur, ad hæc quoque intelligenda & depellenda vigilemus, ex quibus eſt zeli & livoris malum."

XLIII. Fortaſſe hic S. Martyrem rhetorem nimium ſuæ arti indulſiſſe cauſentur, qui alios SS. PP. plerosque omnes in hac de dæmonurgia materia *Platoniſmi* inſimulare haud ſunt veriti. In promtu vero ſunt analoga verbi divini teſtimonia & exempla de omnibus iis, quæ tum hic S. Cyprianus, cum paſſim SS. Patres diſſeruerunt, aſſerta locis & auctoritate S. Scripturæ veteris, ac novi præprimis teſtamenti: in hiſtoria item evangelica doctrinaque ipſius Chriſti ore prolata, atque ab Apoſtolis & Evangeliſtis nobis propoſita, transmiſſa per traditionem & ſcripturas, in quibus haud minus frequenter, quam in ſcriptis Patrum de inſidiis & infeſtationibus dæmoniacis commonemur, manifeſtis & occultis, in anima & corpore: quo tam variis modis afflicti a dæmonibus repræſentantur apud evangeliſtas, non ſolum a Chriſto ſed etiam a diſcipulis curati liberatique, uno illo excepto puero, quem pater ad Chriſtum adducens lunaticum vocat, naturali tribuens malum cauſæ, ut neoterici, magis quam ille increduli, nec tam ad percipiendam fidem promti. Ille enim defectum fidei fatis prodebat his verbis: *Sed ſi quid potes, adiuva nos &c.* Et dicente Iesu: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti, continuo exclamans cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuva incredulitatem meam.* Marc. 9, 21. 22.

Procul remota incredulitate.

Hanc orationem ſi multi hodie ſibi familiarem redderent, rem facerent, qua ipſis illis diſcipulis opus fuiſſet, qui dæmonem illum eiicere non potuerunt: quemadmodum *Luc.* XVII. 5. oraſſe leguntur: *Adauge nobis fidem.* Ubi mox ſequitur ſimilitudo de grano ſinapis, ſicuti apud MATTHÆUM, quando de lunatico illo agitur; IESUS autem turbæ etiam incredulitatem exprobrat: *O generatio incredula & perverſa &c.* Et poſtea apoſtolis ipſis. Hos enim MATTHÆUS acceſſiſſe ad IESUM ſecreto narrat, dixiſſeque: *Quare nos non potuimus eiicere illum? Dixit illis IESUS: Propter incredulitatem veſtram.* Quodque idem antea de Chriſti patrio loco *Nazareth* teſtatus fuerat: *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum*, apud MARCUM his exprimitur verbis: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit. Et mirabatur propter incredulitatem eorum.* Ut declaretur futurum fuiſſe, ut plura Chriſtus in gratiam patriæ ſuæ faceret ſigna, niſi incredulitas obſtitiſſet. Hæc omnia complexus uno ſermone ORIGENES in MATTHÆUM tomo X. n. 19. ſic commentatur: „Deinde videre licet illud: *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Per illa autem docemur virtutes in credentibus factas fuiſſe, quandoquidem *omni, qui habet, dabitur, & abundabit:* incredulis autem non modo non egiſſe virtutes; ſed quemadmodum ſcripſit MARCUS, nec potuiſſe agere. Animum enim adverte ad illud: *Et non poterat ibi virtutem ullam facere:* non enim dixit, nolebat, ſed non poterat, tanquam in virtutem agentem adveniret adiumentum ex illius fide, in quem virtus agebat; impediretur autem ab incredulitate, quominus ageret. Nota autem quærentibus: *Quare non potuimus eiicere illud?* dixiſſe illum: *Propter incredulitatem veſtram:* & PETRO iam iam mergi cœpto dictum eſſe: *Modicæ fidei quare dubitaſti?*“ S. ATHANASIUS in fragmentis Comment. in Luc. de lunatico illo multa ad rem præſentem pro diverſo fidei ſtatu & incrementis commode explicat: „Lunatico ait: *ſi credis, fiet.* Id autem Servator poſtulat, non quod alterius ope egeat: namque fidei quoque Dominus & largitor eſt; ſed ne videatur perſonas accipere, utque putetur ipſum credentibus annuere, hominesque ſine fide beneficia non accepturos, atque ex infidelitate eadem amiſſuros eſſe. Nam cum gratiam confert, vult gratiam permanere; & quando curat, curationem numquam cadere. Paralyticum ergo confirmabat dicens: *Sanus factus es; noli amplius peccare.* Ac quemadmodum ſi medicus, cum morbo laborantes adit, ſcifcitetur primum, an curari velint, ne ipſo, repugnantibus ægris, medelam adhibente inutilis cura evadat; eodem prorſus ritu Dominus curandos interrogabat, ipſisque credentibus gratiam conferebat,

Matth. 17, 18.

Matth. 13, 58.

Marc. 6, 5.

T. III. opp. 466.

T. V. Bibl. PP. p. 190.

ut

ut fide gratiam retinere poſſent." Prout ergo fides adeſt, ac manet, firma eſt gratia ac ſtabilis, aut ea deficiente iterum, deficit, quod Petri exemplo ipſe Chriſtus Dominus declarat, cum cœpiſſet mergi, dicens: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Præſignabatur hic lapſus Petri Chriſtum negantis cæteris apoſtolis fugientibus: Unde Chriſtus ipſum allocutus *Luc.* XXII. 31. &c. *Simon, Simon*, ait, *ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Qui dixit illi: Domine, tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges noſſe me.* Integrum volui adſcribere contextum ſermonis, ut eo minus de incentore infidelitatis relinquatur dubium.

Quoad fidem autem ad expugnandos, expellendosque dæmones neceſſariam gradus etiam notat Minutius *Felix* in Octavio, quod eſt imprimis obſervandum circa poteſtatem in obſeſſos ab eccleſia iugiter exercitam: *Adiurati enim*, inquit, *per Deum verum & ſolum, inviti, miſeri, corporibus inhorreſcunt, & vel exſiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adiuvat, aut gratia curantis aſpirat.* Ubi vides, non ſolum requiri fidem utrinque ex parte energumeni & exorciſtæ, verum etiam effectum pro illius conditione reſpondere: atque pro certo gradu aut perfectione ſerius aut citius adeſſe. Huic defectui tribuitur, ſi quando Chriſtus, donec roboraretur fides, non uno ſtatim actu integritati reſtitueret. *Marc.* VII. 32. *adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod eſt adaperire.* Et dum, *Marc.* VIII. 22. veniunt *Bethſaidam*, cui vico incredulitatem ſpeciatim exprobrat Chriſtus, *adducunt ei cæcum & rogabant eum, ut illum tangeret, Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum, ſi quid videret. Et aſpiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius: & cæpit videre: & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia.* S. Io *Chryſoſtomus* in Caput XVII. Matthæi hom. 57. alias 58. in patre lunatici illius varia incredulitatis ſigna notat: „Hunc (inquit) hominem valde in fide infirmum oſtendit ſcriptura: id quod multis palam eſt; tum quod Chriſtus dicat: *Omnia poſſibilia ſunt credenti*; tum quod is; qui acceſſit dicat: *Adiuva incredulitatem meam*; imo etiam ex eo, quod Chriſtus dæmoni præcipiat, ne ultra intret in eum; ac rurſum, quod homo ille

T. II. Bibl. PP. p. 397.

T. VII. p. 578.

le Christo dicat, *si potes.* Ac (inquies) si illius incredulitas in causa fuit, quod dæmon non exierit, cur accusat discipulos? Ut ostendat eos posse, etiamsi nemo adducat, per fidem ægros curare. Ut enim sæpe accedentis fides satis fuit ad postulata vel a minoribus impetranda; sic & operantis sæpe virtus fuit satis sine accedentium fide ad miracula patranda." Ad miracula (inquit) patranda, ad hæc enim ea potissimum perfectio fidei pertinet, quam Christus his verbis: *omnia possibilia sunt credenti*, declaravit: „id est (sunt S. Chrysostomi verba l. c.) tanta mea virtus est, ut & alii meo nomine possint miracula patrare. Itaque si tu credas, ut oportet credere, ipse quoque curare potes, & hunc, & alios multos. Et cum hæc dixisset, dæmoniacum liberavit." Eum nempe, quem liberare discipuli non poterant. „Quid igitur (pergit paullo post S. Doctor) an nondum tantam fidem habebant? Non utique habebant, neque iidem ipsi semper fuere. Quandoquidem Petrus nunc beatus prædicatur, nunc increpatur: reliqui vero quasi insipientes arguuntur ab ipso, quod parabolam de fermento non intellexissent. Contigit autem, ut tunc discipuli imbecillitate laborarent: sic enim ante crucem, & passionem fuerant. Hic porro de signorum fide loquitur, & sinapin adhibet, ut eius ineffabilem virtutem significet: licet enim mole minima sinapis videatur esse, vim tamen habet omnium maximam. Docens igitur sinceram fidem vel minimam magna posse, sinapin commemorat; neque hic gradum sistens, montes addidit, & ultra progressus dixit, *Nihil vobis impossibile erit.* Tu vero hic illorum philosophiam mirare, & spiritus virtutem; philosophiam, quod suam impotentiam non occultaverint; Spiritus virtutem, quod eos, qui nec fidem sicut granum sinapis habebant, sic paullatim extulerit, ut fidei fontes, & flumina in illis scaturirent."

lb. p. 579.

p. 580.

Matth. 17, 20.

Ne fiant novissima hominis illius peiora prioribus.

XLIV. Fuerunt hi discipuli Christi primitiæ ex paucis illis electis gentis *Iudæorum*, qui iam in eo erant, ut implentes mensuram patrum suorum irremissibile illud peccatum in Spiritum sanctum consummarent, quippe qui ad tanta per Christum facta opera non solum non resipiscerent, verum etiam horrenda blasphemia Christum non eiicere dæmonia nisi in *Beelzebub principe dæmoniorum* impudenter dicerent: *Ideo dico vobis*, eos alloquitur Christus: *omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Quoniam dicebant: spiritum immundum habet.* Sequitur apud Matthæum & Lucam parabola illa de immundo spiritu, qui cum *exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar*

Matth. 31.

Marc. 3, 28.

in

in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ. Locum hunc ita παραφράζει, ac exponit S. CHRYSOSTOMUS Hom. 43. al. 44. in MATTHÆUM: „Quid igitur eſt, quod dicitur? Sicut dæmoniaci (inquit) cum liberantur ab infirmitate ſua, ſi negligentiores fiant, graviorem ſibi attrahunt phantaſiam; ſic etiam vos facitis. Etenim antehac a dæmone detinebamini, cum idola adoraretis, & filios veſtros immolaretis dæmoniis, magnam exhibentes inſaniam. Nec tamen dereliqui vos: ſed per prophetas eieci dæmonem illum, & ipſe rurſus veni, ut vos curarem. Sed quia non vultis attendere, verum in maiorem nequitiam prorupiſtis: etenim multo gravius deteriusque eſt ipſum Dominum iugulare, quam prophetas occidere, ideo graviora prioribus patiemini.“ Et mox: „Hi vero poſt tot miracula peiores ſunt effecti, ſeque innumerorum dæmonum domicilium conſtituerunt, & ſexcentas ſibi pepererunt calamitates, iure illatas. Cum enim quis a malis liberatus non reſipiſcit, longe graviora prioribus patietur. Ideo enim dixit: *Non invenit requiem*; ut oſtendat dæmonum inſidias hunc neceſſario correpturas eſſe. Nam ab his duobus ad ſanam mentem reduci oportuiſſet, & quod paſſi, & quod liberati eſſent; imo tertium quoque adeſt, nempe comminatio, ne quid deterius contingat. Attamen ex nullo eorum meliores evaſerunt. Hæc vero non ad illos tantum, ſed etiam ad nos dicta fuiſſe opportune credamus; quando illuminati & a priſcis erepti malis, rurſus eidem nequitiæ hæremus: nam ob admiſſa poſt hæc peccata graviori ultione plectemur. Ideo paralytico dicebat Chriſtus: *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat.*“ Igitur fieri potuit, ut integritati ſuæ reſtitutus ab ipſo Chriſto non ſolum recidivam pateretur, verum etiam deterius ei aliquid contingeret. Inter tot a Chriſto curatos a variis languoribus, ac dæmoniis, unus lunaticus id privilegium accepit, ut comminatus ſpiritui immundo Chriſtus diceret: *exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.* De MARIA MAGDALENA autem poſt primam invaſionem forte relapſa *ſeptem* etiam *ejecerat dæmonia.* Quemadmodum vero in quotidianis animæ tentationibus infeſtationibusque hoſtium noſtrorum mundi, carnis & dæmonis nemo non experitur, ſeſe continuis aggreſſibus obnoxium haud raro etiam ſuccumbere, quidni idem fieri poterit in aliis maligni vexationibus corporalibus etiam hoſte iterum regreſſo in domum ſuam, unde exire compulſus fuit: & veniens forte invenit eam vacantem ſcopis mundatam, & ornatam; aut certe

T. VII. p. 462.

Marc. 16, 9.

elangueſcentem deficientemque fidem; quandoquidem *omnia* iuxta effatum Chriſti *poſſibilia ſunt credenti;* D. Petrus autem ſobrios nos eſſe vult & vigilare; ac *fortes* reſiſtere *in fide*, non in præſumtione, quam ipſe hic apoſtolorum princeps funeſtam eſt expertus, pro quo tamen rogavit Chriſtus, ut non deficeret fides eius. Is autem, ſicuti Paulus in epiſto-
2. Petri 2, 20. la ad *Hebræos*, contribulibus ſuis in Chriſtum iam credentibus comminatur: „Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, „& Salvatoris Iesu Chriſti, hic rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt „eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere „viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod „illis traditum eſt, ſancto mandato. Contingit enim eis illud veri pro„verbii: *Canis reverſus ad ſuum vomitum: & ſus lota in volutabro* „*luti.*

S. Ambrosius locum illum Matthæi XII. & Lucæ X. de immundo ſpiritu in domum ſuam revertente de hæreticis & ſchiſmaticis perinde ac
Lib. VIII. in Luc. n. 95. T. II. de *Iudæis* interpretatus, ſubdit: „In uno homine totius *iudaici* populi „comparatio eſt, a quo per legem ſpiritus immundus exierat. Sed quia „in nationibus & gentibus per fidem Chriſti requiem reperire non potuit „(immundis enim ſpiritibus Chriſtus incendium eſt, qui in pectoribus „gentilium, quæ ante arida erant, poſtea per baptiſmum rore Spiritus „ſancti humeſcebant, iacula adverſarii ignita reſtrinxerat) ideo regreſſus „ad plebem eſt *Iudæorum*, quæ forenſi & perfunctoria ſpecie comta, ani„mo manet interiore pollutior.

T. II. Opp. pag. 725. S. Cyrillus *Alexandrinus* commentario in Isaiam lib. IV. orat. V. in eandem Chriſti parabolam de *Iudæis* verba faciens „Cum (inquit) non haberent Dei timorem in ſeipſis, nec IESUM per fidem in ſe reciperent (habitat enim in cordibus noſtris per fidem, ſicuti ſcriptum eſt) locum illum vacare antiquus ille & impurus ſpiritus conſpicatus, irrupit denuo, & in illos immigravit, factaque ſunt illorum noviſſima deteriora prioribus. Nam proditorem illum inter diſcipulos, talem ab hoc impietatis inventore effectum eſſe, non eſt obſcurum. Scriptum namque eſt, poſt offam ingreſſum in eum ſatanam. Punita eſt igitur *Iudæorum* ſynagoga, obtenebrante illam ſatana, nec permittente eam animi oculis mundi lucem, id eſt Chriſtum intueri. Cæterum cum ad converſionem vocati ſunt, datum eſt poculum furoris, & calix ruinæ in manus eorum, qui eam iniuria oppreſſerant. Punitæ ſunt enim malæ & adverſariæ poteſtates, deiiciente eas in orcum omnium Servatore Chriſto, qui eas catenis tenebroſis in tartarum coniectas, tradidit in iudicium magni diei cuſtodiendas, & cruciandas. Iſtæ enim dicunt *Hieruſalem*, *Inclinare*, *ut tranſeamus.* Hæc autem ſubiecit

cit media terræ illis hac gradientibus, id eſt, ſeipſam ſubſtravit ac ſubiecit conculcare volentibus. Hoc autem faciunt malæ poteſtates tum, cum viderint animam remiſſam, quæ mentem ſuam ita abiicit, ut facile velit impiis eorum a Deo infeſtis conſiliis parere atque ſubiacere.“ Add. S. Ambrosius T. III. epiſt. 32. Claſſis primæ.

Nihil vero magis laborat diabolus, quam ut eundem in deſperationis ſtatum proſternat, quo ipſi omnis ad reſipiſcentiam eſt occluſus aditus, nobis autem, quamdiu in ſtatu viæ ſumus, nec peccatum illud in Spiritum ſanctum conſumavimus, ſemper per pœnitentiam eſt aperta via, atque „armatura contra diabolum (ut cum S. Chrysostomo loquar) gladius „eius caput abſcindens, ſpes ſalutis, deſperationis profligatio. Hæc ho- „mini cœlum aperit, hæc in paradiſum introducit, hæc diabolum ſupe- „rat; ideoque de hac re frequenter ſermonem moveo, quod fiduciam „inducat ipſum proſterni.“ Tum poſtquam a deſperatione, laqueo diaboli, cautos feciſſet ad pœnitentiæ iterationem cohortatus; „Animadvertiſti „(pergit) quod dico? Ordinem invertit ſatanas, deditque peccato con- „fidentiam, pœnitentiæ pudorem. ... Duo mala facit, ad peccatum alli- „cit, & a pœnitentia arcet ... Ne mihi rurſum dicas: Peccavi multum, „quomodo potero ſalutem conſequi? Tu non potes, Dominus poteſt „&c.

Hom. VIII. de Pœnit. T. II. pag. 341.

XLV. Hæc felix noſtra, qui in Chriſtum credimus, & confidimus, eſt conditio ac beata ſors, quod diabolum a nobis ſemper excludere liceat, neque in domum noſtram eidem clauſam iam pateat regreſſus, ſi ſanguine agni, *etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, ſervemus tinctam: *Cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, transcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Communicavit ideo divinum Verbum filius Dei *carni & ſanguini* iuxta apoſtolum *Hebr.* II. 14. &c. aſſumta natura noſtra, *ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* S. Petrus Cornelio centurioni fidem in Chriſtum Iesum exponens, *quomodo*, ait, *unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo.* Quod non ſolum de illis intelligendum eſt, quos a dæmonibus obſeſſos liberaſſe legitur, ſed de toto genere humano diaboli laqueis per peccatum obſtricto iuxta 1. Ioan. III. 8. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.*

Cuius glorioſus eſſe debuerat in Chriſto, hoſte devicto, triumphus. *Exod.* 12, 23.

Tuto ergo eum in insidiis latentem aggredimur, quidvis in nos molientem, quam fortis etiam armatus custodire atrium suum videatur: *si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Sic Christus *exspolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Nempe ut, data potestate super omnem virtutem inimici, tutos nos ab eius insidiis, & vexationibus præstet; in acie vero & continuis velitationibus securos de victoria, non inertes & otiosos reddat contra capitalem hostem hunc, nobis ad luctam relictum & coronam. Propter quod apostolo PAULO ter Dominum roganti, ut discederet angelus satanæ, dicitur: *sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Quod subdit PAULUS, quisque in suis tentationibus Christi confisus gratia dicat: *libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

Luc. 11, 21. 22. *Coloss.* 2, 15. 2. *Cor.* 12, 9. 10.

Circumspectaque, abiectis circa dæmonas erroribus, cautio.

XLVI. Cavendum vero nobis summopere est, ne supra captum nostrum, intelligentiamque sensibus adstrictam, de natura rerum invisibilium ultra sobrietatem sapere gestientes, superbiamque diaboli consectati, iterum eius laqueo capiamur, postquam a Christo erepti sumus, cum dejecti eius invidia essemus: neve prava doctrina alios etiam in errorem abducamus, fatique consimilis nos reddamus obnoxios. *Quomodo cecidisti,* dæmonum principem alloquitur propheta, *de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?*

Isa. 14, 15.

Nihil nobis de rebus invisibilibus, spiritualique ipsius, nobis intimæ, animæ natura constat, nisi quæ Deus nobis in suo verbo patefacere ad salutem nostram, atque de invisibilibus hostibus cautos nos ac circumspectos reddere voluit. Hanc mihi tractationis huius metam constitui, omnibusque monitum illud D. PAULI hic etiam salutare fore existimo: *Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time.* Idem TIMOTHEUM instruens, qualem episcopum esse oporteat, *Non neophytum*, inter cætera ait, *ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.* Id quidem generalius etiam dictum valet: qua loquendi ratione absterret postea, *qui divites fieri volunt, inciduntque in tentationem, & in laqueum diaboli*; secunda autem ad eundem TIMOTHEUM ep. II. 25. & 26. cum modestia corripi vult, *qui resistunt veritati: ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Ad *Colossenses* vero II. 18. specialiter scribit: *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ.*

Rom. 11, 20. 1. *Tim.* 3, 6. *Ib.* 6, 9.

Iam

Iam tunc ſanam doctrinam corruperat SIMON magus, *Gnoſticorum* parens, qui angelorum ſeu dæmonum ſuperſtitionem ex philoſophia *Græcanica* Chriſtianiſmo inferre allaborarunt, ut iam notavimus: conſtatque *Iudæorum* non paucos ſuperſtitioſo angelorum cultui deditos fuiſſe, aut etiam cum illis, ſeu dæmonibus commercium iactaſſe. Sic CERINTHUS auctoritatem conciliare voluit ſuæ hæreſi, ab aliquibus ob aſſertum regnum millenarium auctor *Apocalypſeos* habitus. Sed potius eum IOANNES *Apoc.* II. 9. inter eos tangit, *qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ.*

Oppoſitis autem erroribus diabolus Chriſtianos inde ab eccleſiæ exordiis dementavit: primum nempe deliriis *Gnoſticorum, Valentinianorum &c.* nimia deinde credulitate anilibusque phantaſiis ac fabulis, noſtra demum ætate obſtinata quadam incredulitate ea etiam fere naſo ſuſpendendo adunco, explodendoque, quæ conſtanti Patrum traditione, auctoritateque S. ſcripturæ habentur aſſerta, firmata monumentis liturgicis, & pia matris eccleſiæ cura contra infeſtationes diabolicas.

Mirum profecto religioſo cuique eſſe debet, tam facile ac temere eos etiam hic deviare, qui ſtudiis theologicis innutriti eccleſiaſticoque adſcripti canoni ignorare nequeunt, quid ſacræ litteræ, earumque fidi interpretes SS. Patres & Doctores orthodoxi conſtanti traditione de dæmonurgia ad nos uſque pertulerint, quidque ſacer ferat uſus in eccleſia; nihilominus videas iam eiusmodi viros, extra chorum ſaltantes, haud raro longius aberrare, maiusque ſibi magiſterium in diſciplinis etiam naturalibus uſurpare, quam illi, qui eas ex inſtituto ſunt profeſſi, atque in iis cum ſumma ſunt verſati laude. Sæpe in hac tractatione uſus ſum teſtimonio, auctoritatemque in ſua ſphæra ſecutus *Friderici* HOFFMANNI conſiliarii quondam regis *Boruſſiæ* intimi, & archiatri, profeſſoris medicinæ primarii in academia *Halenſi*, quem in libro *de magia* medicum ſummum vocat *Ant.* de HÆN, S. C. R. A. M. a conſiliis aulicis, archiater item ac medicinæ profeſſor primarius in academia *Viennenſi*, in qua nunc ars ſcientiaque medica, ſi uſpiam alibi, cum primis floret anteſignano Cel. L. B. VAN-SWIETEN, cuius iam veſtigia premit munusque protomedici tenet ſuæ decus patriæ illuſtr. L. B. de STÖRCK. Triumviri hi recte quidem cum ſumma cautione circumſpectioneque progrediendum ſtatuunt in diſquiſitionibus magicis, optaſſemque, ut laudatus HÆNIUS hoc ſuæ *de magia* tractationis caput amplius explicaſſet: cum id ſibi in ſuo opere propoſitum eſſe in præfatione ſignificet, probare ſcilicet, ſuppoſita magiæ exiſtentia, conſentiente ſecum SWIETENIO, *quod ad ſuperſtitionem atque credulitatem hominum diminuendam, & demum tollendam longe efficacior hæc demonſtratio*

futura ſit, quam unquam ab eiusdem negatione ſperari potuiſſet. Laudatur mox P. *Friderici* SPEE *cautio criminialis ſeu de proceſſibus contra ſagas* liber, atque ad calcem ſapientiſſima ESTII in lib. II. *Sentent. diſt.* VII. §. 16. ad rem monita, VAN-ESPENII item ac *Ben.* BOSSUETI ſerm. I. & II. in Dom. I. Quadrag. poſtquam inſignem eiusdem locum aliunde deſcripſiſſet: in quo cum oſtendiſſet Deum angelos creando, in quantum eos ſui intellectus participes feciſſet, in tantum etiam eos ſuæ compotes feciſſe poteſtatis, quatenus ad ſervandum in mundo ordinem naturæ corporeæ atque inferiores illis ſubiicerentur iuxta præſcriptos his ab illo terminos, „Suo proinde (addit) modo mundus ſenſualis mundo ſpiritali, „ atque intellectuali ſubiectus fuit, pactumque hoc Deus cum corporea „ natura fecit, ut ad voluntatem angelorum moveretur, quantum hæc „ voluntas angelorum, in hoc cum voluntate Dei conformis, eandem „ ad certos effectus finesve determinaret."

P. III. c. 1. & 2.

Boſſuet Elevations a Dieu ſur les myſteres T. II. ſerm. XXIII. Elev. 5. de la puiſſance du demon ſur le genre humaine.

Id cum auctoritate S. ſcripturæ atque exemplis probaſſet, perinde etiam ad quæſtionem, an prævaricatoribus damnatisque angelis eandem Deus conſervet quam fidelibus beatisque poteſtatem? ex apoſtolo reſpondet, ſubditque, prævaricatoribus angelis prærogativas naturales conſervari in ſupplicium; poteſtatem autem illorum poſt lapſum hominem, qui ſic in illorum mancipium redactus eſt, auctam potius, quam imminutam fuiſſe. Sicque porro explicat ſalutarem hanc ad cautos nos reddendos ex ſacris ſcripturis, exemplo ipſius Chriſti Domini theologiam, qua ſe alius quisque theologus merito continere debeat, abſterritus etiam exemplo apoſtolorum, ipſiusque principis apoſtolorum, quod idem BOSSUETUS expendit in meditat. LXIX. & ſeq. ſuper verba Chriſti in cœna, illa nempe: *Simon, Simon, expetivit vos ſatanas, ut cribraret ſicut triticum*, cauſam vero indicat vanitatem ſeu ambitionem apoſtolorum paullo ante de principatu contendentium. Eaque potior longe nobis propoſita eſt in ipſo diaboli lapſu, faſtu ſcilicet ac ſuperbia, cui nos etiam in eo obnoxios facere poſſumus, ſi contra apoſtoli monitum alte hic ſapere potius quam timere volumus, diaboli imitantes ſuperbiam. *Qui dicebas in corde tuo*, ut a propheta inceſſitur, *in cœlum conſcendam, ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo.* Quis vero ſibi non proſpiciat, caveatque ab adverſario, qui contra Deum ipſum ſe erexit? Qui ipſum filium Dei tentare eſt auſus? *Tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide.* Comma primum huius ſententiæ principis apoſtolorum commonentis nos de inſidiis principis tenebrarum capite primo, alterum capite hoc ſecundo ſuſcepi declarandum.

T. X. p.m. 405.

Iſa. 14, 14. ſeq.

XLVII.

XLVII. Etſi vero in longum excreverit oratio, potuiſſent nihilominus multo adhuc afferri plura ex ſacris ſcripturis, ſanctisque Patribus, qui quavis occaſione, quæ nuſpiam ſuis in tractatibus ſermonibusque exhortatoriis deerat, fideles a diabolicis inſidiis cautos reddendos, atque ab eorum infeſtationibus tutos præſtandos exiſtimarunt, paſtores præſertim animarum, atque epiſcopi vigilantes & cuſtodientes vigilias ſuper gregem ſuum, ut tum lupos hos infernales arcerent ab ovili, tum vero milites ad pugnam exercitatos, fortesque in fide contra hoſtem undique irruentem, redhiberent: quod quidem quam ſtrenue fecerint, ex ſermonis decurſu hactenus patuit: „Parum eſt enim (cum S. CYPRIANI concludam verbis, quæ noſtræ ætati cumprimis congruunt, noviſſimis multo magis „ inſtantibus temporibus) quod Dei plebem claſſico noſtræ vocis erigi„ mus; niſi credentium fidem, & dicatam Deo devotamque virtutem, di„ vina lectione firmemus. Quod autem potius aut maius curæ noſtræ ac „ ſolicitudini congruit; quam ut commiſſum nobis divinitus populum, & „ exercitum in caſtris cœleſtibus conſtitutum, adverſus diaboli tela & „ iacula, exhortationibus aſſiduis præparemus? Neque enim idoneus po„teſt eſſe miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. „ Aut qui agoniſticam coronam quærit adipiſci, in ſtadio coronabitur, „niſi uſum & peritiam virium ante meditetur. Adverſarius vetus eſt, & „hoſtis antiquus, cum quo prœlium gerimus. Sex millia annorum iam „ pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia gene„ ra tentandi & artes atque inſidias deiiciendi uſu ipſo vetuſtatis edidicit. „ Si imparatum invenerit militem Chriſti, ſi rudem, ſi non ſolicitum ac „ toto corde vigilantem, circumvenit neſcium, fallit incautum, decipit „ imperitum. Si vero quis dominica præcepta cuſtodiens, & fortiter „Chriſti veſtigiis adhærens, contra eum ſteterit, vincatur neceſſe eſt: „quia Chriſtus, quem confitemur, invictus eſt.“

Vigilantia item, cum certa in Chriſtum fiducia.

Luc. 2, 8.

De exhortat. martyrii p. 117.

Cæca gentilitas epitheton *invicti* ad Deum ſuum Solem refert, cuius rei monumentum in *Alemannia* noſtra ſupereſt in lapidis *Zwifaltenſis* inſcriptione, quam in *Itinere Alemannico* dedi, quave *Deo invicto Soli templum a ſolo* reſtituiſſe VALERIUS VENUSTUS memoratur; Chriſtiani autem doctores recte vindicaverunt *ſoli invicto Domino noſtro, qui de morte & inferno triumphavit.* Quam in rem *Philippus* a TURRE ex antiquiſſimi ſcriptoris homilia in LUCAM de nativitate S. IOANNIS *Baptiſtæ*, olim S. CHRYSOSTOMO falſo attributa hunc affert locum. „Quis utique tam invictus, niſi Dominus noſter, qui mortem ſubactam devicit. Vel quod dicunt Solis eſſe natalem; ipſe eſt Sol iuſtitiæ &c.“

Tab. VII.

Monum. Antii pag. 228.

Ad

Ad diem Natalis Domini alludit, apud gentiles Soli invicto ſacrum: quemadmodum etiam S. Leo ſermone II. in Nativitate Domini præclare a Sole noſtro iuſtitiæ diabolum devictum oſtendit. „Verax namque (inquit) miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque iuſte amitteret originalem deditii generis ſervitutem, niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur.“ Et poſtea: „Habentes ergo tantæ ſpei fiduciam, dilectiſſimi, in fide, qua fundati eſtis, ſtabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam a vobis dominationem Chriſtus excluſit, aliquibus vos iterum ſeducat inſidiis; & hæc ipſa præſentis diei gaudia ſuæ fallaciæ arte corrumpat, illudens ſimplicioribus animis de quorundam perſuaſione peſtifera, quibus hæc dies ſolemnitatis noſtræ, non tam de nativitate Chriſti quam de novi, ut dicunt, Solis ortu honorabilis videatur . . Amplectimini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, ut eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua maieſtate regnantem: qui cum Patre & Spiritu ſancto manet in unitate Deitatis in ſæcula ſæculorum. Amen.“

Serm. 21. pag. 17.

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ
IN HOC OPERE EXPOSITORUM.

Geneſis

I. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli. 84.

II. 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ. 84.

Exodi

VIII. 19. Digitus Dei eſt hic. 135.

XII. 23. Cum viderit (*Dominus percutiens*) ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, transſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere. 227.

Levitici

XIX. 26. Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia. 117.

XX. 6. Anima, quæ declinaverit ad Magos vel hariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei. 127.

27. Vir ſive mulier, in quibus pythonicus vel divinatorius fuerit ſpiritus, morte moriantur. 127.

Numerorum

XXIV. 17. Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope: Orietur ſtella ex IACOB &c. 109.

Deuteronomii

XVIII. 10. Non inveniatur in te - - qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos. 127.

XXVIII. 59. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeverantes, infirmitates peſſimas & perpetuas. 39.

Regum I.

XXVIII. 9. Ecce, tu noſti, quanta fecerit SAUL, & quomodo eraſerit Magos & hariolos de terra. 4. 126. 127.

Regum III.

XXII. 19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris &c. 22.

Regum IV.

XXIII. 24. Pythones & ariolos & figuras idolorum, & immunditias & abominationes, quæ fuerant in terra *Iuda* & *Ieruſalem*, abſtulit IOSIAS. 4.

Tobiæ

III. 8. Tradita fuerat (SARA) ſeptem viris, & dæmonium nomine *Aſmodæus* occiderat eos. 106.

VI. 16. Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & a ſua mente excludant - - - habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. 106. 183.

Iob

I. 8. Non erat ſimilis in terra homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. 5.

II. 1. Factum eſt autem cum quadam die veniſſent filii Dei, veniſſet quoque ſatan inter eos, & ſtaret in conſpectu eius. 22.

6. Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius ſerva. 37. 40. 100. 160.

7. Egreſſus igitur ſatan a facie Domini percuſſit IOB ulcere peſſimo a planta pedis uſque ad verticem. 100. 125.

XXX. 1. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. 16.

XL. 10. Ecce *Behemoth*, quem feci tecum &c. 19.

XLI. 24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. 15.

Pſalmorum

XIX. 8. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. 162.

XL. 5. Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi. 171.

LI. 11. Expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum. 159.

Ad diem Natalis Domini alludit, apud gentiles Soli invicto ſacrum: quem admodum etiam S. Leo ſermone II. in Nativitate Domini præclare a Sole noſtro iuſtitiæ diabolum devictum oſtendit. „Verax namque (inquit) miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione iuſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque iuſte amitteret originalem deditii generis ſervitutem, niſi de eo, quod ſubegerat, vinceretur.“ Et poſtea: „Habentes ergo tantæ ſpei fiduciam, dilectiſſimi, in fide, qua fundati eſtis, ſtabiles permanete, ne idem ille tentator, cuius iam a vobis dominationem Chriſtus excluſit, aliquibus vos iterum ſeducat inſidiis; & hæc ipſa præſentis diei gaudia ſuæ fallaciæ arte corrumpat, illudens ſimplicioribus animis de quorundam perſuaſione peſtifera, quibus hæc dies ſolemnitatis noſtræ, non tam de nativitate Chriſti quam de novi, ut dicunt, Solis ortu honorabilis videatur . . Amplectimini Chriſtum in noſtra carne naſcentem, ut eundem Deum gloriæ videre mereamini in ſua maieſtate regnantem: qui cum Patre & Spiritu ſancto manet in unitate Deitatis in ſæcula ſæculorum. Amen.“

Serm. 21. pag. 17.

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ
IN HOC OPERE EXPOSITORUM.

Geneſis

I. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli. 84.

II. 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ. 84.

Exodi

VIII. 19. Digitus Dei eſt hic. 135.

XII. 23. Cum viderit (*Dominus percutiens*) ſanguinem in ſuperliminari, & in utroque poſte, transſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere. 227.

Levitici

XIX. 26. Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia. 117.

XX. 6. Anima, quæ declinaverit ad Magos vel hariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi mei. 127.

27. Vir ſive mulier, in quibus pythonicus vel divinatorius fuerit ſpiritus, morte moriantur. 127.

Numerorum

XXIV. 17. Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum, ſed non prope: Orietur ſtella ex IACOB &c. 109.

Deuteronomii

XVIII. 10. Non inveniatur in te - - qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos. 127.

XXVIII. 59. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeverantes, infirmitates peſſimas & perpetuas. 39.

Regum I.

XXVIII. 9. Ecce, tu noſti, quanta fecerit SAUL, & quomodo eraſerit Magos & hariolos de terra. 4. 126. 127.

Regum III.

XXII. 19. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris &c. 22.

Regum IV.

XXIII. 24. Pythones & ariolos & figuras idolorum, & immunditias & abominationes, quæ fuerant in terra *Iuda* & *Ieruſalem*, abſtulit IOSIAS. 4.

Tobiæ

III. 8. Tradita fuerat (SARA) ſeptem viris, & dæmonium nomine *Aſmodæus* occiderat eos. 106.

VI. 16. Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe & a ſua mente excludant - - - habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. 106. 183.

Iob

I. 8. Non erat ſimilis in terra homo ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo. 5.

II. 1. Factum eſt autem cum quadam die veniſſent filii Dei, veniſſet quoque ſatan inter eos, & ſtaret in conſpectu eius. 22.

6. Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius ſerva. 37. 40. 100. 160.

7. Egreſſus igitur ſatan a facie Domini percuſſit IOB ulcere peſſimo a planta pedis uſque ad verticem. 100. 125.

XXX. 1. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. 16.

XL. 10. Ecce *Behemoth*, quem feci tecum &c. 19.

XLI. 24. Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret. 15.

Pſalmorum

XIX. 8. Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus. 162.

XL. 5. Ego dixi: Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi. 171.

LI. 11. Expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum. 159.

INDEX LOCORUM

LXIV. 8. Qui conturbas profundum maris. 143.
XC. 13. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. 28. 69.
CIII. 26. Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. 32.

Proverbiorum

XXVI. 11. Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. 226.

Eccleſiaſtis

III. 15. Multas curas ſequuntur ſomnia. 117.
XXI. 2. Quaſi a facie colubri fuge peccatum. 217.
XXXIV. 7. Multos errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis. 117.

Sapientiæ

V. 18. Accipiet armaturam zelus illius - - induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. 218.

Eccleſiaſtici

XVIII. 21. In tempore infirmitatis oſtende converſationem tuam: non impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem iuſtificari. 172.

Iſaiæ

XIV. 12. Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo, in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum - - aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. 1. 51. 228. 230.
XLIV. 25. Ego ſum Dominus faciens omnia: extendens cœlos ſolus: ſtabiliens terram, & nullus mecum: irrita faciens ſigna divinorum, & hariolos in furorem vertens. 110.
LVI. 2. Ad quem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. 51.

Danielis

XIV. 35. Apprehendit eum (HABACUC) Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis ſui. 6.

Matthæi

I. 21. Vocabis nomen eius IESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. 159.
IV. 1. Ductus eſt IESUS a Spiritu in deſertum, ut tentaretur a diabolo. 5. 212.
9. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me. 114.
10. Tunc dicit ei IESUS: Vade ſatana, ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. 118.
V. 6. Nolite dare Sanctum canibus. 152.
VI. 13. Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo. 12. 45. 46. 209.
21. Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. 208.
14. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. 20.
VII. 22. Multi dicent mihi in die illa: Domine, Domine, nonne - - - in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? 205.
VIII. 16. Et eiiciebat ſpiritus verbo. 156. 192.
28. Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſævi nimis &c. 79.
31. Rogabant Dominum dicentes: ſine nos in porcos abire. 213.
X. 1. Convocatis duodecim diſcipulis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 85. 137.
XII. 27. Si ego in *Beelzebub* eiicio dæmonia, filii veſtri in quo eiiciunt? 14. 136. 224.
29. Quomodo poteſt quisquam intrare in domum fortis, & vaſa eius diripere, niſi alligaverit fortem? 13. 14.
31. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur. 224.
43. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: revertar in domum meam, unde exivi, & veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. 224. 226.
XIII. 39. Inimicus autem, qui ſeminavit ea, diabolus eſt. 18. 25. 50.
58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum. 222.
XIV. 31. Modicæ fidei, quare dubitaſti? 223.
XVI. 22. Qui converſus dixit PETRO: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mihi. 68.
XVII. 1. Poſt dies ſex aſſumit IESUS PETRUM - - & ducit illos in montem. 6.

14. Increpavit illum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora. 79. 101. 102.
18. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: quare nos non potuimus eiicere illum? dixit illis Iesus: propter incredulitatem vestram -- hoc autem genus non eiicitur nisi in ieiunio & oratione. 209. 211. 222. 223.
19. Si habueritis fidem -- nihil vobis impossibile erit. 224.
XVIII. 10. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. 21.
XXIII. 5. Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias. 206.

Marci

I. 23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens: quid nobis & tibi Iesu *Nazarene?* venisti perdere nos, scio, qui sis, Sanctus Dei. 159. 187.
34. Dæmonia multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. 138. 187.
III. 22. Omnia possibilia sunt credenti. 224.
IV. 15. Cum audierint, confestim venit satanas, & aufert verbum. 25. 50.
V. 2. Occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam poterat quisquam eum ligare &c. 79.
18. Cœpit illum deprecari, qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit & misertus sit tui. 136.
VI. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. 222.
VII. 32. Adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius: & exspuens tetigit linguam eius: & suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: *Ephpheta*, quod est adaperire. 223.
VIII. 22. Adducunt ei cæcum, & rogabant, ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & exspuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogavit eum: si quid videret? Et aspiciens ait: video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius, & cœpit videre: & restitutus est, ita ut clare videret omnia. 223.
IX. 16. Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui ubicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit - - - - Exclamans & multum discerpens eum exiit ab eo, & factus est sicut mortuus. 79. 101. 102. 187.
22. Omnia possibilia sunt credenti. 224.
23. Continuo exclamans pater pueri cum lacrimis aiebat; Credo Domine, adiuva incredulitatem meam. 160 221.
27. Discipuli eius secreto interrogabant eum: quare nos non potuimus eiicere eum? & dixit illis: hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. 207 209. 210. 211.
37. Respondit illi Ioannes dicens: Magister vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. 138.
38. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit cito male loqui de me: qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 138.
XVI. 9. Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. 225.
17. In nomine meo dæmonia eiicient. 137. 146. 156.

Lucæ

II. 8. Pastores erant in eadem regione vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem. 231.
IV. 6. Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum: quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia. 114. 129. 130.
33. In synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna dicens: sine, quid nobis, & tibi, Iesu *Nazarene?* venisti perdere nos? scio te, quis sis, Sanctus Dei. 159. 160.

41. Exibant autem dæmonia a multis clamantia, & dicentia: quia tu es filius Dei, & increpans, non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. 138. 187.

VI. 13. Infirmos curate, mortuos reſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite. 85.

VIII. 12. Qui autem ſecus viam, hi ſunt, qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. 18. 25 50.

27. Cum egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & veſtimento non induebatur &c. 79.

30. Interrogavit autem illum IESUS dicens: quod tibi nomen eſt? at ille dixit: Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum 180.

38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet; dimiſit autem eum IESUS dicens: Redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus. 136.

IX. 28. Et aſſumſit PETRUM &c. & aſcendit in montem. 6.

39. Ecce ſpiritus apprehendit eum, & ſubito clamat, & diſſipat eum cum ſpuma, & vix diſcedit dilanians eum. 79. 101. 102. 187.

X. 17. Reverſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo. 138. 156.

18. Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. 110. 142. 209.

19. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. 9. 110.

20. Nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubiiciuntur. 141. 146.

XI. 22. Si fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. 228.

24. Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inveniens dicit: Revertar in domum meam, unde exivi, & cum venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam, tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. 224. 226.

XIII. 11. Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere &c. 104.

XXII. 31. SIMON, SIMON, ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. 8. 26. 123.

Ioannis

I. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 9. 188.

III. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. 227.

V. 4. Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat. 225.

VI. 71. Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt? 59.

VIII. 44. Vos ex patre diabolo eſtis - - ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. 59. 129.

XII. 31. Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 11.

XIII. 2. Cum diabolus iam miſiſſet in cor eius ut traderet eum &c. Et *v.* 27. Poſt buccellam introivit in eum ſatanas. 24.

XIV. 30. Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 7.

XV. 4. Palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in vite. 50.

Actuum Apoſtolorum

IV. 10. Notum ſit omnibus vobis & omni plebi *Iſrael*: quia in nomine Domini noſtri IESU Chriſti, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit a mortuis, in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. 159.

V. 3. Cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui ſancto? 24.

X. 38. Vos ſcitis - - - quomodo unxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute; qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos a diabolo. 227.

XVI. 17. Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis: - - - Dolens autem PAULUS, & converſus ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine IESU Chriſti exire ab ea, & exiit eadem hora. 132. 154. 159. 188.

XIX. 13. Tentaverunt quidam & de circumeuntibus *Iudæis* exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen

men Domini. Reſpondens ſpiritus nequam dixit eis: IESUM novi, & PAULUM ſcio, vos autem qui eſtis? 138. 146. 159.

16. Inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum & dominatus amborum invaluit contra eos &c. 104. 132.

XXIII. 8. *Sadducæi* dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum: *Phariſæi* autem utraque confitentur. 133.

XXVI. 18. Apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum - - - aperire oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, & de poteſtate ſatanæ ad Deum. 24.

Ep. ad Romanos

XI. 20. Tu autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. 228.

XVI. 20. Deus autem pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris brevi. 47. 138. 50.

I. ad Corinthios

I. 23. Prædicamus Chriſtum crucifixum, *Iudæis* quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. 165.

V. 5. Iam iudicavi - - tradere huiusmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit. 36. 100. 104. 160.

X. 13. Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis. 19. 42. 59.

19. Quid ergo? dico, quod idolis immolatum ſit aliquid? ſed quæ immolant gentes, idolis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. 113.

XII. 28. Quosdam quidem poſuit Deus in eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum. 107.

II. ad Corinthios

II. 11. Non circumveniamur a ſatana: non enim ignoramus cogitationes eius. 52.

XI. 13. Eiusmodi pſeudo-apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti. 94.

14. Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 92.

XII. 3. Timeo autem, ne ſicut ſerpens HEVAM ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. 2.

9. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. 228.

Ep. ad Galatas

V. 15. Quodſi invicem mordetis, videte ne ab invicem conſumamini. 219.

17. Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. 59.

Ep. ad Epheſios

IV. 27. Nolite locum dare diabolo. 7. 28. 175.

VI. 11. Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. 10. 45. 215. 218.

12. Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principatus & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum. 7. 25. 31. 39. 58. 175. 219.

14. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ - - in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. 218.

Ad Philippenſes

II. 8. Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis &c. 165.

Ad Coloſſenſes

I. 12. Gratias agentes Deo Patri - - qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum. 10.

II. 15. Et exſpolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo 108. 134. 228.

18. Nemo vos ſeducat volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ. 228.

I. ad Theſſalonic.

II. 18. Voluimus venire ad vos - - ſed impedivit nos ſatanas. 39.

V. 8. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. 218.

I. ad Timotheum

III. 6. Oportet epiſcopum eſſe - - - non neophytum, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli. 94. 228.

IV. 1. Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus, & doctrinis dæmoniorum. 94.

INDEX LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

VI. 9. Qui divites fieri volunt, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. 228.

10. Radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes a fide erraverunt, & inseruerunt se doloribus multis. 50.

II. ad Timotheum

II. 24. Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. 228.

Ad Hebræos

I. 24. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. 21.

II. 14. Ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum. 227.

VII. 4. Nondum usque ad sanguinem restitistis. 174.

Ep. S. Iacobi

II. 19. Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. 50.

IV. 7. Subditi estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet a vobis. 28.

I. B. Petri

III. 22. Qui est in dextera Dei - - profectus in cœlum, subiectis sibi angelis, & potestatibus, & virtutibus. 108.

V. 8. Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui resistite fortes in fide. 26. 28. 72. 203. 219. 220.

II. B. Petri

9. Novit Dominus pios de tentatione eripere. 15.

II. 20. Si refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & salvatoris Iesu Christi his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. 226.

I. S. Ioannis

III. 8. Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. 10. 23.

10. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis, qui non est iustus, non est ex Deo. 23.

V. 19. Mundus totus in maligno positus est. 20.

Apocalypsis

II. 9. Blasphemaris ab his, qui se dicunt *Iudæos* esse, & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. 229.

XII. 9. Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & satanas. 10.

12. Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet. 17.

XX. 3. Misit eum (*draconem*) in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes. 16.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Aerem a diaboli insidiis purgavit mors Christi. 142.
Angeli Custodes invocandi ad fugandos dæmones. 203.
Antonius (S.) verberibus fugat dæmones. 186.
Aqua ad exorcizandum adhibita. 177.
Armis quibus oppugnetur dæmon? 30. 31. *seqq.*
Arreptorum a dæmone descriptio. 80.

B.

Benedictus (S.) verberibus fugavit dæmones. 186.
Bernardi (S.) reliquiis dæmon fugatus. 201.

C.

Campanas benedicendi antiqua consuetudo. 183.
Cereus paschalis ad fugandos dæmones adhibitus. 185.
Certamen adversus dæmones continuum. 33.
Christianorum in dæmones potestas. 139.
Christophori (S.) superstitiosus cultus unde? 130.
Christus cur a diabolo voluerit tentari? 5. nec omnino huius extinxerit potestatem? 7. 231.
Chrysostomi (S.) insignis locus de dæmonum potestate. 143. Eius orationes super energumenos. 150.
Cogitationes malæ unde proveniant? 60.
Cordis custodia firmissimum adversus dæmones præsidium. 6. *seqq.*
Crucis virtus adversus dæmones. 110. 163.
Cultores Dei a dæmonibus formidantur. 188.
Cypriani (S.) insignis de dæmonurgia locus. 220.

D.

Δαίμων, δαιμόνιον voces antiquis Philosophis vagæ, 3.
Dæmon auctor persecutionum ecclesiæ, 17. schismatum ac sectarum pater, 18. Orationis inimicus, 54. 208. adveniente Christo amisit dominatum. 4. Quo sensu a SS. PP. dictus sit salutis auctor? 22. 37. & a Christo princeps huius mundi nuncupetur? 8. 9. Homines ad peccatum allicit diversimode, 2. 4. 12. 52. 65. & secundum uniuscuiusque temperamenti qualitatem, 19. homines in desperationem coniicere studet. 227. morituris præcipue infestus. 58. Deo id permittente. 36. 39. 40. *seqq. it.* 46. Cur Christum tentaverit? 5. quomodo terram circuire dicatur? 4. *seqq.* quare non formidandus, 13. 15. 33. sed despiciendus? 29. & quomodo vincendus? 30. 31. *seqq.* 66.
- - Eius arma quæ? 27. & potestas in corpus humanum 36. per peccatum acquisita. 137. cur concessa a Deo? 36. & qualis? 10. cur non omnino per Christum extincta? 7. 20.
- - Eius colloquium cum Deo quomodo exponant SS. PP. 5.
- - Eius technæ variæ. 39. *seqq.* simulque implacabilis nocendi cupido. 42. 43.
- - Eidem diversa a SS. PP. attribuuntur nomina. 67. 70.
- - Illo electo curandum, ne revertatur. 225.
Dæmones metuunt cultores Dei. 188. diversimode eorum virtus infringitur. 137. per integrum Caput II. Eorum quis ortus iuxta veteres? 2. & quænam eorum operationes? 3.

E.

Ecclesiæ summa in dæmones potestas. 137. per integr. Caput II.
Electi per dæmonum insultus probantur. 22.
Energumeni 71. quomodo antiquitus nuncupati? 74. *seqq.* ad Eucharistiam admissi. 151. & hæc eorum capitibus fuit imposita. 153. Eosdem dignoscendi criteria. 75. *seqq.*
Exorcismi varii. 154. 183.
Exorcistarum functiones. 148. & cautelæ ab iisdem observandæ. 212. *seqq.*
Exorcizo vocis huius varii significatus. 145.

F.

Fides firmissimum adversus dæmones præsidium, 216. requiritur tam in exorcista, quam in energumeno ad expellendos dæmones. 223.

G.

Genius bonus & malus quomodo inter se dignoscantur? 22. 23.

INDEX RERUM MEMORAB.

GREGORIUS *Thavmat.* (S.) ſolo anhelitu dæmones expulit, 186. & per epiſtolam. 196.

H.

Homo quomodo ſatanas nuncupetur? 69. cur a ſpiritibus immundis infeſtetur? 77. *ſeqq.*
Homo malus vas dæmonis. 14.

I.

Ieiunium rigidiſſimum dæmoniacis præſcribitur, 212. quo ſæpius eiecti ſunt dæmones. 210.
Incredulitate impeditur eiectio dæmonum. 222.
Inſidiæ dæmonis. 36.
Iumenta hominum cauſa a diabolo corripiuntur. 191.

M.

Mala phyſica unde ſuum ortum habeant? 98.
Manus impoſitione dæmones expulſi. 195.
MARIÆ V. (S.) adverſus dæmones tutela. 204.
MARTINI (S.) in dæmones poteſtas. 193.
Meditatione divini verbi eiicitur dæmon. 214.
Mœrore ſuperantur, quoscunque ſuperat dæmon. 215.

N.

Natura dæmonum quæ ſit iuxta Veteres. 96.

O.

Olei uſus ad exorciſmos. 181.
Oratio præſidium adverſus dæmones. 207.
Orationes ſuper energumenos. 150.
ORIGENIS error circa ſtatum animæ ante nativitatem. 76.

P.

Peccata nos ſubdunt poteſtati dæmonis. 46.
Perſecutionum eccleſiæ auctor diabolus. 17.
Phantaſiæ vires. 167.
Præſtigia magica adducuntur. 169.
Princeps huius mundi, quo ſenſu dicatur dæmon? 8. 9.
Pulvis ad exorcizandum adhibitus. 180.

R.

Remedium declinandi diſtractiones ſub oratione a dæmone immiſſas. 54.
Reliquiis Sanctorum dæmones expulſi. 198.

S.

Salis uſus ad exorciſmos. 179.
Sancti etiam tentantur a dæmone. 51. 56.
Schiſmatum ac ſectarum pater diabolus. 18.
Spiritus carnis, mundi, ac inferni quomodo cognoſcantur? 25. *ſeqq.*
Somnia unde oriantur? 25. *ſeqq.*
Superſtitio caute fugienda in rebus externis adhibendis contra dæmones. 206.

T.

Tentationes ac inſultus dæmonis crucis ſigno fugantur, 175. utiles perſæpe. 38. 39.
THECLA (S.) ſigno crucis munita inſiliit in rogum. 174.

V.

Veterum opiniones de natura dæmonum. 96.

FINIS.

INDEX RERUM MEMORAB.

GREGORIUS *Thavmat.* (S.) ſolo anhelitu dæmones expulit, 186. & per epiſtolam. 196.

H.

Homo quomodo ſatanas nuncupetur? 69. cur a ſpiritibus immundis infeſtetur? 77. *ſeqq.*
Homo malus vas dæmonis. 14.

I.

Ieiunium rigidiſſimum dæmoniacis præſcribitur, 212. quo ſæpius eiecti ſunt dæmones. 210.
Incredulitate impeditur eiectio dæmonum. 222.
Inſidiæ dæmonis. 36.
Iumenta hominum cauſa a diabolo corripiuntur. 191.

M.

Mala phyſica unde ſuum ortum habeant? 98.
Manus impoſitione dæmones expulſi. 195.
MARIÆ V. (S.) adverſus dæmones tutela. 204.
MARTINI (S.) in dæmones poteſtas. 193.
Meditatione divini verbi eiicitur dæmon. 214.
Mœrore ſuperantur, quoscunque ſuperat dæmon. 215.

N.

Natura dæmonum quæ ſit iuxta Veteres. 96.

O.

Olei uſus ad exorciſmos. 181.
Oratio præſidium adverſus dæmones. 207.
Orationes ſuper energumenos. 150.
ORIGENIS error circa ſtatum animæ ante nativitatem. 76.

P.

Peccata nos ſubdunt poteſtati dæmonis. 46.
Perſecutionum eccleſiæ auctor diabolus. 17.
Phantaſiæ vires. 167.
Præſtigia magica adducuntur. 169.
Princeps huius mundi, quo ſenſu dicatur dæmon? 8. 9.
Pulvis ad exorcizandum adhibitus. 180.

R.

Remedium declinandi diſtractiones ſub oratione a dæmone immiſſas. 54.
Reliquiis Sanctorum dæmones expulſi. 198.

S.

Salis uſus ad exorciſmos. 179.
Sancti etiam tentantur a dæmone. 51. 56.
Schiſmatum ac ſectarum pater diabolus. 18.
Spiritus carnis, mundi, ac inferni quomodo cognoſcantur? 25. *ſeqq.*
Somnia unde oriantur? 25. *ſeqq.*
Superſtitio caute fugienda in rebus externis adhibendis contra dæmones. 206.

T.

Tentationes ac inſultus dæmonis crucis ſigno fugantur, 175. utiles perſæpe. 38. 39.
THECLA (S.) ſigno crucis munita inſiliit in rogum. 174.

V.

Veterum opiniones de natura dæmonum. 96.

FINIS.

·INTER·FOLIA·FRUCTUS·
ANDREW DICKSON WHITE